Zr. 9h Ha 179

Kirchheisen.

Ac. 31.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-151887322-13/fragment/page=0002

ELEMENTA METAPHYSICES

TOMVS PRIOR

QVI

PHILOSOPHIAM PRIMAM, ONTOLOGIAM

MONADOLOGIAM, SOMATOLOGIAM, ATQVE MECHANOLOGIAM COMPLECTITVR

ET

AD PHILOSOPHICAM INPRIMIS

DE

ANIMABVS, SPIRITIBVS, DEO, MVNDO ATQVE CIVITATE DIVINA

COGNITIONEM

VIAM STERNIT

AVTORE

IOACHIMO GEORGIO DARIES

PHIL. ET I. V. D. ET AMPL. PHIL. ORD. ADIVNCTO.

IENAE,

APVD CHRIST. HENR. CVNONEM

MDCCXLIII.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

SERENISSIMIS
AC CELSISSIMIS
PRINCIPIBVS
STIRPIS
ERNESTINAE
MVNIFICENTISSIMIS
ACADEMIAE IENENSIS
NVTRITORIBVS
VNIVERSIS

DVCIBVS
SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE AC WESTPHALIAE, LANDGRAFFIIS THVRINGIAE, MARCHIONIBVS MISNIAE, PRINCIPALI DIGNITATE COMITIBVS HENNEBERGIAE, COMITIBVS MARCAE ET RAVENSBERGAE.
ETC. ETC. ETC.

DOMINIS MEIS
LONGE CLEMENTISSIMIS

SERENISSIMI ATQVE CELSISSIMI DVCES PRINCIPES DOMINIQVE CLEMENTISSIMI.



NOn sine aliqua animi trepidatione, SERENISSIMI PRINCIPES, opuſculum hocce philoſophicum ad pedes VESTROS humillima devotione depono. Neque enim tam rerum ignarus ſum, ut vel haſce lucubrationes metaphyſicas, quae MAGNORVM PRINCIPVM auſpiciis in publicum emittantur, dignas exiſtimem, vel me tanta facundia ac ſcribendi facultate praeditum arbitrer, qui HEROVM, pietate, iuſtitia, fortitudine & clementia eminentiſſimorum florentiſſimorumque innumera merita, non dicam ornare laudibus, ſed vel enarrare tantum poſſim.

Verum enim vero, cum qui eos, qui ſtudiorum cauſſa ad Academiam venire ſolent, erudiunt, diligentiae ſuae rationem CLEMENTISSIMIS Academiae NVTRITORIBVS reddere debeant, trepidatio illa animi excutienda fuit, eoque conſilio hasce meditationes VOBIS, SERENISSIMI PRINCIPES, omni, qua par eſt, pietate conſecrare ſuſtinui. Novem enim circiter ſunt anni, cum celſiſſimo VESTRO ſub Praeſidio, SERENISSIMI PRINCIPES, hac in Salana non ſine auditorum frequentia, atque, ut opinor, utilitate (pro quo divinitus conceſſo beneficio gratias ſummo Numini publice hic perſolvo intenſisſimas) ſcientias philoſophicas atque mathematicas, qua fieri potuit, cura atque diligentia recitavi, interpretandoque explanavi. Permittatis itaque clementiſſime, ut VOBIS quoque patefaciam, quae in Academia, quam nutritis, hactenus egi. Haecce ratio, cur ſignum meae in VOS,

SERE-

SERENISSIMI PRINCIPES, pietatis, quantum vires meae permittunt, ponam, mihi cum omnibus, qui se hac in Academia litterarum studiosis dant ad docendum, communis omnino habetur: sed singularis quoque accessit, quae mihi adiunctior esse videtur. Ante aliquot annos atque etiam hocce anno plurimis SERENISSIMORVM DVCVM votis philosophiae professor clementissime designatus sum, propensissimaque horum Principum voluntate hocce munus mihi decretum est: neque minus reliqua vota, quae SERENISSIMORVM DVCVM indulgentia fuit, promissa mihi sunt. Qua ex ratione partium mearum fuit, ut VOBIS, SERENISSIMI PRINCIPES, pro hacce VESTRA clementia demississima mente gratias agam, & ut me gratia ac praesidio VESTRO in posterum quoque non indignum iudicetis, omni pietate etiam atque etiam rogem. Hac itaque devota mente opusculum hocce ad VOS, SERE-

NIS-

NISSIMI PRINCIPES, deferre, ſacrisque VESTRIS nominibus dedicare, fas mihi eſſe, non dubito. Atque ita a VOBIS omni, qua fieri poteſt, ſubmiſſione peto atque contendo, ut qualecunque hocce debitae pietatis, devotionis humillimae gratique animi mei documentum ſerena fronte accipere, meque VOBIS clementiſſime commendatum habere non dedignemini. Ceterum a ſummo, quod omnia moderatur, Numine caſtis quotidie precibus contendam, ut VOS DOMVMQVE VESTRAM CELSISSIMAM ſervet incolumes, felicitatesque VESTRAS diutiſſime florere iubeat,

SERENISSIMIS CELSISSIMISQVE VESTRIS NOMINIBVS

Ienae CIↃ IↃCC XLIII.

pie humiliterque deditus

IOACHIM GEORG DARJES.

PRAEFATIO.

PErmittas, LECTOR BENEVOLE, ut in limine operis, cuius Tomum primum hic accipis, de eius rationibus methodoque, qua scientias, quas continet, tradidi, atque deinde traditurus sum, paucis TE edoceam.

Rationes eius non privatae solum, sed & publicae sunt. Privatarum huius operis rationum praecipua est, ut praecepta mea metaphysica, Generosissimis atque Prae-nobilissimis Auditoribus meis hactenus tradita, publice etiam indicare atque proponere possem. Quod ad institutum me non ii solum, qui variis rumoribus, qui spargebantur, aliquando incertis quoque au-

ctoribus, qui tamen invidiam creabant mihi, offensi suspecta tenebant dogmata, quae magno auditorum numero in academia hac interpretando explanare adhuc consuevi; sed & permultorum Fautorum non minus quam Amicorum litterae, hoc de argumento mihi adlatae, impulerunt.

Narratores enim illi saepissime affirmaverunt, me, metaphysicam Auditores docendo, ad sententias eorum, qui male de religione sentiunt, non descendere solum, sed & ieiuna atque frigida dogmata proponere atque etiam defendere. Cum *Socrate* quidem colapho percusso dicere possem, molestum solummodo esse, quod nescirent eiusmodi homines, quando cum galea prodire deberent, quoniam a veritate minime abhorrent, quae monuit acutissimus CROVSAZ *in systemate logico* P. IV. p. 405. *Si on ne merite ni iniures, ni raillerie, il ne faut se croire ni iniurié, ni raillé, tout cela ne doit être regardé que comme des discours de petits enfans. Les iniures qu'on mépriſe perdent leur credit, mais si on se fâche on fait soupçonner qu'on les a meritées. Vne iniure qu'on ne merite pas tombe sur un phantôme. S'il étoit permis de se fâcher, ce ne seroit tout au plus que quand on n'a rien de meilleur à dire. &c. &c.*

Ne vero homines illi honorarii eiusdem conditionis narrationes etiam ad eos, qui in narratorum veritatem atque falsitatem inquirere nequeunt, sumtu periculoque meo perferant, necesse esse iudicavi, ut obtemperem consilio, quod acutissimus ille Philosophus verbis ante citatis addidit: *Contentez-vous de combattre*

les

les sentimens de vôtre adversaire par de bonnes raisons, atque ideo dogmata mea metaphysica, quae Auditoribus hactenus privatim explicavi, ita exponam, ut omnes de illis iudicium facere possint. Hoc enim facto fieri poterit, ut cum *Mario* pronunciem: *nulla oratio me laedere potest; quippe vera, necesse est, bene praedicet, falsam vita, mores dogmataque mea superant.*

Hi non collegium solum meum, ut dicunt, metaphysicum, quod Auditoribus hactenus dictavi, quove compendium Ill. WOLFII, idiomate germanico sub Tit. Vernünfftige Gedancken von GOtt der Welt und der Seele des Menschen auch allen Dingen überhaupt, conscriptum, & quod in tradendis praeceptis Metaphysices hactenus secutus sum, variis annotationibus illustravi, magisque in eodem proposita, si fieri potuit, determinavi, sed & quae sermone addidi, ab Auditoribus vero calamis excepta sunt, nescio quo fato legerunt, & commoti inde sunt, ut, mediante commercio quodam litterarum, quod mihi semper gratum atque iucundum fuit, permultis de recentiorum dogmatibus mecum communicaverint atque disputaverint. Quo tandem factum est, ut in illorum epistolis mihi redditis haecce fuerit suasio, ut dogmata mea metaphysica ederem, systematiceque eadem publice proponerem. Virorum magnae in republica litteraria auctoritatis & haud vulgaris iudicii voluntas atque vota legis instar mihi semper esse solent, ergo & fieri non potuit, quin ad illorum arbitrium hosce labores in me susceperim.

Haec de rationibus operis privatis. Publicas etiam benignissime accipe. Vitae genus, quod hactenus elegi, requirit, ut omnem cogitationem omnemque curam in erudiendis litterarum studiosis figam atque collocem. Ergo & necesse est, ut Auditoribus meis omnem occasionem scientias, quas interpretor, distincte atque, quantum fieri potest, solide perspiciendi praebeam. Illos etiam Metaphysicam doceo, Metaphysicam dico, scientiam, quae omnium scientiarum fundamenta convocat, quae omnium scientiarum praecepta corroborat, & quae, si non legitime firmisque argumentis constructa, omnes controversias omniaque fere dogmata, de quibus eruditi disputant, infert atque producit. Controversias itaque eruditorum solide diiudicare nequeunt, qui systemata Philosophorum praecipue metaphysica non intelligunt atque perspiciunt, ergo & partium mearum est, ut dogmata metaphysica Auditoribus explicando eos ita ducam, ut simul veterum dogmata intelligere atque commode diiudicare possint.

Sed in eiusmodi incidimus tempora, in quibus aut responsionem GROTII ad NICOLAVM HEINSIVM de via ad solidam eruditionem perveniendi quaerentem: *lege veteres, sperne recentiores, & eris noster*, plane evertimus, aut dogmata nostra veterum praecepta nominamus, quae tamen saepissime quoad voces solum, non vero quoad significatus cum nostro systemate atque hypothesi conveniunt.

Non sperno recentiores, sane eorum scripta meritaque

taque veneror, & quam maximas ſummo Numini gratias etiam ex hocce accepto beneficio ago, quod hisce temporibus vivam, quibus occaſio quotidie praebetur faciliori quadam via veritates cognoſcendi earumque nexum ſolide perſpiciendi. Sed nec ſperno veteres, pervolvo eorum ſcripta, & hoc faciendo in eorum ſententiam perducor, qui, philoſophum etiam veterum ſyſtemata intelligere atque perſpicere debere, putant. Viam enim inveniendi illorum meditationes clare atque perſpicue docent, fontes dogmarum, de quibus eruditi diſputant, exhibent, accurate cogitateque ea diſtinguunt, quae ſeiungere debent ſolide veritates perſpecturi. Verbo: veterum ſyſtemata legendo intellexi, quid ſit eruditio philoſophica.

Quae cum ita ſint, deliberatum mihi atque conſtitutum eſt, veterum dogmata temporis progreſſu ſyſtematice breviſſimis quidem, ita tamen, ut eorum ſcripta abunde faciliorique negotio intelligi poſſint, proponere. Qua ex ratione magnam voluptatem ex eo cepi, quod egregius BRVCKERVS *Hiſtoriam Philoſophiae criticam*, ſcriptum nunquam ſatis laudandum, edidit. Eleganti enim hocce ſcripto labores dicti futuri faciliores certiſſime mihi redditi ſunt. Vnicum adhuc ante neceſſum fuit, quam iſtos labores aggrediar, ſyſtema nempe philoſophicum hunc in finem elaboratum, ut explicanda veterum dogmata ex illo faciliori quodam negotio iudicari poſſint. Et hoc eſt, quod publicam operis, cuius tomum primum tibi hic offero, rationem nomino.

Et ita ex ante poſitis facile iudicare poteris ordi-

nem, quo metaphysicam, quam opus hocce exhibet, docui. Primo de totius operis distributione, atque deinde de ordine, quo dogmata speciatim proposui, brevissimis dicam. Concatenati labores, in quibus quotidie versor, non permiserunt, ut non interrupta serie totum opus absolverem, duos ergo eius posui tomos, quorum *primus*, quem hic accipis, dogmata instruit ad explicandam doctrinam de animabus, spiritibus, de Deo atque civitate ipsius, *secundus* vero in essentiam animarum atque spirituum inquiret, ea, quae per Deum qua talem possibilia docebit, atque civitatem Dei ita explicabit, ut inde ea, quae de territorio huius civitatis dicenda, iura Dei in creaturas, creaturarum obligationes erga Deum, harum violationes earumque origo, atque modus, quo Deus cum creaturis agit, distincte intelligi, &, quantum fieri potest, perspici possint.

De ultimo huius operis Tomo hic non pluribus dicam. Quod ad primum attinet, absolutis Praecognoscendis, quorum Cap. I. *Naturam & constitutionem Metaphysices*, & Cap. II. *Modum tractandi Metaphysicam docet*, explicavi

I. PHILOSOPHIAM PRIMAM, quae in principia generalia inquirit, ex quibus omnia tam de ente eiusque speciebus, quam accidente dicenda deduci debent. vide §. 6. Pr. Hic agitur

SECT. I. *De possibilis & impossibilis in se spectati natura*

CAP. I. *De principiis possibilis atque impossibilis.* p. 27.

CAP.

CAP. II. *De possibilis atque impossibilis notione atque constitutione, seu de cogitabilium natura atque differentia generali.* p. 34.

CAP. III. *De quantitate & qualitate cogitabilium* p. 49.

CAP. IV. *De Identitatis atque diversitatis differentia, &, quae inde oritur, aequalitate atque inaequalitate* p. 57.

CAP. V. *De existentia generatim agnatisque non-nullis notionibus generalibus.* p. 68.

SECT. II. *De possibilium nexu*

CAP. I. *De nexu eiusque affectionibus generatim* p. 81.

CAP. II. *De nexus principiis, atque de principio rationis sufficientis speciatim.* p. 85.

CAP. III. *De quibusdam nexus differentiis generalibus.*

TIT. I. *De nexu essentialium atque attributorum aliarumque affectionum.* p. 102.

TIT. II. *De nexu necessario & contingente.* p. 119.

TIT. III. *De nexu principii atque principiati.* p. 132.

CAP. IV. *De variis nexus consectariis generatim.*

TIT. I. *De unitate variisque ex illa consectariis.* p. 140.

TIT. II. *De ordine, veritate atque perfectione generatim.* p. 147.

II. In-

II. Interpretatus sum ELEMENTA ONTOLOGIAE, vide §. 5. seq. Pr. dicendo

SECT. I. *De Entis in se spectati natura atque determinationibus.*

CAP. I. *De Entis, qua talis, notione atque constitutione.* p. 159.

CAP. II. *De vi atque substantia agnatisque non-nullis notionibus generalibus.* p. 168.

CAP. III. *De subsistentia entis generatim.* p. 181.

SECT. II. *De generalibus operationum substantiarum in se spectatarum legibus atque regulis.* p. 189.

SECT. III. *De entium qua talium nexu.*

CAP. I. *De variis entia connectendi modis generatim.* p. 206.

CAP. II. *De nexu caussae atque caussati.* p. 217.

SECT. IV. *De variis nexus entium consectariis generatim.*

CAP. I. *De consectariis nexus entitativi, de loco scilicet, situ, spatio atque extenso generatim.* p. 233.

CAP. II. *De consectariis nexus substantialis atque entitativo-substantialis & speciatim de praesentia atque unione.* p. 244.

SECT. V. *De quibusdam entium qua talium differentiis ex eorum perfectione atque imperfectione concipiendis generatim.*

CAP. I.

CAP. I. *De limitato atque illimitato seu finito atque infinito* p. 253.

CAP. II. *De generibus atque speciebus entium eorumque fundamentis, & quae inde fluunt notionibus generatim* p. 263.

III. Ideam entis per ideam simplicis magis determinavi, atque ita MONADOLOGIAM, vide §. 7. Pr. partem Metaphysices a reliquis distinctam, constitui. Non vero hoc facto partes philosophicae praeter necessitatem multiplicatae sunt, ut vir quidam doctissimus monuit, sed principia accurate, ita ut fieri debet, distingui possunt. Quod quilibet per se intelliget, res enim ipsa idem loquitur, & experientia in hocce studiorum genere exercitatum magis confirmat, necesse solummodo est, ut super doctrina de ente, accidente, simplici atque composito reflectat. Divisum est hocce Metaphysicae caput in duas partes, *generalem* atque *specialem*. In illa agitur

SECT. I. *De entis simplicis in se spectati natura atque determinationibus.*

CAP. I. *De entis simplicis qua talis essentia atque existentia* p. 275.

CAP. II. *De entium simplicium qua talium qualitatibus & quae inde immediate fluunt* p. 285.

SECT. II. *De variis modis quibus entia simplicia diversa esse possunt.*

CAP. I. *De diversitate entium simplicium generatim* p. 289.

CAP. II. *De entium simplicium diversitate speciatim.*

TIT. I. *De diversitate entium simplicium mere passivorum* p. 295.

TIT. II. *De diversitate entium simplicium activorum, ubi simul de entibus spontaneis permulta explicantur* p. 311.

SECT. III. *De entium simplicium nexu, variisque eiusdem consectariis.*

CAP. I. *De nexu entium simplicium eiusdem speciei huiusque nexus consectariis.*

TIT. I. *De variis modis, quibus entia simplicia mere passiva connecti possunt, & praesertim de regulis motus, quae inde fluunt* p. 338.

TIT. II. *De variis modis, quibus entia simplicia activa non-spontanea connecti possunt* p. 351.

TIT. III. *De variis modis, quibus entia simplicia spontanea qua talia connecti possunt* p. 356.

CAP. II. *De nexu entium simplicium diversae speciei, huiusque nexus consectariis.*

TIT. I. *De variis modis, quibus entia simplicia passiva atque activa non-spontanea connecti*

cti possunt, & principiis, quae inde proxime fluunt, quorum explicatione ad corporum cognitionem via sternitur p. 359.

TIT. II. *De nexu entium simplicium spontaneorum passivorum atque activorum non-spontaneorum inter se, & principiis, quae inde proxime fluunt, quorumque ope commercium inter mentem & corpus commode infra explicari poterit* p. 363.

Pars Monadologiae specialis in naturam atque constitutionem elementorum brevissimis inquirit p. 370.

IV. Notionem entis per compositi notionem magis determinavi, atque hancce Metaphysicae partem, & ex ratione ante notata a reliquis distinctam SOMATOLOGIAM dixi, vide §. 7. Pr. Dicitur hic

SECT. I. *De corporum in se spectatorum natura atque determinationibus*

CAP. I. *De corporum qua talium essentia atque possibilitate* p. 381.

CAP. II. *De corporum qua talium qualitatibus atque affectionibus & quae inde immediate fluunt* p. 391.

SECT. II. *De variis modis, quibus corpora diversa esse possunt, atque principiis, quae immediate inde fluunt* p. 410.

SECT. III. *De corporum nexu variisque eiusdem consectariis.*

CAP. I. *De nexu corporum generatim, atque iis, quae immediate inde fluunt* p. 423.

CAP. II. *De nexu corporum substantiali speciatim, & praesertim, de regulis motus, quae inde fluunt.*

TIT. I. *De nexu substantiali corporum solidorum tam elasticornm quam non-elasticorum, & regulis motus, quae inde fluunt* p. 433.

TIT. II. *De nexu substantiali corporum fluidorum & regulis motus, quibus ille explicari potest* p. 442.

TIT. III. *De variis modis, quibus corpora fluida cum solidis & solida cum fluidis substantialiter connecti possunt* p. 445.

Et tandem

V. Appendicis loco, & quo principia de quibus eruditi ratione mundi disputaverunt, explicari possint, MECHANOLOGIAM seu scientiam de machinis, qua talibus, constitui, vide §. 10. Pr. atque exposui

CAP. I. *Machinarum in se spectatarum essentiam atque determinationes intrinsecas* p. 451.

CAP. II. *Varios modos, quibus machinae diversae esse possunt, & principia, quae inde immediate fluunt* p. 461.

CAP. III. *Operationes, quae per machinam qua talem possibiles, earumque leges* p. 467.

Leges,

Leges, quas in explicandis hiſce capitibus, quae recenſui, ſequutus ſum, Cap. II. Praecognoſcendorum breviſſimis indicavi, in *Arte vero inveniendi*, quam nuperrime edidi, ſatis illuſtravi, ex fontibusque deduxi. Quaedam tamen de methodo perſpicuitatis gratia addam.

Definitiones ita, ut methodus philoſophica requirit, ſyſtematice propoſui, ſpecierum nimirum explicationes ex generis notione deducendo, ergo & hancce Legem dogmata a me affirmata interpretaturus ſpectare debet, ne mihi ſententias tribuat, a me nunquam probatas. Quod neglecta hacce Lege ſaepiſſime ab iis factum eſt, qui jurisprudentiam naturalem a me editam interpretati ſunt. Illuſtrabo dicta exemplo quodam. §. 21. Monadologiae, *entia ſimplicia paſſiva poſſibilia eſſe*, affirmavi, §. 89. Monadologiae, *omne ens motui alterius, quod in illud incurrit, reſiſtere*, docui. His poſitis, neglecta illa lege, facile fieri poterit, ut quis principia illa non cohaerentia nominet, argumentando: *Omne ens motui alterius, quod in illud incurrit, reſiſtit* (§. 89. Monadol.), *ergo & omne ens in aliud, quod in illud incurrit, agit* (§. 91. Ont.), *ergo omnis entis vis ſufficiens eſſe poteſt, licet principium aliquod efficiens extrinſecum, cur ſit ſufficiens, non requiratur* (§. 12. Ont.). *omne itaque ens eſt activum* (§. 20. Ont.), *ergo nec ens ſimplex paſſivum poſſibile dici poteſt.* Si vero eiusmodi opponens definitiones, quatenus ſyſtematice ſunt propoſitae, evolvat, principia illa praeclare inter ſe cohaerere, facile concedet. Definitiones enim entis paſ-

sivi atque activi per determinationem definitionis entis formatae sunt. Quae itaque differentias illorum specificas constituant, illis praeter entitatem competere debent. Definitio itaque entis passivi ita explicari debet: ens passivum est ENS, quod praeter entitatem (ut ita dicam) suam non agere potest, nisi per principium aliud efficiens ad agendum sit determinatum, &c. &c. Iam vero ens motui alterius, quod in illud incurrit, resistit, quatenus est ens. Ergo principia illa inter se nullo modo pugnant. Et ita porro.

Definitionum systematice formatarum loquendi usum, scriptis Doctorum, si necesse fuit, in Scholiis docui. Theoremata eorumque demonstrationes illarum ope constitui, & perspicuitatis gratia non diversis solum litteris distinxi, sed principia, quibus demonstratio componitur, vel expresse vel citatorum paragraphorum ope eo posui ordine, quo cogitari debent ab illo, qui veritatem principii demonstrandi perspicere cupit. Si vero citatis in paragraphis non expresse ea, quae quaeris, principia invenies, notare velis, me brevitatis gratia saepissime ea citasse principia, ex quibus per consequentiam immediatam deduci debent, quibus obvia in demonstratione usus sum. Atque ita necesse erit, ut, quae de consequentiis immediatis in Logica explicavi, quantum fieri potest, evolvas. Veritates, quae demonstratis ex theorematibus constitutisque definitionibus facili negotio inferri possunt, compendii gratia in corollariis, quae paragraphis

graphis plerisque subiunxi, ita indicavi, ut eorum ope tam Lectores quam Auditores permulta Metaphysicorum dogmata hocce in systemate non expressa & detegere & diiudicare possint, qua ex ratione etiam in quibusdam Scholiis cogitationes meas non magis solum, quam in commatibus fieri potuit, determinavi, sed & ad dicta viam patefeci. Plura de modo, quo hasce scientias tractavi, caput secundum Praecognoscendorum docebit.

Haec dicenda videbantur in primis; cetera ipsae quemque docebunt institutiones. Hoc modo addo. Doctrinas hocce in opere explicatas praevia quidem cogitatione animo concepi, quoniam vero simul hunc ad finem destinatum erat, ut praelectionibus meis serviat, fieri non potuit, ut elaborandis hisce doctrinis tantum temporis atque diligentiae impenderem, quantum obiecta, quae pertractavi, a me postulabant, egoque optabam. Limam itaque adhibere, singulaque semel iterumque expolire per molem occupationum, quae mihi quotidie incubuit, non licuit. Si quid ergo elegantius accuratiusque dicendum fuisse iudicaveris: facile ad sententiam tuam accedam. Veritas interdum, ut in quibusdam dogmatibus a Philosophis recentioribus, quos veneror, dissentiam, me coëgit, hac ex ratione tamen nemini, quod quidem sciam, bellum indixi, atque cum nullo immodestius contendi, ergo & a dissentientibus peto, ut illud agant, quod eruditione atque aequitate dignissimum.

His

His praemissis accipe LECTOR BENEVOLE primum huncce Metaphysices Tomum, & si tibi hicce non plane displicuerit, alterum quoque, qui PSYCHOLOGIAM EMPIRICAM, RATIONALEM, PNEVMATICAM, THEOLOGIAM NATVRALEM, COSMOLOGIAM MECHANICAM, DE CIVITATE DEI SCIENTIAM, & tandem RERVM ET MATERIARVM IN TOTO OPERE EXPLICATARVM INDICEM complectetur, a me exspecta. Vale, Tuoque favori ac benevolentiae me laboresque meos commendatos habe. Scrib. Ienae M. Mart. CIↃ IↃCCXLIII.

META-

METAPHYSICAE
PRAECOGNOSCENDA

QVAE

NATVRAM ATQVE CONSTITVTIONEM

HVIVS SCIENTIAE EXPONVNT

MODVMQVE EAM TRACTANDI

INDICANT

VERVLAMIVS
De augment. scient. Lib. I. p. 10.
ET
SPENERVS
In confessione naturae contra atheistas Part. I. p. 125.

Philosophia obiter libata a Deo abducit; penitus hausta reducit ad eundem.

PRAECOGNOSCENDORVM METAPHYSICAE

CAPVT I.

DE METAPHYSICAE NATVRA ET CONSTITVTIONE

§. I.

INferiora omnes ſuperiorum determinationes continere, patet ex Logicis. Nec minus eadem ſcientia docet, de rebus inferioribus nos diſtincte cogitare atque ordine loqui non poſſe, niſi ſuperiorum notiones habeamus, &, quomodo inferiorum ideae per ſpecificam ſuperiorum determinationem ortum trahere poſſint, intelligamus. Philoſophi itaque, non dico hominis, officium eſt, vt, antequam de rebus quibusdam inferioribus cogitat atque loquitur, generales, quae iis inſunt, determinationes a ſpecialioribus ſeparet (§. 176. P. Log.), atque de his notiones, quantum eius fieri poteſt, diſtinctas & completas ſtudioſe conquirat. Separare, quae ſunt coniuncta,

Abſtractio quid eiusque vſus generatim.

iuncta, idem est ac *abstrahere* (§. 124. Log.). Saltu itaque ad grauissimas quaestiones soluendas procedimus, generalibus a specialioribus non abstractis, notionibusque abstractorum non explicatis.

Vsus loquendi probatur.

SCH I. Generatim quidem Philosophis abstrahere idem est, ac vnum sine altero concipere. Qua ex ratione etiam, quoniam, qui vnum de altero negat, illud sine hoc cogitat, *abstractionem* in *praecisiuam* & *negatiuam* diuidunt. vid. PETR. HVRTADVM DE MENDOZA *in Disputat. de vniuersa Philos. Disp. 3. Log. Sect. I. §. 4.* Principium vero ARISTOTELIS Lib. II. Phys. c. 2. *quod abstrahentium non sit mendacium* mihi persuadet, fieri posse, vt abstractionis terminus simpliciter positus abstractionem praecisiuam significet.

Eiusque species indicantur.

SCH. II. Vario modo, quae coniuncta sunt, separari possunt, ergo & varias abstractionis species constituerunt Philosophi. Separantur enim quae coniuncta sunt vel ita, vt vnum separatim ab altero existat vel non. Si prius, *abstractionem* vocarunt *realem*, & si posterius, *abstractio rationis*, ab aliis etiam *abstractio praecisionis*, dicitur; & vltimum fit vel ope sensus vel ope intellectus, qua ex ratione etiam abstractionem praecisionis esse vel *abstractionem sensus* vel *intellectus* affirmarunt. vid. IACOBI MARTINI *Exercit. Metaph. Lib. I. Ex. VIII. Theor. IX.*

Et quae hic notanda ostenditur.

SCH. III. Nec abstractione reali nec abstractione praecisionis sensus vniuersalia fieri posse, nulla indiget probatione. Abstrahere vero debet Philosophus, quo vniuersalium acquirere possit cognitionem. Sequitur itaque Philosophorum abstractiones esse praecisionis atque intellectus. Alii quidem adhuc nouos terminos adhibuerunt, dicendo, Philosophum atque speciatim Metaphysicum abstrahere debere *secundum indifferentiam* seu *permissiue*, non vero *secundum essentiam* seu *excellentiam*. Species vero, quae ex generis definitione non possunt deduci, non admittam. Ergo nec est, vt hac de distinctione pluribus dicam.

§. II.

§. II.

Repraesentatio rei in vniuersali, quae animae ineſt, dicitur *notio.* (§. 104. P. Log.). Et *de obiecto quodam qua tali dicere* idem eſt, ac in iis, quae de obiecto determinato dicuntur, nil ſupponere, quam ipſius notionem (§. 177. P. Log.). Quae ergo de obiecto quodam qua tali dicuntur, de eodem dicuntur abſtractiue (§. 1.). *Iis itaque, qui de obiectis concretiue ſpectatis erudite atque ſolide dicere cupiunt, potiſſimum incumbit, vt primum de iisdem obiectis qua talibus, quantum fieri poteſt, diſtinctas atque completas notiones ſtudioſe conquirant.*

Facta abſtractione res qua tales ſpectantur.

§. III.

Oriuntur inde partes eruditionis, quae *ſpeculatiuae* dicuntur. Et quoniam philoſophi eſt, vt cogitationes ſuas ſcientifice proponat (§. 165. Cor. P. Log.). Dictae eruditionis partes etiam ſcientiarum acceperunt nomen. Sunt itaque *ſcientiae ſpeculatiuae*, in quibus ea, quae per obiecta qua talia poſſibilia, euoluuntur.

Inde oriuntur ſcientiae ſpeculatiuae.

COR. Quot igitur ſunt obiecta, de quibus qua talibus dici poteſt, tot quoque erunt partes eruditionis ſeu ſcientiae ſpeculatiuae.

SCH. Tres quidem nonnulli philoſophorum partes eruditionis ſpeculatiuas tantummodo poſuerunt, fundamentum diſtinctionis in diuerſis abſtrahendi modis ponentes. Triplicem enim *Scholaſtici* faciunt abſtractionem quarum *prima* ex eorum ſententia tantum fit a materia ſingulari, quam ipſi vocant materiam ſignatam. Hac igitur abſtractione materiata quidem retinemus, ſed ab indiuiduis auellimus. *Secunda* fiat a materia non ſolum ſingulari, ſed etiam vniuerſali: quando nimirum id, quod materiae quidem immerſum eſt, ſine mentione materiae concipimus. Et *tertia* fiat ſecundum rem, quando nimirum ea in vniuerſali cogitamus, quae ſine materia exiſtunt. Et ex primo abſtractionis modo *Phyſicae*, ex ſecundo *Matheſeos*,

Quarum diuiſiones a ſcholaſticis factae reiiciuntur.

& ex tertio *Metaphysicae* notionem formant. vid. IACOBI MARTINI *partitiones Metaphysicas* Lib. I. Quaest. VI. & PET. MVSAEI Inst. Metaphys. Cap. I. §. 13. seqq. Sed quoniam, fundamentum huius distinctionis teste MARTINO l. c. minus perspicuum atque adaequatum est, non sine ratione eam sequar partitionem, quam ductu principiorum Logicae §. 178. sqq. P. Log. feci.

§. IV.

Quarum princeps est metaphysica.

Et ita incidimus in scientiam quandam speculatiuam de iis, quae per ens proprie sic dictum qua tale, eiusque varias species qua tales possibilia, quae *Metaphysicae* accepit nomen. Quae summa cum ratione princeps scientiarum speculatiuarum nominatur (§. 159. & 146. P. Log.).

Vsus loquendi probatur.

SCH. Mutauit saepe faciem haec disciplina; vnde etiam variae eiusdem significationes ortae, de qua re legendi inprimis sunt CEL. STOLLIVS **in der Anleitung zur Historie der Gelahrheit.** Cap. II. §. LIV. seqq. & IACOBVS THOMASIVS *in historia variae fortunae, quam disciplina Metaphysica iam sub Aristotele, iam sub Scholasticis, iam sub recentibus experta est*, adiecta *Erotematibus* eius *Metaphysicis*. Ratio vero datae definitionis haec est. ARISTOTELES in XIV. Libris quos post physicam tractauit seu, vt alii volunt, inuestigauit, qua ex ratione etiam iis inscriptio τῶν μετὰ φυσικὰ incertum quo auctore praefixa, doctrinam de Deo, Spiritibus atque ente in genere eiusque attributis pro statu cognitioneque sua exposuit. Menti igitur ARISTOTELIS quam maxime conuenit, hac in scientia de ente qua tali eiusque speciebus qua talibus dicere. *Scholastici* quidem, a quibus etiam huic scientiae ob rationem, quam diximus, Metaphysicae impositum est nomen, vid. CHRIST. DREIERVM in Philos. prima disp. III. §. 1. seqq. postea in Metaphysica tantummodo de ente qua tali, seu vt dicunt, *de ente quatenus est ens & quatenus separabile est*, dixerunt. Quoniam vero inde factum est, vt permulti Metaphysicam Lexicon philosophicum licet non cum

sufficien-

sufficiente ratione nominauerint, & Metaphysicae significatio plane contra intentionem ARISTOTELIS eiusque interpretum restricta sit, summa cum ratione sententias recentiorum interpretumque dicti Philosophi sequutus significationem Metaphysicae ita extendi, vt data definitio indicat.

§. V.

Metaphysicae partes generatim indicantur.

In duas itaque Metaphysica generatim diuidi potest partes, quarum *prima* de iis, quae per ens qua tale, *altera* de iis, quae per varias entis species qua tales possibilia agit. Prima cum Philosophis *pars Metaphysicae generalis*, cui etiam *Ontologiae* ab aliis etiam *Ontosophiae* (vide CLAVBERGII Ontosophiam) imponitur nomen, & altera *Metaphysicae pars specialis* dici potest.

COR. I. In Ontologia igitur nil supponere licet nisi notionem entis (§. 2.), & hac ex notione affectiones, quae enti in abstracto spectato competunt atque competere possunt, legitime sunt deducendae (§. 159. & 146. P. Log.).

COR. II. Vsus itaque Ontologiae vniuersalis est (§. 1.). Qua ex ratione etiam omnibus Metaphysicae partibus praemittenda. Et simul patet, inconueniens esse Ontologiam Lexicon philosophicum nominare. In Lexicis enim vocum saltem significatus explicantur, aut principia ab aliis proposita methodo alphabetica recensentur.

§. VI.

Philosophia prima quid.

In Ontologia ex entis notione ea deducenda sunt, quae enti in abstracto spectato competere possunt. (§. 5. Cor. 1.). Antequam igitur Ontologiam euoluere possumus, necessarium est, vt generalia quaedam cognoscamus principia atque notiones generales, quo vsu regularum logicarum posita ex notione dictas affectiones possimus inferre (quod ex doctrina de ratiociniis in Logica sufficienter explicata statim patebit). Formari itaque debet scientia de primis cognoscendi principiis, quorum ope

ope tam entis notio inueſtigari, quam ex entis notione concluſiones deduci poſſunt. Et haec eſt ſcientia, quam VERVLAMIVS Lib. III. Cap. I. *de augm. ſcient. Philoſophiam primam* eam nominans, a Metaphyſica ſeiungendam eſſe dicta ex ratione putauit.

COR. Si ergo a Metaphyſica & ſpeciatim Ontologia Philoſophiam primam velimus ſeiungere, methodus Philoſophorum requiret, vt haec Ontologiae praemittatur (§. 198. ſeqq. P. Log.). Qua ex ratione etiam abſolutis Metaphyſicae praecognoſcendis, primo Philoſophiae primae; quam etiam vniuerſalem nominare poſſumus, principia explicabo (§. 5. Cor. 2.).

Phil. prim. cur ab Ontologia diſtinguatur.

SCH. Philoſophis plerumque Philoſophiam primam atque Ontologiam idem ſignificare, non nego. Non tamen ſine ratione interpretationem VERVLAMII ſequutus ſum, & hanc ita accipe. Ontologus affectiones, quas ens in abſtracto ſpectatum ſibi vindicare poteſt, ex entis notione ita eruere debet, vt omnia ſcientifice proponantur (§. 5. Cor. 1.), vt igitur enti qua tali affectiones illas ineſſe demonſtret, neceſſe eſt (§. 159. P. Log.). Sed omnia rigoroſe demonſtraturus ſaepius ſyllogismis ordinariis vti debet, quibus ex primitiuis principiis concluſiones deſideratas deducit (§. 146. 123. ſqq. P. Log.). Syllogismus vero ordinarius formari nequit, niſi habeamus maiorem & minorem (§. 251. Log.). Minores propoſitiones, quae vltimis ſyllogiſmis ordinariis, quibus in demonſtrationibus ontologicis vtimur, ingrediuntur, notio entis exhibebit, ſed unde maiores? ex notione entis? minime. Quamobrem, cum, quae non ex notione entis fluunt, ad Ontologiam minime pertineant (§. 5.), maiores illae propoſitiones ſumendae ſunt ex ſcientia quadam Ontologiae praemittenda. Sed Logica qua talis eas non exhibet (§. 211. P. Log.). Sequitur itaque, vt ſcientia quaedam Ontologiae praemittenda, quae dicta principia explicat atque ſufficienter probat. Quod vero Philoſophia prima illa porrigere debeat, nulla indiget probatione; vt itaque Philoſophiam illam primam ab Ontologia diſtinguamus neceſſe eſt. Non dicam de vſu huius diſtinctionis, quae per inductionem ſufficienter patebit.

§. VII.

§. VII.

Quod partem Metaphysicae specialem attinet, illa agit de speciebus entis qua talibus (§. 5.). Ens vel est in alia entia resolubile vel non. Si prius, est *compositum*, & si posterius, est *ens simplex* seu *monas*. Oritur itaque scientia de iis, quae per ens simplex qua tale possibilia, & scientia de iis, quae per ens compositum qua tale possibilia. Prima dicitur *Monadologia generalis*, & secundam *Somatologiam* nominabo. *Monadologia & Somatologia quid.*

SCH. Monadologiae principia primo duce Pythagora exposuit Leibnitius. Quae vero in Somatologia explicanda, partim in Ontologia partim in Cosmologia pertractata sunt a Philosophis. Sed methodus atque scopus, quae mihi praescripsi, requirunt, vt notiones generales de ente composito in systema colligam. Et ita ex consideratione compositorum qua talium disciplinam hactenus non separatim expositam formabo, quae Metaphysicae partibus summo cum iure annumeranda. Vsus vero huius seiunctionis suo loco abunde patebit. *Origo partium.*

§. VIII.

Inter monades etiam prima corporum stamina referenda sunt, quae *Elementa* a Philosophis dicuntur. Ergo & Metaphysicus de iis agere debet, quae per elementa qua talia possibilia. Quam Metaphysicae partem *Monadologiam speciatim sic dictam* nominabo. *Monadologia speciatim sic dicta.*

§. IX.

Corporum prima stamina sunt elementa. Ergo de corporum qua talium affectionibus vix quaedam scientifice proponi possunt sine vsu principiorum, quae ex notione elementorum fluunt. Sed elementa sunt monadis species (§. 8.). Ergo & ante naturam monadis qua talis intelligere debemus, quam de elementis & deinde de corporibus scientifice dicere possumus (§. 1.). Somatologiae *Ordo partium positarum.*

itaque Monadologia ſpeciatim ſic dicta, & Monadologiae dictae Monadologia generalis praemittenda eſt.

SCH. Monadologiam generatim & ſpeciatim ſic dictam vno nomine *Monadologiam* dicam. Haec igitur Monadologia Somatologiae praemittenda, in duas diuidi debet partes, in generalem & ſpecialem, *illa* de monade qua tali, *haec* de ſpecie quadam monadis, elemento ſcilicet, aget.

§. X.

Mechanologia quid.

Optima compoſiti ſpecies eſt machina. Non itaque ſine ratione Metaphyſicus partem ſcientiae de iis, quae per machinam qua talem poſſibilia, agentem a reliquis dictae ſcientiae partibus ſeiungit. Hoc vero quo fieri poſſit, huic ſcientiae *Mechanologiae* impono nomen.

Ordo partis.

COR. Somatologia ergo Mechanologiae praemittenda eſt. (§. 1.).

Vbi WOLFIVS de hac re.

SCH. Illuſtris WOLFIVS hanc Metaphyſicae partem in Cosmologia ſua generali expoſuit. Si enim ea, quae de compoſito qua tali adhuc valent, ſegungamus, non remanebunt principia, niſi quae ex natura machinae qua talis fluunt. Ill. igitur WOLFIO Cosmologia idem eſt ac ea ſcientia, quam mechanologiam nominaui. Rationem quoque, cur Mechanologiam a Cosmologia diſtinxerim, nullo fere negotio reddere poſſum. Mundum eſſe machinam Ill. WOLFIVS in Met. germ. § 557. & in Cosmologia lat. §. 73. affirmauit. Quod vero omnis machina ſit mundus, vi §. 75 Cosmol. citatae concedere nequit. Sequitur itaque, machinam eſſe genus, inter cuius ſpecies mundus ille, quem dicta in Cosmologia explicauit, referendus. Cosmologia itaque illa non naturam machinae generatim ſic dictae, ſed ſub determinationibus quibusdam ſpecificis ſpectatae vt indicet atque euoluat, neceſſe eſt. Metaphyſicus igitur de mundo illo dicturus, primo ea, quae per machinam qua talem poſſibilia euoluere debet, atque adeo ratio, cur a Cosmologia illa Mechanologiam diſtinxerim, ſufficiens

ciens est. Si placet, Mechanologia etiam *Philosophia mechanica*, Somatologia *Philosophia corpuscularis*, & Monadologia *Philosophia atomistica* dici potest. Optime tamen fiet, si ab hoc terminorum vsu velimus abstinere. Quoniam enim hic adhiberi nequeunt, nisi significatus, quos per illos Philosophi voluerunt exprimere, ex parte restringantur, & ex parte extendantur, facile fieri potest, vt significatuum mutatio ideas producat a mente nostra alienas.

§. XI.

Psychologia & Pneumatica quid.

Entia simplicia non elementa sunt animae & spiritus. Ergo & Metaphysicus tam de iis, quae per animam qua talem possibilia, quam de iis, quae per spiritum qua talem possibilia, separatim agat necesse est. Primum dat *Psychologiae*, & alterum *Pneumaticae* seu *Pneumatologiae* definitionem.

Ratio distinctionis.

SCH. Quod quaedam anima sit spiritus, & quidam spiritus sit anima, ex vsu loquendi statim patebit, nec minus sine negotio inferri poterit. Animam vt animam non esse spiritum, & spiritum vt spiritum non esse animam. Alia enim est animae, alia vero spiritus notio atque essentia. Scientia ergo, quae de anima qua tali agit, non est scientia, quae agit de spiritu vt spiritu, & vice versa. Necesse ergo est, vt duplicem hanc scientiam distinguat Metaphysicus. Vide ea, quae §. 178. P. Log. dixi.

§. XII.

Theologia naturalis & pneumatica in specie talis quid.

Spiritus est vel finitus vel infinitus, & infinitus ille spiritus dicitur Deus. Ergo & inde oriuntur partes Metaphysicae, quarum illa de iis, quae per spiritum finitum qua talem possibilia: haec vero de iis, quae per Deum qua talem possibilia, dicit. Illam *Pneumaticam in specie sic dictam*, hanc vero *Theologiam naturalem* nominabo.

§. XIII.

Ordo partium explicatarum. Si in Theologia naturali omnia rigoroſe demonſtranda ſunt, ſaepius vtendum eſt principiis pneumaticis. Principia pneumaticae vt demonſtrentur, ſaepius principia pſychologica neceſſaria ſunt. Pſychologiam demonſtraturus, principiis mechanologicis, & has demonſtraturus principiis ſomatologicis vti debet (Quae omnia definitionum conſiderationes ſtatim docebunt). Theologiae igitur naturali Pneumatica, Pneumaticae Pſychologia, Pſychologiae Mechanologia, & Mechanologiae Somatologia praemittenda eſt. Pneumatica vero ſpeciatim ſic dicta Pneumaticae ſimpliciter ſic dictae compendii gratia pars altera fiat.

§. XIV.

Philoſophia experimentalis quid. Ea eruditionis pars, qua ſtabiliuntur principia per experientiam, vnde ratio redditur eorum, quae in obiectis quibusdam obuiis fiunt, nominatur *Philoſophia experimentalis.*

Explicatio nominis. *SCH. I.* In hiſtoria obſeruationes tantum recenſentur. (§. 167. P. Log.). In Philoſophia vero experimentali non obſeruationes ſolum recenſentur. Philoſophiam itaque experimentalem ſimpliciter hiſtoriae partem nominare non licet. Philoſophia eſt ſcientia de rerum affectionibus ex illarum notionibus (§. 176. P Log.). Quae vero ex experientia colligimus, non inferimus ex rerum notionibus. Ergo & Philoſophia experimentalis pars Philoſophiae ſimpliciter poſitae nominari nequit. Meo itaque iudicio Philoſophiae experimentali optime eruditionis hiſtorico-philoſophicae partis imponitur nomen.

Vſus illius. *SCH. II.* Praeparat ergo Philoſophia experimentalis principia Philoſophis. Dum enim fieri nequit, vt omnia a priori cognoſcamus, neceſſe eſt, vt ex obſeruationibus, quas de obiectis docet experientia, de obiectorum affectionibus formemus definitiones atque notiones, ex quibus deinde ea deducere poſſumus conſectaria, quae obiectis illis qua talibus tribuenda.

Et

Et ita duce Philosophia experimentali peruenimus ad cognitionem philosophicam.

§. XV.

Cuius pars Psychologia empirica atque Pneumatica experimentalis.

Operationes animarum atque spirituum optime a posteriori cognoscere possumus. Definitiones atque notiones facultatum, quae animabus atque spiritibus insunt, ex dictis operationibus vt deducamus necesse est (vid. Log. §. 90. sqq.). Maximi igitur momenti est ea eruditionis pars, qua principia per experientiam stabiliuntur, quorum ope facultatum animarum atque spirituum notiones & definitiones formari possunt. Haec eruditionis pars, quatenus animae spectantur, dicitur *Psychologia empirica*, quatenus vero spirituum habetur ratio, *Pneumaticae experimentalis* accipiat nomen.

COR. I. Metaphysici officium est, vt tam de anima qua tali, quam de spiritu qua tali scientifice dicat (§. 11.). Quamobrem, cum Psychologia empirica Psychologiae, quam §. 11. definiui, & quae ab aliis etiam *Psychologia rationalis* nominatur, & Pneumatica experimentalis Pneumaticae §. cit. determinatae, & quam *Pneumaticam rationalem* eandem ab rationem dicere possumus, principia suppeditet: factum est, vt Philosophorum quidam Psychologiam empiricam vt & Pneumaticam experimentalem partes Metaphysices nominauerint.

COR. II. Et sequitur, quod explicatae Philosophiae experimentalis partes, in quibus tantummodo ea tractanda, quae ad operationes animarum atque spiritum attenti de iisdem cognoscimus (vid. IOH. CLERICI Pneumat. Sect. I. Cap. 1.), Psychologiae atque Pneumaticae rationali sint praemittendae.

An Partes Metaphysicae.

SCH. Dixi Cor. 2. Philosophos Psychologiam empiricam atque Pneumaticam experimentalem nominasse Metaphysicae partes. Sed obstat hic dubium: *in quacunque Philosophiae parte non de ente quodam qua tali dicitur, ea non est Metaphysicae pars* (§. 5.). *Atqui in Psychologia empirica atque Pneumatica experimentali &c. E.* Sed Resp. Partes illas Philosophiae experimentalis non esse proprie Metaphysicae partes con-

concedo, & hoc vt concedam, maxime etiam cum Philosophorum sententiis conuenit. Quoniam vero vix fieri poterit, vt Psychologia rationalis atque Pneumatica experimentalis, quae sine dubio inter Metaphysicae partes referendae (§. 11.), scientifice explicentur, nisi partes illae Philosophiae experimentalis expositae: eodem iure hasce eruditionis partes Metaphysicae imposuerunt, quo Philosophia prima eidem est imposita. vid. Sch. §. 6.

§. XVI.

Varii mundi significatus.

Triplicem mundi significatum philosophicum in P. Log. §. 178. & 179. posui, *Primo* enim machina illa, quae ex corporibus opacis atque lucidis per fluidum quoad spatium connexis composita, mundi accipit nomen, & dicitur in specie *mundus corporeus*, seu *regnum physicum*, seu, vt dixi in Logica, *mundus mechanicus; secundo* nexum Spirituum atque animarum nominaui *mundum*, & in specie moralem atque pneumaticum, ab aliis etiam dicitur *regnum morale*, cui optime *ciuitatis Dei* imponitur nomen, quoniam ciuitas in sensu generali non est nisi societas, cuius membra finem superioris sequi debent. Et ita regnum physicum summa cum ratione ciuitatis Dei nominatur territorium. Datur itaque nexus inter regnum physicum atque morale, quem *mundum transcendentalem* in Logica nominaui. Dici etiam potest *ciuitas Dei in toto suo ambitu spectata*, quoniam terminus ciuitatis tam obiectiue quam subiectiue sumitur.

Vsus loquendi probatur.

SCH. I. Acutissimus HANSCHIVS ex mente LEIBNITII *in Principiis Philosophiae Leibnitii* in propos. 88. seq. hac de re ita loquutus est: *Omnes Spiritus simul sumti constituunt ciuitatem Dei h. e. regnum omnium perfectissimum sub perfectissimo Monarcha. Haec ciuitas Dei vere vniuersalis, est mundus moralis in mundo naturali*, &c. & Theor. 133. *datur harmonia perpetua inter Regnum naturae & regnum Gratiae*, & Cor. 1. in ther. *regnum vero gratiae est mundus moralis in mundo naturali*, & theor. 78. Sch. 2.: *Caue somnies*

nies LEIBNITIVM *animas facere rotas machinae mundanae corporeae. Pertinent enim animae humanae ad regnum non physicum, sed morale, & proinde partes sunt vniuersi creaturarum vt ciuitatis diuinae, non vt machinae corporeae diuinae.* Quibus ex principiis facile inferri potest, dicta cum sententiis Philosophi conuenire.

SCH. II. Definiui ciuitatem Dei, sed mouetur quaestio, an terminus ciuitatis hic possit proprie sumi. Ciuitatem stricte sic dictam in *Jurisprudentia vniuersali* §. 655. seqq. explicaui, *quod scilicet sit plurium hominum sui iuris securitatis caussa coniunctio cum admisso communi imperio.* Qua ex explicatione facile intelligitur, ciuitatis significatum, si de ciuitate Dei dicitur, esse extendendum. Illas enim cogitando omittere debemus determinationes, quibus definitio ad ciuitates in mundo particulares restricta. Dici itaque nequit, quod ciuitas Dei sit ciuitas metaphorica, sed quod hoc sensu ciuitatis definitio sit generalior, & non ad obiecta particularia & fora humana restricta. Qua etiam ratione AVGVSTINVS in *ciuitate Dei* ciuitatis significatum extendit, *multitudinem hominum aliquo societatis vinculo colligatam* ciuitatem nominans.

An ciuitatis terminus hic proprie sumatur.

§. XVII.

Scientia de iis, quae per mundum qua talem possibilia, dicitur *Cosmologia.* Triplex ergo mundi significatus etiam tres Cosmologiae species exhibere debet. Si enim mundus mechanicus seu regnum naturae spectatur, *Cosmologiam* in P. Log. §. 178. *mechanicam* nominaui. Si vero mundi pneumatici habetur ratio, *Cosmologiam* l. c. dixi *pneumaticam.* Et tandem scientiae de iis, quae per mundum transcendentalem seu ciuitatem Dei in toto suo ambitu spectatam qua talem possibilia l. c. §. 179. *Cosmologiae transcendentalis* imposui nomen.

Varii illi significatus dans varias cosmologiae species.

COR. Cosmologia igitur transcendentalis nec spectat mundum mechanicum, nec mundum moralem, sed tantummodo ea, quae per nexum huius cum illo qua talem possibilia (§. 16.).

§. XVIII.

§. XVIII.

Quae ex illis ad Metaphysicam pertinet indicatur.

Machinam esse entis proprie sic dicti speciem ex infra demonstrandis sufficienter patebit. Scientia igitur, quae de iis, quae per mundum mechanicum qua talem possibilia, agit, inter Metaphysicae partes summo cum iure referenda est (§. 4. & 16.). Metaphysicae itaque pars etiam est Cosmologia mechanica (§. 17.).

§. XIX.

Quando tractanda.

De determinata quadam machinae specie vix conclusiones quasdam distincte inferre possumus, antequam ea distincte percepimus, quae scopus dictae machinae docet. Sed quis scopum mundi mechanici cognoscere poterit, antequam ea cognouerit, quae ex perfectionibus diuinis fluunt. Theologia itaque naturalis Cosmologiae mechanicae praemittenda est (§. 12. & 17.).

Quod ex scriptis Wolfii indicatur.

SCH. Eandem conclusionem ex scriptis Ill. WOLFII infero. Cosmologiam enim transcendentalem Theologiae naturali praemisit, sed quae est ratio, cur Ill. Auctor ne vnicam quidem propositionem in Cosmologia sua demonstrauerit vel explicauerit, qua proprietatem quandam mundi cognoscere possimus. Certissime, quia de mundo determinate, id est, quatenus vt machina sub determinationibus quibusdam specificis spectatur, nil demonstrare potest, nisi qui perfectiones diuinas earumque consectaria ex notionibus suis cognouerit.

§. XX.

Cosmologia pneumatica & transcendentalis an partes Metaphysicae.

Mundum pneumaticum atque ciuitatem Dei in toto suo ambitu spectatam non esse entis proprie sic dicti speciem, idea entis immediate docebit. Ergo nec scientia, quae illum qua talem, nec quae hanc qua talem explicat, partes Metaphysices proprie nominari possunt (§. 4.).

§. XXI.

§. XXI.

Dictas tamen partes, euolutis Metaphysices principiis, sub inscriptione *de ciuitate Dei* pertractabo, non ea ex ratione, vt fiant Metaphysices partes, ne agam contra principia demonstrata, sed quo vsus atque commodum Metaphysices ab Auditoribus statim intelligi atque perspici possit. *Cur in Metaphysica tractanda.*

SCH. Ergo nec est, cur de vsu Metaphysices pluribus hic dicam. Huncce enim non ea solum, quae §. 1. dixi, sufficienter indicant, sed & de ciuitate Dei tractatio ita docebit, vt quilibet cum Per-Illustr. de LVDEWIG in postulato III. Meditat. *de Definitione ac diuisione Metaphysicae*, quam *Opusculum VI. Opusc. suorum Philosoph. quae leguntur in Opusc. miscell. Tom. II. Lib. II.* porrigit, Metaphysicam non disciplinam solum vtilissimam nominare, sed & hac de re cum eodem VIRO PER-ILLVSTRI summa cum ratione dicere poterit: *Artis nullum osorem, nisi ignorantem esse, in prouerbio est. Hos vero refutare hic velle idem esset, ac ignaro Matheseos persuadere; solis magnitudinem multoties terram superare, cum oculi ne pileo quidem maiorem eius mensuram iudicent. &c.* Quae cum ita sint, cum CORNEL. MARTINI in praef. Metaph. peroro: *pereant illi quotquot iuuentutem nostram hisce tam salutaribus armis exuunt, & nudos violentissimis hostibus obiiciunt.* vid. pluribus HENNINGIVM ARNISAEVM *in Tract. de Const. & part. Metaph. Cap. I.* *Vsus Metaphysices indicatur.*

§. XXII.

Explicata itaque iubent, vt Metaphysicam euoluturus explanem 1.) Philosophiam primam (§. 6. Cor.). 2.) Ontologiam (§. 5.). 3.) Monadologiam. 4.) Somatologiam (§. 9.). 5.) Mechanologiam. 6.) Psychologiam empiricam & Pneumaticam experimentalem (§. 14.). 7.) Psychologiam rationalem. 8.) Pneumaticam rationalem. 9.) Theologiam naturalem (§. 13.). 10.) Cosmologiam mechanicam (§. 19.) & tandem. 11.) arduam de ciuitate Dei scien- *Quae in Metaphysica pertractanda colliguntur.*

tiam (§. 21.). Inquiramus igitur in methodum, qua veritates, quae indicatas scientias ingrediuntur, inuestigandae atque proponendae.

SCH. Permulta quidem adhuc constitui possent Metaphysices capita, quae posita magis determinant; quoniam vero ad specialiora descendere infiniti res laboris esset: generalia atque adeo posita tantum consectabor.

CAPVT II.

DE

MODO TRACTANDI METAPHYSICAM.

§. XXIII.

De modo tractandi Metaphysicam cur hic dicatur.

LEges methodi, qua Philosophus in tradendis dogmatibus vti debet, generales sunt: 1. *non sunt sumenda principia, nisi primitiua;* 2. *ex illis conclusiones legitimo modo sunt inferendae;* 3. *ea praemittenda sunt, per quae sequentia intelliguntur atque demonstrantur.* Qua cum methodo, quantum saluis dictis legibus fieri potest, methodus scholae atque tabularum connectendae. Essentia atque constitutione huius methodi in §. 198.-206. P. Log. generatim indicata, quoad singula membra in tractatione Logicae eam sufficienter explicaui. Pluribus itaque de methodo tractandi Metaphysicam Philosophiae partem hic dicere superuacuum videbitur. Quoniam vero singulae fere disciplinae aliquid singulare habent, operae pretium quidem erit, modum hunc tractandi statim ab initio magis determinare, quo, quae efficere possunt, vt de Methaphysicorum principiis cogitationes fiant determinatae & minus ambiguae, & via perueniendi ad distinctam principiorum metaphysicorum cognitionem fiat magis patefacta, statim in ipso limine cognoscerentur.

§. XXIV.

§. XXIV.

Quae vero obſeruanda ſpectant vel principiorum inueſtigationem, vel illuſtrationem, vel probationem. Et principia illa vel inter ideas vel inter propoſitiones referenda ſunt. Quod definitionum inueſtigationem attinet, notare velis, *Metaphyſicus eas, ſi modo fieri poteſt, a priori formet, neceſſarium eſſe.* Et hancce regulam tam ex idea Philoſophi generatim quam ſpeciatim ex idea Metaphyſici inferre poſſum. *Ex idea Philoſophi ita argumentor:* Quas Philoſophus rebus tribuit affectiones ex rerum notionibus vt deducat, neceſſe eſt (§. 176. P. Log.). Ergo & Philoſophi eſt, notiones conſequenter & definitiones, quas format, ex aliis notionibus atque definitionibus, quantum eius fieri poteſt, inferre. Quamobrem, cum eo modo notiones vel definitiones a priori formentur (§. 90. Log.), Philoſophus, ergo & Metaphyſicus notiones atque definitiones, quantum eius fieri poteſt, a priori formare debet. *Speciatim ex idea Metaphyſici ita concludo.* Metaphyſicus de iis dicere debet, quae per ens qua tale eiusque varias ſpecies qua tales poſſibilia (§. 4.), nil itaque ſupponere debet quam entis eiusque ſpecierum notiones (§. 2.). Notiones ergo affectionum, quas enti eiusque ſpeciebus tribuit, ex notionibus illis vt inferat neceſſe eſt. Atque adeo, quantum fieri poteſt, a priori formare debet notiones, quibus in Metaphyſica vtitur. (§. 90. Log.). *Modus inueſtigandi definitiones.*

COR. Ea ergo, quae §. 114.-125. & 127. Log. de notionum atque definitionum formatione a priori, & §. 129.-139. Log. de diuiſionibus atque diſtinctionibus logicis dixi atque explicaui, Metaphyſicam conditurus quam maxime obſeruare debeo.

SCH. Dixi, *quantum fieri poteſt.* Rationem huius limitationis vid. §. 14. ſeq. Si ergo Metaphyſicus a poſteriori definitiones atque notiones format, eas non vt Metaphyſicus format, ſed tantummodo, quo principia Metaphyſicae pro limitato ſuo intellectu inueſtigari poſſit. Idem etiam principium *Reſolutio dubii.*

ex iis inferri potest, quae de vsu methodi scholae atque tabularum §. 23. conf. P. Log. §. 205. indicata.

§. XXV

Modus inuestigatam definitionem probandi.

Definitionis inuestigatae possibilitatem demonstraturus, eam tam in conceptu formali quam obiectiuo spectare debet (§. 130. seqq. P. Log.). Priori respectu possibilitas illa ope regularum §. 126. Log. praescriptarum, & posteriori respectu definitionem possibilem esse ope §. 128. Log. euinci debet. Sed vltra posse nemo obligatur. Notionum metaphysicarum, per arbitrariam determinationem formatarum, possibilitatem in conceptu formali statim demonstrare, certissime labor erit, qui intellectum nostrum limitatum superat. Demonstrata igitur formatae notionis vel definitiones possibilitate in conceptu obiectiuo, quae ex Philosophorum consensu deducenda (§. 113. Cor. Log.), Metaphysicus notiones vel definitiones illas in conceptu formali tanquam veras sumat, donec ex conclusionibus inde deductis possibilitas vel impossibilitas illarum inferri possit. vid. Log. §. 126.

COR. Quae itaque ex definitionibus, vel notionibus, quas Metaphysicus tanquam veras sumit, legitime inferuntur, vera esse intelliguntur, quam primum definitionum vel notionum veritas fuerit euicta (§. 136. P. Log.). Ante vero quam haec euicta, propositiones inde illatae in numerum veritatum referri nequeunt, nisi sub hypothesi veritatis definitionum. Optime ergo aget Metaphysicus, qui, definitionum vel notionum veritate nondum euicta, more Mathematicorum principia inde illata hypothetice enuntiat.

§. XXVI.

Modus illustrandi inuestigatas definitiones.

Definitio, in conceptu formali spectata, exprimit characterum singulatim enumeratorum compositionem (§. 106. Cor. 4. P. Log. & §. 56. Log.). Quo igitur ea intelligamus, quae per definitionem dictam indicantur, necesse est, vt *primo* characterum separatim spectatorum habeamus notiones saltem claras, & *deinde*, quae per compositionem dictam speciatim exprimuntur, cognoscamus (§. 50. Log.).

Illu-

Illustraturus itaque definitiones dictas ea proponere debet, quae tam hanc quam illas excitare possunt notiones. *Primo* ergo resoluat datam illam definitionem in characteres eam constituentes, his illustratis eos *deinde* componat, quo facto via illustrandi erit patefacta.

COR. Metaphysicus definitiones atque rerum notiones, quantum eius fieri potest, a priori formare debet (§. 24.). A priori vero formaturus definitiones vel rerum notiones ex data quadam definitione vel notione alias deducere debet (§. 90. Log.) *vel* per characterum additionem, *vel* per positionem noui characteris loco dati, *vel* per characterum subtractionem (§. 114. Cor. Log.). Optime itaque Metaphysicus definitiones atque notiones formatas illustrare poterit, si *primo* explicet definitionem vel notionem, ex qua aliam quandam deduxit, *deinde* characterem additum, *vel* loco dati positum, *vel* subtractum intelligibilem reddat, & *tandem* inuestigandam notionem vel definitionem formet, eamque vsu principiorum in doctrina de modo proponendi veritates a Logicis praescriptorum perspicue ob oculos ponat.

§. XXVII.

Modus inuestigandi propositiones.

Alteram veritatum classem constituunt propositiones, quae vel practicae vel theoreticae. Quod vero practicae non in numerum veritatum metaphysicarum referendae, nullo negotio intelligitur. Pertinent itaque ad Metaphysicam tantummodo propositiones theoreticae. Hae vero sunt vel theoremata vel axiomata. Tam illa, quam haec duplicis sunt generis. *Haec* enim vel immediate ex definitione inferuntur, vel alia quadam ratione per se patent, & *illa* ex aliis quibusdam principiis vel immediate inferuntur, & tunc dicuntur corollaria, vel per syllogismorum concatenationem ex datis principiis deducuntur. Modum inuestigandi axiomata ex definitionibus §. 187. Log. Et modum inuestigandi corollaria atque theoremata §. 188.-301. Log. sufficienter explicaui. Vt igitur de his pluribus hic dicam, non necesse est. Quaedam tamen de propositionum illustratione atque probatione addam.

§. XXVIII.

Illustrari possunt propositiones vel directe vel indirecte. *Directe*, si propositio data in subiectum atque praedicatum resoluitur, tam huius quam illius ideae explicantur (§. 26.), & explicata praedicati idea ad subiectum explicatum applicatur, quod optime fieri potest per connubium rationis cum experientia. *Indirecte* vero explicari possunt propositiones per explicationem oppositi. Quamobrem, cum opposita propositio cum eodem subiecto oppositum combinet praedicatum (§. 223. Log.), propositionem quandam indirecte illustraturus, *primo* explicet subiectum, *secundo* sumat oppositum dati praedicati, quod, si explicatum, *deinde* applicet ad datum subiectum, & hanc *tandem* propositionem cum data conferat.

Inuestigatas illustrandi.

COR. I. Metaphysicus terminos ita explicare debet, vt vsus loquendi Metaphysicorum permittit (§. 25.). Fieri ergo potest, vt terminus in alia quadam scientia atque eruditionis parte alium exprimat significatum, quam in Metaphysica. Profecto eadem ex ratione fieri potest, vt terminus ille in alia Metaphysices parte alium indicet significatum, quam in parte determinata atque obuia. vid. §. 20. Cor. 1. Log. Quam maxime ergo illustrationem propositionum Metaphysicarum amplificabit variorum eiusdem termini significatuum expositio. Quod enim, si, reiectis reliquis significatibus, qui in obuia propositione valere debet indicatur, cogitationes nostrae fiant determinatae, ex dictis immediate sequitur.

COR. II. Necesse ergo est, vt Metaphysicus ea obseruet, quae de modo, quo termini vagi fieri possunt fixi, §. 19. seqq. Log. explicata.

§. XXIX.

Et illustratas probandi, ita, vt cognitio fiat certa.

Si cognitio nostra vsum quendam praestet, ea vel certa vel probabilis esse debet. Si sit certa, rationem sufficientem habere debemus, cur id quod cognoscimus vel verum vel falsum esse dicamus (§. 155. P. Log.). Habemus vero

vero dictam rationem sufficientem, si praedicatum subiecto inesse vel non inesse ostendere possumus (§. 155. Cor. 2. & 3. P. Log.). Et idem ostendi potest, vel ex eo, quod data propositio ex terminis patet, vel ope experientiae, vel ope demonstrationis tam directae quam indirectae (§. 138. 142. & 147. P. Log.). Quamobrem, cum Metaphysicus quae cognoscit, quantum eius fieri potest, a priori inferre debeat (§. 23.), illustratas propositiones, si non ex terminis patent, demonstret necesse est.

COR. Ea ergo, quae de demonstrationibus §. 302. seqq. Log. dixi atque explicaui, necessario spectare debet Metaphysicus.

§. XXX.

Continuatio diff.

Confirmare demonstrata, idem est ac nouas addere rationes de demonstratorum veritate vel falsitate. Si ergo demonstrata confirmantur, cognitio nostra certior euadit (§. 29.). Adduntur vero dictae rationes, si demonstrata cum experientia conuenire docetur; si quae directe demonstrata etiam indirecte demonstrantur; & si obiectionibus, quae vel principium vel modum probandi tangere possunt, respondetur. Triplici ergo hoc modo demonstrata confirmari, atque adeo cognitio nostra certior euadere potest.

§. XXXI.

Porro dicta continuantur.

De rebus maxime abstractis, & quae mutationem corpori nostro inducere nequeunt, dicentem optime agere, si demonstrata confirmet, nulla indiget demonstratione, licet variis ex rationibus, de quibus in prae-lectionibus dicam, probari atque demonstrari possit. Eiusmodi res sunt, quas Metaphysicus euoluere atque explicare debet. Ergo & Metaphysici est demonstrata confirmare, atque adeo, si fieri potest, demonstrata cum experientia conuenire docere, directe demonstrata etiam indirecte demonstrare, & adserta ab obiectionibus vindicare. Vide ea, quae de modo alios conuincendi atque refutandi in Logica dixi.

§. XXXII.

§. XXXII.

Modus illustratas propositiones probandi, ita vt cognitio nostra fiat probabilis.

Si dicta obseruamus, quae vt obseruem diligenter curabo, facile patebit, cognitionem nostram de rebus metaphysicis non semper euadere posse certam. Saepissime itaque in veritate probabili versari debemus (. §. 29.). Necesse igitur est, vt de modo probandi probabilitatem quaedam addam. Probabilis nostra est cognitio, si ratio, vi cuius propositionem quandam probabilem vocamus, magis ad rationem sufficientem accedit, quam ab eadem recedit (§. 162. P. Log.). Et hac ex notione infero: quoniam ex principiis vere oppositis necessario vnum verum alterum vero falsum est (§. 126. Log.), probabilitatem adserti demonstraturus 1.) propositionem, cuius probabilitatem velit demonstrare, eiusque vere oppositam ponere debet. 2.) Quaerere debet ea, quae adesse debent, si illa vel haec cum ratione sufficiente vera vel falsa sit nominanda (§. 345. Log.). 3.) Quae illorum adsunt demonstrare debet. 4.) Quaerere debet, an reliquorum, de quibus non demonstrare potest, quod adsint, impossibilitas in relatione ad datae propositionis subiectum demonstrari possit. Quodsi haec non possit probari, facili negotio, quae oppositarum propositionum probabilis, quae vero improbabilis probabilitatisque gradus euinci possunt.

COR. Metaphysici est demonstrata confirmare (§. 31.). Ergo & demonstratam probabilitatem si confirmet optime aget. Quod vero ea, quae de demonstratorum confirmatione §. 30. seq. dicta, si modo, quae natura obiecti mutare iubet, mutentur, etiam hic valeant, nullo negotio intelligitur.

Conclusio Praecognoscendorum.

SCH. Multa quidem supereſſent dicenda, si Logicam exscribere, & in Metaphysicam transferre instituissem. Sed id iam non ago. Dicta in vsum Auditorii, & quo methodus, qua vtar, perspici atque intelligi possit, adposui. Et hunc in finem proposita sufficiant. His itaque praemissis DEO duce, cuius Gloria sit scripti scopus, veniamus in Metaphysicae tractationem.

FINIS PRAECOGNOSCENDORVM.

PHILO-

PHILOSOPHIA PRIMA

QVAE

GENERALIA EXPONIT PRINCIPIA

E QVIBVS

ENTIS NATVRA EIVSQVE
AFFECTIONES DEDVCI
DEBENT.

PHILOSOPHIAE PRIMAE

SECTIO I.

DE POSSIBILIS ET IMPOSSIBILIS IN SE SPECTATI NATVRA

CAP. I.

DE PRINCIPIIS POSSIBILIS ATQVE IMPOSSIBILIS.

§. I.

Principium contradictionis ponitur.

POsito numero ternario eodemque remoto numerus ille, qui ponebatur, ad nihilum venit. Eodem modo patet principium generaliter enunciatum: *A & non A simul sumta nil ponunt.* Seu quod idem est: *fieri non potest, vt idem simul sit & non sit.* Quod *Principium Contradictionis* dixerunt Philosophi.

Explicatur.

SCH. Patet itaque ex dictis, quod, si quis sine periculo principium illud applicare velit, dicere debeat 1) *de eodem* 2) *secundum idem*, 3) *ad idem* 4) *eodem modo*, & 5) *eodem tempore.* Qua ex ratione etiam non-nulli Philosophorum iis ducibus, quae hocce de principio ARISTOTELES cap. 3. 4. & 8. lib. III. Metaph. & lib. I. c. 8. Post: dixit, principium illud hocce expresserunt modo: *fieri non potest, vt idem simul insit & non insit eidem, secundum idem, ad idem & eodem modo.* Sed quoniam τὸ *inesse*, quo vsi sunt, principii sensum praeter meritum coarctat, dum τὸ *esse*, quod principium ingreditur, tam *secundi* quam *tertii adiecti* esse debet vid. VELTHEMIVM in Metaph. cap. I. Ax. I. p. 66. (Ita enim ille: *Esse nunc idem est, quod existere, non esse idem, quod non existere: nunc esse idem significat, quod se ita habere, non esse idem, quod ita se non habere,*) optima principii expressio meo iudicio ea est, quam in §. posui.

§. II.

Quod non possit negari probatur.

Principium contradictionis neminem negare, nec de eodem dubitare posse, ita euinco: Ponamus, aliquem principium illud negare, ergo negat, quia ei falsum est hoc principium. Quod itaque dicit esse falsum, negat esse verum. Ergo ipse admittit falsum non esse verum. Atque adeo concedit principium contradictionis. Ponamus porro, aliquem de principio illo dubitare. Ergo & ipse admittit, non posse de eodem obiecto simul dubitari & non dubitari. Ergo & ipsa dubitatione principium illud confirmatur.

Quae probatio illustratur ex Aristotele & Mendoza.

SCHOL. I. Hoc sensu voluit ARISTOTELES *Lib. III. Metaph. c. 4.*, vt contradicentes redarguendo conuincantur, dum nimirum ex eius placitis colligamus, quod ipse negabat, vt sibi ipsi contradicens habeatur, vtque sic ad angustias redactus aut palinodiam canere, aut sibi ipsi contrarius esse cogatur. MENDOZA quidem in *Disp. Metaph. III. §. 19.* ex scholasticorum quorundam sententia alium huius principii conuincendi modum hisce praescripsit verbis: *si quis eiusmodi principia negauerit, vel distinxerit, fuste potius, quam ratione erit erudiendus. Quodsi conqueretur se percuti; respondebis, non quodlibet esse vel non esse, atque ita dum ipse percutitur eum non percuti, quia in eius sententia, idem potest simul esse & non esse* Eiusmodi vero conuincendi atque refutandi modus e Philosophorum scholis, vbi non fustibus sed rationibus erudimus, summa cum ratione proscribitur.

An principium hocce a quibusdam negatum.

SCHOL. II. Dum itaque principium illud sole meridiano clarius, credamus, cum MENDOZA *loc. cit.* a nullo vnquam homine illud esse negatum. Nihilominus tamen etiam hic valet prouerbium, quod nihil tam absurdum, ineptum & ab omni ratione abhorrens, quin aliquando aliquem assertorem & defensorem habuerit. Cum enim agitata esset controuersia inter Danielem Hoffmannum & Cornelium Martini, Helmaestadiensium eo dementiae abiisse nonnullos nar-

rat

rat DREIERVS in *disput. Metaph. V. §. 19.*, vt principium illud contradictionis neminem verum Christianum posse agnoscere aut debere assererent. Et idem referente STAHLIO in *Regulis Philos. Disp. 1 Reg. 1. §. VI.* quidam, qui se Israelitam Christianum nominauit, in *libello famoso contra Albert. Grauerum* assert. 3. orbi Christiano persuadere ausus est, affirmans: *axioma illud naturale, quod duo contradictoria non possint simul esse vera, cum impossibile sit idem simul esse & non esse, neminem verum Christianum posse agnoscere, imo nec debere.* Non dicam de Iudaeis, qui eodem STAHLIO *l. c. §. 7. ex Buxtorffii Synagog. Iud. cap. I.* referente, si duo Rabbini inter se contendant & pugnent, ac sermones contradicentes proferant, vtrumque doctrinam suam a Mose accepisse, credunt.

An Sceptici inter dicti principii negantes referendi.

SCHOL. III. Non tamen ad illorum sententiam descendere possum, qui Scepticos, e Pyrrhonis schola prodientes, illud etiam principium negasse affirmarunt, ita enim SEXTVS EMPIRICVS Lib. I. Pyrrhon. Hypot. cap. 10. *Non ea euertimus, quae per phantasiam patientem inuitos ad assensionem adducunt, - - sed quum quaerimus, an tale sit ipsum subiectum quale apparet, apparere quidem concedimus: quaerimus autem & ambigimus non ea de re quae apparet, sed de eo quod dicitur de re apparente* &c. Vide quae PETRVS GASSENDVS *Tom. I. Oper. Lib. II. Cap. III.* de principiis Logices Scepticorum recensuit atque explicauit. Sed quae hac de re dicta sufficiant. Vltro quidem concedo, non omnia, quae dici poterant a me, dum breuitati litaui, esse allata, haut despero tamen fore, vt quae ab aliis hac de re dicuntur, hinc percipere atque intelligere queat quisque facilius. Monitum hocce vt etiam in sequentibus notes velim.

§. III.

Principium contradictionis an absolute primum.

Principio contradictionis nondum supposito, quae ponimus, nec vera nec falsa nominare possumus. Quae enim ponimus nondum praestructo principio contradictionis simul vera &

falsa esse possunt, eodem igitur iure, quo vera nominantur, nominari etiam possunt falsa. Principio itaque contradictionis nondum suppositio posita nec vera nec falsa nominari possunt.

COR. I. Recte itaque dicitur, principium contradictionis esse principium absolute primum, quo prius dari non potest.

COR. II. Et simul sequitur, principium contradictionis esse indemonstrabile. Quidquid enim demonstrari debet, ex aliis vt deducatur principiis, necesse est (§. 146. P. Log.)

Argumenta contra prioritatem.

SCHOL. I. Ita facile occurri dubiis potest, quae hic plerumque subnasci solent, & quibus vel prioritatem vel indemonstrabilitatem vel vsum principii euertere conantur. Inter primi generis obiectiones refero: 1.) *Illud principium quod ponit diuisionem τῶ cogitabilis in esse & non esse, prius est principio, quod eiusmodi diuisionem supponit.* Atqui *principium;* quodlibet cogitabile aut est aut non est, *ponit diuisionem τῶ cogitabilis in esse & non esse, principium vero,* fieri non potest, vt idem simul sit & non sit, *eiusmodi diuisionem supponit.* E. 2.) *Pura propositio prior est modali, illud vero principium est purum, hoc vero modale* E. 3.) *Quod principium negat omne omnino medium inter esse & non esse, tum per exclusionem, tum per participationem vniuersalius est eo principio, quod negat solummodo medium per participationem. Atqui principium illud contradictionis negat tantum medium per participationem, principium vero, nullum datur medium inter esse & non esse, negat medium per participationem & per exclusionem.* E. 4.) *Notiora natura sunt priora minus notis. Atqui principium hoc* Ens est Ens, *secundum* ANTON. ANDREAM *quaest. 5. Met. est natura notius principio contradictionis.* E. Tandem etiam 5) notatu digna est argumentatio IOANNIS LOCKII in Libro de Intellectu humano: *De quocunque ne millesimus quidem quisque homo cogitat: illud non est primum. Atqui de principio contradictionis ne millesimus quisque cogitat.* E. &c.

SCHOL.

SCHOL. II. Indemonstrabilitatem Principii contradictionis Excell. STRAEHLERVS in *dissert. I. de Existentia Dei* §. 321. sequenti argumentatione euertere voluit: *Esse & non esse eiusdem sunt opposita. Hinc vnio eorum contradictionem constituit, quia contradictio dicitur oppositorum vnio. Quod autem cum contradictione est, est impossibile. Ergo τὸ esse & non esse eiusdem est impossibile, siue quod idem est, impossibile est, idem simul esse & non esse.* *Indemonstrabilitatem.*

SCHOL. III. Quae vsui Principii contradictionis opponuntur, STEPHANVS CHAUVIN in *Lex. Philos. Tit. Metaphys.* hisce recensuit verbis: *Hoc axiomate*, Impossibile &c. *nullius rei scientiam comparari probant, quia per illud axioma nihil potest demonstrari, nec a priori nec a posteriori, quod nec caussam, nec effectum contineat: huiusmodi autem est axioma, impossibile &c. vt quod rei cuiuslibet existentiam praesupponit citra omnem omnino respectum. Vtile quidem est illud axioma, cum ad pertinaciam aduersarii conuincendam, tum ad veritatem iam notam confirmandam: sed profecto haud dici debet principium scientificum, cum ad scientiam nostram nil quicquam conferat, neque posset vsurpari ad aliquam veritatem antea ignotam patefaciendam.* *Atque vsum Principii contradictionis.*

§. IV.

Explicato principio contradictionis, ita argumentor: Ponamus fieri posse, vt aliquid simul non sit & non-non sit; erit idem simul & non. Quamobrem, cum hoc principio contradictionis repugnet, *quodlibet esse vel non esse sequitur*, seu, *necesse est, aliquid vel esse vel non esse*, seu *de quocunque vera est vel affirmatio vel negatio.* Quod *principium exclusi medii* sc. inter duo contradictoria dicitur. vid. P. Log. §. 15. Cor. 1. *Principium exclusi medii.*

COROL. Principium itaque exclusi medii exprimit contradictoriorum conceptum proprium seu differentiam specificam, & principium contradictionis contradictoriorum conceptum communem seu genericum indicat (§. 33. seqq. P. Log.), atque adeo principii contradictionis atque exclusi medii differentia euicta est.

§. V.

§. V.

Principium certitudinis.

Quodlibet vel est vel non est (§. 4.). Quidquid vero est, idem simul non-non est (§. 1.). *Quodlibet igitur dum est, est.* Quod *Principium certitudinis* a Philosophis dicitur. vid. §. 2. Cor. 2. P. Log. Alii idem principium ita exprimunt: *Quodlibet, dum est, necessario est*, necessitatis vero natura atque constitutione nondum explicata, vt ab huius termini vsu abstineam methodus postulat.

§. VI.

Contradictio explicatur.

Qui idem simul esse & non esse pronunciat *contradicere* sibimet ipse dicitur. Qui esse dicit, affirmat, qui non esse dicit, *negat*. Ergo simultanea eiusdem affirmatio & negatio constituit *contradictionem*. Consequenter *contradictorium* dicitur, in quo idem simul affirmatur & negatur.

COR. I. Quo itaque respectu idem simul affirmamus & negamus, eo etiam respectu contradictionem committere dicimur. Ergo & fieri potest, vt alio quodam respectu pronunciata sint contradictoria, alio vero inter contradictoria minime referenda.

COR. II. Patet inde, nihil esse pro contradictorio habendum ante, quam respectus, quo de eodem aliquid affirmatum & negatum, fuerit detectus.

§. VII.

Contradictionis species indicantur.

Variae inde fluunt distinctiones. Fieri enim posse patet, vt contradictio videatur, quae non est, qua ex ratione etiam *contradictio apparens* dicitur, si vero est contradictio, cum addito *vera* nominatur.

COR. Apparens ergo contradictio contradictionis nomen non meretur. Quae itaque de contradictione simpliciter posita dicuntur, valent solummodo de contradictione vera.

§. VIII.

§. VIII.

Fieri etiam posse patet ex §. 6. Cor. 1., ut idem de eodem vel qua tali, vel qua non tali, sed sub alia quadam consideratione affirmetur & negetur. Si prius, *contradictio* dicitur *absolute talis*, & si posterius, *relatiue* seu *respectiue talis*. Ergo & contradictorium est vel absolute vel respective tale (§. 6.). Et in vtroque casu, contradictio esse potest vel *explicita* seu *patens*, hoc est, claris verbis expressa, vel *implicita* seu *latens*, id est, non claris verbis expressa, sed magis inuoluta. *Continuatio.*

COR. A contradictione igitur respectiue tali ad contradictionem absolute talem non valet consequentia (§. 6.). Ergo esse potest respectiue contradictorium, quod inter absolute contradictoriorum numerum minime referendum.

§. IX.

In contradictione idem simul affirmatur & negatur (§. 6.). Idem illud est omne, quod aliqua enuntiatione effertur, & a Metaphysicis vocatur *Cogitabile*. vid. Sch. 1. §. 3. Omne igitur cogitabile est vel contradictorium vel non (§. 6. & 4.). Et in vtroque casu vel absolute vel respectiue tale. *Cogitabile quid eiusque species.*

§. X.

Si cogitabilium vnum negat, quod alterum affirmat & vice versa, sunt *contradictorie opposita*. (§. 15. Log. P.). Vera igitur contradictio oritur ex contradictorie oppositorum coniunctione (§. 7.). Et ita etiam ex principiis Logices §. 223. seqq. demonstratis facile inferri potest, contradictionem latentem ex cogitabilium, quorum contradictoria oppositio inuoluitur, coniunctione oriri. Pluribus de his dicitur in Logica. *Oppositio contradictoria explicatur.*

CAPVT II.

DE POSSIBILIS ATQVE IMPOSSIBILIS NOTIONE ATQVE CONSTITVTIONE. SEV DE COGITABILIVM NATVRA ATQVE DIFFERENTIA GENERALI.

§. XI.

Possibile & impossibile aliquid & nihil quid.

Quicquid non implicat contradictionem, dicitur *possibile*, quicquid vero eam implicat *impossibilis* accepit nomen. Omne cogitabile est vel contradictorium vel non (§. 9.). Ergo & omne cogitabile est vel possibile vel impossibile. Cogitabile possibile vocatur *aliquid*, & impossibile *nihil*.

COR. Possibile igitur & impossibile seu aliquid & nihil sunt cogitabilis inferiora (§. 33. P. Log.).

Vsus loquendi probatur.

SCH. I. Vox *possibilis* a Philosophis opponitur vel existenti vel impossibili. Priori significatu possibile est, quod non actu existit, sed existere potest; posteriori vero, quod non est repugnans, & dicitur *possibile logicum*. vid. CHAUVINI *Lex. Phil. Tit. Possibile*. Vltimum termini significatum sequutus sum, quo vsu quoue commodo videbimus.

Cor. liberatur ab obiectionibus.

SCH. II. Aliquid & nihil esse cogitabilis inferiora dixi. Idem etiam TIMPLERVS Lib. I. Metaph. cap. II. qu. 1. hisce affirmauit verbis: *Sunt duo summa genera eorum, quae dicuntur intelligibilia: quorum vnum complectitur ea, quae per se, hoc est, per propriam notionem sunt intelligibilia: alterum ea, quae per accidens, hoc est, per notionem alterius sunt intelligibilia. Atque ad hoc posterius genus etiam Nihil, omnesque priuationes atque negationes referuntur.* Opponitur quidem a IACOBO MARTINI in Partit. & Quaest. Metaph. Lib. I. Quaest. X. *Species, sub eodem genere oppositae, sunt contrariae, nunquam*

quam contradictoriae: Atque Aliquid & Nihil opponuntur non vt contraria sed vt contradictoria: Ergo non sunt species vnius generis: siue id vocetur intelligibile, siue risibile. Sed concedo minorem & nego majorem.

§. XII.

Possibile & impossibile absolute & respectiue quid.

Tam contradictorium quam non-contradictorium est vel absolute vel respectiue tale (§. 8.), Ergo etiam tam possibile quam impossibile in absolute & respectiue tale distinguitur. Ex primo etiam *possibile internum* atque *impossibile internum;* & ex posteriori *possibile externum* seu *secundum quid*, & *impossibile externum* seu *secundum quid*, vt dicunt, oritur.

COR. I. Quo itaque respectu τὸ cogitabile est contradictorium, eo etiam respectu est impossibile. Et quo respectu τὸ cogitabile est non-contradictorium, eo etiam est possibile.

COR. II. Quidquid ergo absolute possibile id respectiue impossibile, & quicquid respectiue impossibile id absolute possibile esse potest. Et quicquid est aliquo respectu impossibile, id alio quodam respectu inter possibilia & vice versa referri potest. (§. 8. Cor.).

Variae possibilis & impossibilis respectiue talis species explicantur.

SCH. Varii cogitari possunt respectus, sub quibus cogitabile possibile nominari potest, quorum praecipui sunt, qui ex consideratione virium sumuntur. Si enim cogitabile ea ex ratione inter possibilia externa refertur, quia per vim quandam fieri potest, tunc dicitur *possibile externum sensu metaphysico*, quod in specie *possibile physicum* nominatur, si vires illae sunt naturales. Quidquid vero per vires fieri potest, id per eas fieri potest vel quatenus in se spectantur vel quatenus etiam spectantur respectiue. Et vltimo casu ratio est absentia impedimenti. Quamobrem, cum hoc sit vel physicum vel morale, species huius possibilitatis est *possibilitas moralis.* Quid impossibile sensu metaphysico, physicum & morale ex dictis facile cognoscitur, vid. CHAUVINI Lex. Phil. tit. cit. Terminos eorumque no-

tiones indicare hic sufficiat, notionum realitatem infra euoluam atque explicabo.

§. XIII.

Fundamentum essentiae primum.

Cogitabili absolute possibili inesse debet, per quod possibile est, & cogitabili absolute impossibili inesse debet, per quod est impossibile. Si enim cogitabile absolute possibile est, possibilitas illi competit quatenus in se spectatur (§. 12.). In se spectatum igitur continet, quod non idem simul esse & non esse dicit (§. 6.). Quamobrem, cum per hoc possibile sit (§. 11.), cogitabili absolute possibili inesse debet, per quod possibile est (§. 9. P. Log.). Q. e. p.

Sit porro cogitabile absolute impossibile. Ergo impossibile est quatenus in se spectatur (§. 12.). In se spectatum igitur continet, quod idem simul esse & non esse dicit (§ 6.). Ergo & cogitabili absolute impossibili inesse debet, per quod impossibile est (§. 9. P. Log.). Q. e. a.

COR. I. Quae de cogitabili demonstraui, valent de eodem, quatenus est absolute possibile vel impossibile. Si ergo cogitabile, quod respectiue possibile vel impossibile est, vt absolute possibile vel impossibile spectare volumus, vt demonstratum etiam de illo affirmemus, necesse est.

COR. II. Et ita per inductionem valet, quod omne cogitabile possibile seu aliquid, habeat per quod possibile, & omne cogitabile impossibile seu nihil habeat per quod impossibile.

COR. III. Omne ergo cogitabile habere debet, per quod est cogitabile illud, quod est.

§. XIV.

Secundum.

In cogitabili, quod est possibile, seu in aliquo nil prius poni potest, nisi per quod est possibile; & in cogitabili, quod est impossibile, seu nihilo nil prius poni potest, nisi per quod est impossibile. Si enim ponas contrarium, pones quae principio contradictionis repugnant. (§. 1.).

COR.

COR. Primum itaque, quod in cogitabili quodam poni potest, est, per quod est illud cogitabile, quod est.

§. XV.

Qui itaque cogitabile ponit, primo loco in illo ponere debet, per quod est illud cogitabile (§. 13. 14.). Et haec est definitio *essentiae*, quae ab aliis *conceptus constitutiuus*, seu *conceptus primus adaequatus*, seu *forma*, seu *ratio formalis*, seu *quidditas* &c. dicitur. Omne igitur cogitabile suam habet essentiam, per quam est illud cogitabile, quod est. *Inde etuitur quid sit essentia.*

COR. I. Essentia ergo alicuius seu cogitabilis, quod possibile est, est primum, per quod possibile est. Et essentia nihili seu cogitabilis impossibilis, est primum, per quod impossibile nominari potest (§. 12.). Et ita intelligimus, quo respectu essentia ipsa rei, seu generatim cogitabilis, possibilitas dicatur, vid. §. 36. P. Log.

COR. II. Et simul sequitur canon Philosophorum, quod *forma det esse rei* seu generatim *cogitabilis.*

SCH. Synonyma termini essentiae, quae a Philosophis posita a diuersis, quos per terminum essentiae expressérunt, significatibus sine dubio ortum ducunt. Aliis enim essentia idem significat, quod existentia. Datum itaque de essentia conceptum alio quodam termino exprimere debuerunt. Alii essentiam non nisi entis realis dare affirmantes non-enti & enti realiter existenti non essentiam, sed rationem formalem atque quidditatem competere, professi sunt. vide Summe Reuerendum AEPINVM Praeceptorem meum pie venerandum *in Compendio Metaphys. ad Theol. applicatae* Part. I. Cap. II. §. VI. & VELTHEMIVM *in Inst. Metaph.* Cap. III. §. 1. seqq. Quoniam vero distinctiones, quae veritatum cognitiones nec distinctiores reddunt, nec ad veritatum inuestigationem aliquid conferunt, meo iudicio nullius sunt vtilitatis, essentiae terminum determinato sumam significatu, ad quem exprimendum etiam citati aliique Philosophi eodem vsi sunt. *Essentiae synonyma cur posita exponitur.*

Distinctio quaedam scholasticorum examinatur.

SCH. II. Conceptum illum constitutiuum, qui idem significat ac essentia latiori sensu sumta, Scholastici etiam in *formalem* atque *obiectiuum* distinguunt, *formalem*, cognitionem quae fit per intellectum, & *obiectiuum* id, quod per intellectum cognoscitur, significare affirmantes. Sed dum conceptus ille obiectiuus rectius *obiectum conceptus* diceretur, quae hac de distinctione dicenda mittam.

§. XVI.

Complexum & simplex quid.

Posito cogitabili eiusdem etiam essentia ponenda est (§. 15. & §. 1.). Haec vel in varia cogitabilia resolubilis est vel non. Si prius, cogitabile illud nominabo *complexum*, ab aliis *compositum* dictum, & si posterius, accipiat nomen *simplicis*. *Complexum* enim significet, quicquid in varia resolubile, quicquid vero in varia non resolubile, *simplex* dicatur.

COR. Omne igitur cogitabile est vel complexum vel simplex (§. 4.).

Ratio cur termino complexi vsus sim exponitur.

SCH. Ratio cur, quod ab aliis compositum dicitur, & cui etiam in Logica §. 5. P. idem imposui nomen, complexum hic nominauerim, haec est. Compositi vox quod sit ambigua, ex omnibus Metaphysicorum scriptis sufficienter patet. Nec minus ex iisdem intelligitur, ex dicti termini aequiuocatione varias ortum trahere controuersias. Dum compositum simpliciter positum saepissime idem significat ac ens compositum, non vero omne, in quo est compositio, ens compositum nominare licet. Qua ex ratione etiam duplicem compositionem fecerunt, *realem* & *rationis*, seu *physicam* & *metaphysicam*, vid. FONSECA in Inst. Log. Lib. IV. cap. IV. & V. & MENDOZA in Disp. Log. IV. Sect. III. Hanc vero quo euitare possim confusionem, quicquid significatu latiori compositum dicunt, complexum nominabo. Eodem etiam significatu terminus ille a Philosophis in Logicis receptus est.

§. XVII.

§. XVII.

Essentiam igitur cogitabilis complexi varia constituunt cogitabilia, quae hac ex ratione etiam eiusdem *essentialia*, seu *conceptus primi partiales* & *inadaequati* nominantur. Dicuntur etiam ab aliis *ea*, *quae sunt de essentia*. *Essentialium notio.*

COR. I. Posito igitur cogitabili complexo, ponenda etiam sunt essentialia, licet essentialium vnum non sit illius essentia (§. 16.).

COR. II. Quibus ex principiis simul intelligitur, cur omnium essentialium compositio essentia cogitabilis dicatur (vid. §. 29. P. Log.).

§. XVIII.

Quatenus omne ponitur quod ponendum, si sit A, *totum A adesse* dicitur, & si ponendum est complexum, varia quae A illud constituunt, ipsius A *partes* nominantur. Ergo & totum in *complexum* & *simplex* diuidi potest (§. 16. Cor.). *Quid totum & partes.*

COR. Quicquid igitur non variis constituitur, nec partes habere potest. Si ergo totum sit simplex, eo respectu, quo simplex est, partes habere nequit (§. 16.).

SCH. Varias totius species infra explicabo, vbi, vt explicentur, principia permittent.

§. XIX.

Posito cogitabili tota ipsius essentia ponenda est. Posito enim cogitabili eiusdem essentia ponenda est (§. 16.). Ergo poni debet, per quod sit hoc cogitabile (§. 15.). Vt itaque tota essentia ponatur, necesse est (§. 18.). *Cogitabile totam requirit essentiam.*

COR. Si ergo cogitabile sit complexum, posito hoc, omnia ipsius essentialia simul ponuntur (§. 17. Cor. 1.).

§. XX.

Separare varia totum constituentia sensu latiori idem est ac *diuidere*. Diuidi ergo nequit nisi cogitabile complexum (§. 16.), seu cogitabile simplex est indiuisibile. *Diuisio quid.*

COR. I.

COR. I. Si ergo totum etiam simplex esse possit, omne totum esse diuisibile, non valebit.

COR. II. Et vbi nec est variorum totum constituentium separatio, ibi nec diuisio locum habet.

§. XXI.

Vnitas transcendentalis.

Negatio diuisionis essentialium, seu vt cum Ill. WOLFIO §. 328. Ontol. dicam, inseparabilitas eorum, per quae ens, (generatim cogitabile,) determinatur, dicitur *vnitas transcendentalis.* Quae etiam ab aliis *vnitatis essentialis* accepit nomen, quoniam *vnum* generatim per indiuisionem seu diuisionis negationem describitur.

COR. Vnum igitur est vel complexum vel simplex (§. 16.). Seu vt alii dicunt, vel diuisibile vel indiuisibile (§. 20.), seu, quicquid est vnum id potentia multa esse potest. Qua ex ratione SVAREZ in Disput. Metaph. Tom. I. Disp. V. Sect. IV. seqq. affirmauit, vnum accipi vel *cum praecisione* siue *exclusione*, dum scilicet est vnum, ita vt nullo modo neque actu neque potentia sit multa; vel cum *inclusione*, dum hoc modo est vnum, vt simul sit multa potentia.

Vsus loquendi probatur.

SCH. ARISTOTELES *Lib. VI. Met. cap. VI. & X.* dicta de vnitate hoc modo loquutus est: *Vniuersa ea, quae non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur. Vt si, quatenus homo diuisionem non habet, eatenus vnus est homo, si quatenus animal, vnum animal, si quatenus magnitudo, vna magnitudo. Et Lib. X. Metaph. Cap. I. vnius esse est, indiuisibile esse.* Conf. MENDOZAM Disp. *Metaph. IV. Sect. II.* Ratio vero, cur pro ente cogitabile posuerim, haec est; quoniam etiam non-enti a Philosophorum quibusdam vnitas tribuitur, vid. STALII Inst. Metaph. Cap. XXIX, non entia vero inter impossibilia referenda sunt, vt infra docebo; vt terminus vnius significatu latiori sumatur, meo iudicio necesse fuit.

§. XXII.

§. XXII.

Omne cogitabile dicto significatu est vnum. Posito enim cogitabili, tota ipsius essentia ponenda est (§. 19.). Qui ergo cogitabile ponit, quae essentiam illius constituunt separare nequit (§. 18.). Adest itaque negatio diuisionis essentialium (§. 20.), atque adeo omne cogitabile dicto significatu vnum est (§. 21.). *Quae vnitas omni cogitabili competit.*

COR. Quo itaque respectu cogitabile ponitur, eo etiam respectu vnum esse debet. Quod est fundamentum distinctionis inter *vnitatem per se & per accidens.* Cogitabile enim, quod ponitur, vel absolute vel respectiue considerari potest. (§. 9.). De qua distinctione pluribus infra.

SCH. I. Canones Metaphysicorum: *Essentiae rerum sunt indiuisibiles; Essentiae rerum sunt sicut numeri; Essentia non recipit magis & minus; Essentiae rerum sunt immutabiles &c.* si cogitabilis possibilis seu *alicuius* habetur ratio, idem exprimere ac demonstratum principium concedo, & sine probatione quilibet concedet, ergo & de illis non pluribus dicam. Quoniam vero, quae vniuersaliter vera a Metaphysicis ita exprimi atque probari debent, vt eorum vniuersalitas cognosci atque intelligi possit, quae speciatim dixerunt de omni cogitabili nec ad possibilitatis nec impossibilitatis conceptum restricto demonstraui. *Consensus principii huius cum dictis Metaphysicorum.*

SCH. II. Et simul ex dati principii demonstratione diiudicari potest controuersia Metaphysicorum de natura vnitatis omni cogitabili tribuendae: *an indiuisio haec, quae dictam vnitatem constituit, sit positiuum, an vero negatiuum; & si positiuum, vtrum natura sua, an ratione tantum a cogitabili, cui competit, distinctum; & si negatiuum, vtrum sit negatiuum pure tale an priuatiuum.* Qua de controuersia vide pluribus STALIVM l. c. p. 271 seqq. Qui enim demonstrationem principii intelligit, sine dubio accedet ad sententiam SVAREZII in Disp. Metaph. l. c. p. 74. seqq. dicentis: *vnum, nihil positiuum addere* *Controuersia Metaphysicorum de vnitate indicatur.*

dere ſupra ens, nec rationis nec reale, neque ex natura rei, neque ſola ratione ab ente diſtinctum, ſed negationem per modum priuationis diuiſionis entis in ſe ipſo. Quae Philoſophi verba dicta demonſtratio facili etiam negotio clariora reddet.

§. XXIII.

Finitum & infinitum quid.

Terminus generatim & ſenſu metaphyſico eſt, vltra quod nil amplius in cogitabili concipere licet ad idem pertinens. Quicquid termino gaudet, ſenſu latiori *finitum*, quicquid vero non, *infinitum* dicitur.

COR. Quicquid igitur eſt, aut eſt infinitum aut finitum (§. 4), & in vtroque caſu vel abſolute ſeu ſimpliciter tale vel ſecundum quid (§. 12.), vid. CHAUVIN l. c. Tit. *infinitum.*

Vſus loquendi probatur.

SCH. Infinitum ab antiquioribus dicitur, *cuius nihil eſt extra accipere.* Quoniam vero hoc ſignificatu omne totum inter infinitorum numerum referendum erit (§. 18.), acutiſſimus IOAN. KEIL *in Introductione ad veram Phyſicam* Edit. anno 1739. p. 26. *infinitum* vocauit, *quod omni finito majus*, quam definitionem data magis explicat atque determinat.

§. XXIV.

Inde diuiſibilitas in finitam & infinitam diſtinguitur.

Quicquid eſt, aut eſt finitum aut infinitum (§. 23. Cor.). Diuiſibilitas ergo totius complexi (§. 18. 20.) aut eſt finita aut infinita. In *illa* termini diuiſionis ſunt poſſibiles, qui vero in *hac* non admittuntur (§. 23.). Tam poſſibile quam impoſſibile vel abſolute vel reſpectiue tale eſſe, dixi (§. 12.), Ergo & nihil obſtat, quo minus, vt in diuiſione termini admittantur vel abſolute vel reſpectiue impoſſibile eſſe, affirmari poſſit. Si prius diuiſibilitas *categorematice*, & ſi poſterius, *ſyncategorematice infinita* nominatur. Quod mutatis mutandis etiam de diuiſibilitate finita dicendum.

COR. Quicquid reſpectiue impoſſibile abſolute ſpectatum poſſibile eſſe poteſt (§. 12. Cor. 2.). Ergo & fieri poteſt, vt diuiſibilitas ſyncategorematice infinita in ſe ſpectata ſit finita.

SCH.

SCH. CHAUVIN l. c. tit. *infinitum* hac de re hisce loquutus est verbis: *Infinitum secundum quid distingui solet in categorematicum & syncategorematicum. Illud dicitur, quod actu habet in se infinitudinem, vt linea in infinitum protensa; hoc vero, quod actu quidem non est infinitum, sed semper ei addi plus & plus potest in infinitum, & sine fine fieri additio; sicut plures & plures creare potest Deus homines, vel angelos in infinitum. Est ergo infinitum syncategorematice finitum simpliciter, & infinitum solum potentia &c.* Dicta itaque vsui loquendi Philosophorum respondent. *Vsus loquendi probatur.*

§. XXV.

Diuisibilitas cogitabilis categorematice infinita est impossibilis. Est enim cogitabile illud vel complexum vel simplex (§. 16. Cor.), de posteriori vt dicam non necesse est (§. 20.), remanet itaque propositio probanda; diuisibilitas cogitabilis complexi categorematice infinita est impossibilis. Quam ita evinco: cogitabilis complexi essentia in varia cogitabilia resolubilis est (§. 16.), varia illa cogitabilia, in quae resolubilis, vel in infinitum resolubilia sunt vel non (§. 4.). Si prius, quae remanent, semper sunt complexa, atque adeo in illis contradictio quaedam latere vel non latere potest (§. 8.), nullum ergo cogitabile complexum possibile atque etiam nullum cogitabile complexum impossibile dici potest (§. 11.). Quamobrem, cum omne cogitabile vel possibile vel impossibile (§. cit.), posterius esse debet, seu diuisibilitatem cogitabilis categorematice infinitam admittere est contradictorium (§. 6. & §. 24.), eiusmodi ergo diuisibilitas inter impossibilium numerum referri debet (§. 11.). *Impossibilitas diuisibilitatis infinitae probatur.*

COR. Omne ergo cogitabile complexum cogitabilia simplicia continere debet. (§. 24. 20. & 16. Cor.). Consequenter cogitabile complexum sine simplicibus non est possibile (§. 11. 6.).

SCH. I. Possumus ergo ab eorum scommatibus tuti esse, qui diuisibilitatem categorematice infinitam affirmarunt, quam inter alios variis corroborare conatus est argumentis cit. KEIL, VIR *Obiectiones Keilii recensentur.*

alias DOCTISSIMVS *in cit. Introd. ad veram Physicam*
Fig. 1. p. 30. seqq quorum praecipua sunt. 1.) *Ducatur per A recta quaeuis AC, & hinc per punctum B parallela ducatur BD & in AC capiatur punctum quoduis C. Si igitur recta AB non est diuisibilis in infinitum partium numerum, diuisibilis tantum erit in numerum partium finitum; sit ille numerus qualiscunque v. g. senarius: in linea BD ad partes puncto C oppositas capiantur quotcunque puncta plura quam sex v. g. E, F, G, H, I, K, L, & ducantur per postulatum primum Euclidis, (a quouis puncto ad quoduis punctum duci potest linea recta.) CE, CF, CG, CH, CI, CK, CL: hae ductae diuident rectam AB in tot partes quot sunt rectae: si enim non diuident, ergo plures rectae in vno aliquo puncto rectam AB intersecabunt; sed omnes se intersecant in communi puncto C, quare duae aliquae rectae sese bis secabunt, & proinde vel spatium comprehendent, vel habebunt idem segmentum commune: quorum vtrumque est contra axiomata in Elementis posita. Diuiditur ergo AB in tot partes diversas, quot sunt rectae; sed tot sunt rectae, quot puncta in recta BD sumpta fuerint: quare cum sumpta fuerint plura puncta quam sex, erit linea AB in plures partes quam sex diuisibilis. Eodem modo, quantumuis magnus ponatur numerus, ostendi potest lineam AB esse diuisibilem in partes numero maiores illo numero, maiorem scilicet assumendo in recta BD punctorum numerum, atque ducendo rectas a puncto C ad puncta in recta BD assumpta; hae quippe rectae rectam AB diuident in tot partes, quot sunt rectae, adeoque in plures partes quam numero primo positus, qui (vtcunque magnus sit) constat partibus; erit itaque recta AB diuisibilis in plures partes quam per vllum numerum finitum exprimi potest,*
Fig. 2. *adeoque erit diuisibilis in infinitum.* 2.) *Exponatur recta quaecunque AB, dico illam diuisibilem esse in infinitas numero partes si enim non est diuisibilis in partes numero infinitas, diuisibilis erit in partes numero finitas; sit ille numerus quiuis v. g. quinarius; ducatur recta quaeuis AK angulum vtcunque cum AB continens, in eaque, quantum opus est producta, capiantur quot volueris puncta plura quam quinque: sint v. g.*

C, D, E,

C, D, E, F, G, H, K; iungatur KB; perque puncta, C, D, E, F, G, H, K. ducantur rectae ipsi KB parallelae, diuident hae necessario rectam AB in tot partes quot sunt rectae: si enim non diuidant, ergo plures rectae in vno puncto concurrent: at non concurrent, cum parallelae ponuntur, quare vnaquaeque recta in diuerso puncto rectam AB intersecabit, & omnes in tot partes rectam AB diuident, quot sunt rectae parallelae ductae. At ductæ sunt plures quam quinque, ergo diuisa erit recta AB in plures partes quam quinque: idem de alio quouis numero dicendum erit. Quare nullus est numerus tam magnus, quin numerus partium in quas recta AB est diuisibilis, erit ille numerus maior, adeoque recta AB est diuisibilis in infinitum. Restant quidem alia argumenta, quibus Doctissimus ille Opponens diuisibilitatis infinitae possibilitatem in sequentibus confirmare voluit, ea vero vt hic transcribantur non necesse esse judico. Principia enim, quorum ope obiectionibus respondebo transcriptis, meo iudicio etiam ea continent, ex quibus responsiones, quibus reliquis occurrendum dubiis, facili negotio deduci possunt. Dicta itaque principia breuissimis indicabo.

Quibus respondetur generatim.

SCH. II. Negauit inter alios IOHANNES BAPTISTA DV HAMEL, Philosophiae Burgundicae scriptor, veritatem eorum, quae a Mathematicorum quibusdam super hac re proferuntur, hypotheses Geometricas nec inter veras nec possibiles referri posse affirmans, cum nec puncta, nec lineae, nec superficies, prout a Geometris concipiuntur, vere in rerum natura sua sententia existant. Sed Doctissimus Opponens, variis argumentis commotus, tam vera puncta, quam veras lineas, & veras superficies existere p. 27. seqq. l. c concedens, iudicium illud Philosohpi miratus est. Iustam huius mirationis caussam percipio, eamque iustam esse non nego. Miror tamen Doctissimi Opponentis responsionem, quae vera puncta mathematica existere & superficies in infinitum non diuidi posse affirmat, vid. l. c. p. 27. Si enim, quae responsio haec continet, sint vera, habemus quae petimus.

Speciatim obiectioni primae.

SCH. III. His praemissis, principia, quibus obiectionibus responderi potest, vt dixi, indicabo. Primae obiectionis Sch. 2. positae fundamentum esse principium Mathematicorum, quod *a quouis puncto ad quoduis punctum linea recta duci possit*, patet. Meo vero iudicio huius postulati sensus restringi debet, ita, vt non vniuersaliter verum dici possit, nisi hac enuntiatione efferatur: *a quouis puncto, e quo linea quaedam recta nondum ducta, ad quoduis punctum sub eadem limitatione spectatum linea recta duci potest.* Rationem huius limitationis ita accipe. Duo puncta etiam per Mathematicorum hypotheses proxime coexistere, seu vt proxime coexistentia cogitari

Fig. 3.

posse, ita evinco: Ducas lineam rectam AB, & hanc ope lineae CD in duas partes diuidas. Ergo in M erit finis lineae AM, & in N initium lineae AB. Sed finis atque initium lineae sunt puncta, ergo M & N sunt puncta, quae proxime coexistunt, seu per hypotheses Mathematicorum vt proxime

Fig. 4.

coexistentia cogitari possunt. Possibilitate huius principii demonstrata sumas duo illa puncta M & N vt proxime coexistentia, deinde capias aliud punctum C, & a puncto C ad punctum M, item a puncto C ad punctum N ducas seu cogites lineam rectam. Ergo in C erit angulus, adeoque distantia MN maior quacunque distantia, quae inter crura MN & NC ita ducitur, vt distantiæ MN parallela. Quare, cum haec conclusio absurdi nomen mereatur, positae principii limitationis ratio non euicta solum est, sed & desideratam responsionem in promtu habere licet. Notare tamen velis differentiam diuisionis in categorematice & syncategorematice infinitam §. 24. explicatam.

Et secundae obiectioni respondetur.

SCH. IV. Quod alteram obiectionem Sch. 1. positam attinet, responsio non iisdem solum principiis deduci potest, quorum ope obiectioni priori respondi, sed & facile ex distincta repraesentatione eorum, quae opponuntur, intelligitur, Doctissimum Opponentem sumere, de quo disputatur, infinitam scilicet multitudinem partium lineam AB constituentium. Plures enim parallelae lineae BK ex AB duci neque-

Fig. 2.

unt,

unt, quam partes lineae AB permittunt, infinitum itaque partium huius lineae numerum ante probare debuit, quam conclusiones suas inferre potuerit Doctissimus Opponens, alias enim sumuntur quae impossibilia. Infinitus vero hic partium numerus probari nequit; oritur enim linea AB, dum punctum A mouetur ab A ad B. Est itaque motus puncti terminatus. Iam euoluas quae ad motum pertinent. Quo facto numerum illum categorematice infinitum contradictorium esse, immediate patebit, & ita contrarium pro mea sententia sequi, puto. Vnicam subiungam cogitationem: diuisibilitatem categorematice infinitam affirmantes, *quicquid terminis clauditur, infinitam partium multitudinem continere posse*, probare debent, hanc vero propositionem contradictoriam esse, infra in doctrina de extensione ostendam. Sed hic dicta sufficiant.

§. XXVI.

Affectiones & subiectum quid.

Quae non pertinent ad ea, per quae cogitabile est quod est, non pertinent ad ipsius essentiam (§. 15.). Si ergo cogitabili quaedam insunt, quae non ad ea pertinent, per quae est quod est, essentialium non merentur nomen (§. 17). Adeoque necesse est, vt iis aliud imponatur nomen. Qua ex ratione etiam *affectiones* seu *adiuncta* dicuntur. Cogitabile vero illud, cui insunt, *Subiecti* accepit nomen.

COR. Affectiones itaque seu adiuncta inter numerum eorum, quae primo loco in cogitabili poni debent ab illo, qui cogitabile illud ponit, non referri possunt (§. 17. 15.).

§. XXVII.

Species affectionum.

Cogitabile vel absolute vel respectiue spectari potest (§. 9.). Affectiones ergo, quae cogitabili insunt, illi vel absolute vel respectiue spectato ineſse, concedi debet (§. 4.). Ergo & affectiones cogitabilis in *absolutas* & *respectiuas* seu *hypotheticas* diuiduntur.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Affectiones quae non ponendae indicantur.

Si affectiones, quae cogitabili ineſſe ponuntur, eſſentiae cogitabilis repugnant, oritur contradictio. Poſito enim cogitabili eſſentia ipſius ponenda eſt (§. 16.). Si ergo affectiones huic cogitabili ineſſe ponitur, quae eſſentiae ipſius repugnant, idem ſimul ponitur atque non ponitur (§. 6.). Poſitis itaque affectionibus, quae cogitabilis eſſentiae repugnant, ſequitur contradictio (§. cit.).

COR. I. Alicui itaque ſeu cogitabili poſſibili ineſſe nequeunt affectiones, nec abſolutae nec hypotheticae, quae poſſibilitati ipſius repugnant (§. 15. Cor. 1.).

COR. II. Fieri ergo poteſt, vt cogitabile in ſe ſpectatum ſit poſſibile, licet affectio huius vel illius cogitabilis eſſe nequeat. (§. 8. Cor.). Ex negatione itaque, quod cogitabile ſit huius vel illius ſubiecti affectio, quod cogitabile illud in ſe ſpectatum ſit poſſibile, inferri nequit negatio.

§. XXIX.

Compoſſibilia quid.

Quae in vno ſubiecto ſimul eſſe poſſunt, *compoſſibilia* dicuntur.

COR. I. A poſſibilitate ergo variorum ad eorum compoſſibilitatem non valet conſequentia. Nec a negatione compoſſibilitatis ad negationem poſſibilitatis poteſt concludi (§. 28. Cor. 2.).

COR. II. Et ſimul intelligitur, affectiones, quae alicui inſint, cum poſſibilitate ipſius ſubiecti compoſſibiles eſſe debere (§. 28. Cor. 1.).

§. XXX.

Affectiones hypotheticae cur abeſſe poſſint.

Affectiones hypotheticae ſalua ſubiecti, cui inſunt, eſſentia, abeſſe poſſunt. Eſſentia enim cogitabilis eſt, per quod eſt illud cogitabile, quod eſt (§. 15.). Poſita ergo eſſentia cogitabile abſolute ſpectatur (vid. §. 13.). Affectiones hypotheticae, ſi cogitabili inſunt, illi inſunt reſpectiue ſpectato (§. 25.).

Nega-

Negatis ergo affectionibus illis hypotheticis, ea negantur, quae cogitabili respectiue spectato inesse ponebantur. Posita ergo cogitabilis essentia, & negatis affectionibus illis hypotheticis, non idem simul esse & non esse dicitur (§. 1. Sch.), adeoque nulla contradictio committitur (§. 6.). Vt itaque affectiones hypotheticae salua subiecti, cui insunt, essentia abesse possint, fieri potest (§. 11.).

SCH. Dixi de affectionibus hypotheticis. Quaestio etiam moueri posset de affectionibus absolutis. Sed quoniam principia, ex quibus responsio illa deduci debet, adhuc desunt, & nondum explicato principio rationis sufficientis, explicari nequeunt, infra de iis pluribus dicam. Inquiram modo ante in arduam de characteribus atque affectionibus intrinsecis & extrinsecis, de identitate & diuersitate doctrinam. *Cur non plura de affectionibus absolutis.*

CAPVT III.

DE QVANTITATE ET QVALITATE COGITABILIVM.

§. XXXI.

Omne cogitabile simplex in se spectatum est possibile. Quicquid enim in varia resolui nequit, id nec coniunctionem contradictorie oppositorum continere potest (§. 25.). Vbi vero non est contradictorie oppositorum coniunctio, ibi nec est contradictio (§. 10.), atque adeo nec impossibilitas (§. 11.). Omne ergo cogitabile simplex est possibile (§. 11. & §. 18.). *Possibilitas cogitabilis simplicis.*

COR. I. Affectiones cogitabilis, si quae sint, quatenus in se spectantur, sunt cogitabilia (§. 26. & 9.). Ergo vel simplicia vel complexa (§. 18.). Si itaque sunt simplicia, quatenus in se spectantur, inter possibilium numerum referri debent.

COR. II. Si itaque sint impossibilia, non hoc merentur

nomen, quatenus in se spectantur, sed quatenus sunt huius vel illius cogitabilis affectiones. vid. §. 29. Cor. 1.

§. XXXII.

Impossibilitas in quo esse possit.

Si cogitabile est impossibile, necesse est, vt sit complexum. Si enim cogitabile est impossibile, aut est complexum aut simplex (§. 16. Cor.), sed simplex esse nequit (§. 31.), necesse ergo est, vt sit complexum.

COR. Omnis igitur impossibilitas ex cogitabilium coniunctione ortum ducit. vid. §. 10. seqq. Log. Ita propositio: *Linea est superficies*, impossibilis est, non quoad cogitabilia in se spectata, sed quoad eorum coniunctionem.

§. XXXIII.

Eadem & diuersa quae.

A & B sibi mutuo possunt substitui, quatenus A poni potest in locum B, vt hoc facto omnia maneant sicut ante. Quae sibi substitui possunt, vocamus *eadem*, quae vero non, *diuersa.*

COR. Quatenus ergo A & B sibi substitui possunt, eo etiam respectu sunt eadem; & quatenus sibi non possunt substitui, eatenus sunt diuersa. Species identitatis atque diuersitatis infra explicabo. vid. Log. §. 7. P.

§. XXXIV.

Fundamentum quantitatis.

Omne cogitabile complexum, quatenus iisdem simplicibus componitur, est possibile. Sint cogitabilia simplicia C & D. Ergo C & D quatenus in se spectantur, sunt possibilia (§. 31.). Ponamus porro C & D esse eadem. Ergo C pro D & D pro C substitui potest (§. 33.). Si ergo C & D simul ponuntur, non idem simul affirmatur & negatur (§. 1. Sch. & §. 11.). Ponuntur vero simul, si componuntur (§. 5. Log. P.). C & D itaque compositis non idem simul affirmatur & negatur. Adeoque cogitabile complexum, quod inde oritur (§. 16.), non est contradictorium (§. 6.), consequenter possibile nominari potest (§. 11.).

COR. I.

COR. I. Si C est vnum & D vnum, C & D dicuntur *multa*. Ergo sequitur principium generale: ex compositione multorum, quae in se spectata sunt possibilia atque eadem, oritur cogitabile complexum, quod possibile est.

COR. II. Et simul intelligitur, eo respectu cogitabile illud complexum esse possibile, quo simplicia, quae possibilia atque eadem ponuntur, inter simplicium numerum referri possunt.

§. XXXV.

Si multa simul sumuntur, complexus illorum *multitudo* vocatur. Et ita incidimus in *magnitudinis* definitionem, cuius possibilitas ex demonstratis liquet, quod scilicet sit multitudo cogitabilium eorundem. Quae etiam in sensu latiori *quantitas* vocatur. *Inde notio quantitatis formatur.*

COR. I. Varia illa dici possunt partes, quae magnitudinem vt totum constituunt (§. 18.). Ergo & magnitudo seu quantitas generatim sumta est multitudo earundem partium.

COR. II. Et simul patet ex dictis, multa quantitatem quandam non posse constituere, nisi eo respectu, quo sunt eadem.

COR. III. Si ergo partes, totum complexum constituentes, sunt diuersae, earum multitudo magnitudinis non meretur nomen.

§. XXXVI.

Omnis magnitudo varia continet, quae in se spectata sunt eadem (§. 35.). Illorum vnum assumere, & quoties in reliquis continetur inquirere, idem est ac magnitudinem *mensurare*. Qua ex ratione etiam, quod pro vnitate assumitur, *mensura* dicitur. Et haec est, quae a LEIBNITIO saepissime simpliciter *quantitas* vocatur. *Mensurare quid.*

SCH. Hoc enim quantitatis significatu LEIBNITIVS dicere solebat: *Quantitatem omnem esse ἄρρητον quid, quod quidem exhiberi, sed nullo modo explicari possit.* Vide *principia Philosophiae Leibnitii* in Cor. Def. 41.

§. XXXVII.

Inde differentia magnitudinis determinatae & indeterminatae.

Omnis igitur magnitudo aut est mensurabilis aut non (§. 4.). Si prius, magnitudo dicitur *determinata*, & si posterius, *indeterminata*. Rationem nominum vide infra.

§. XXXVIII.

Illa est finita & haec infinita.

Si magnitudo est finita, etiam est determinata; si vero infinita, indeterminata dici debet. Si enim magnitudo est finita, habet multitudinem cogitabilium eorundem, vltra quam nil amplius in eadem concipere licet (§. 23. & 35.), ergo fieri potest, vt vnum assumatur, & quoties in reliquis continetur, inquiratur (§. 1.). Quamobrem, cum hoc idem sit ac mensurare (§. 36.), omnis magnitudo finita etiam determinata est (§. 37.). Q. e. p.

Substituas pro finiti conceptu ideam infiniti, & eodem modo secundi propositionis membri demonstrationem inuestigabis.

SCH. Quo sensu magnitudo infinita sit possibilis, infra docebo.

§. XXXIX.

Determinatio quid.

Determinatum est, quod ex duobus contradictorie oppositis vnum continet & alterum non (§. 16. Log. P.). Ergo ea, quae in cogitabili determinata sumuntur, vocantur *determinationes.*

COR. Essentia ergo (§. 15.), & quoad cogitabilia complexa etiam essentialia (§. 17.), affectiones tam absolutae quam hypotheticae, si quae adsunt (§. 26. seq.), vt & magnitudo, quae adest (§. 34. seq.) sunt cogitabilis, cui competunt, determinationes.

§. XL.

Eiusque species.

Extra cogitabile A in genere ponimus, quae posito A nondum cognosci possunt, nisi simul aliud cogitabile poneretur. Ex aduerso *intra cogitabile* A ponimus, quod posito A sine respectu ad alia cognosci potest. Quibus ex definitioni-

tionibus facile intelligitur, quid sint *determinationes* cogitabilis *extrinsecae* & *intrinsecae*. Illae etiam a quibusdam vocantur *relationes*, hae vero *proprietates positiuae*. Vid. Acta Erud. anno 1711. p. 392.

COR. Essentia (§. 13.-15.) itaque, essentialia (§. 17.) & affectiones absolutae (§. 27.) sine dubio sint in determinationum intrinsecarum numero. Quod vero affectiones hypotheticas attinet, illae cogitabili respectiue spectato solum insunt (§. 27.). Quoniam tamen saepissime fieri potest, vt, quae cogitabili tantummodo respectiue insunt, si insunt, posito illo cogitabili cognosci possint, (§. 92. ff. Log.); affectiones etiam hypotheticae in intrinsecas & extrinsecas recte diuiduntur. Atque adeo illae inter determinationum intrinsecarum numerum referri debent (§. 39. Cor.).

§. XLI.

Magnitudo seu quantitas generatim spectata, si quae cogitabili tribuenda, est in numero determinationum intrinsecarum dicti cogitabilis. Si enim magnitudo cogitabili competit, ea in numerum determinationum intrinsecarum dicti cogitabilis referri debet (§. 39. Cor.). Et quoniam magnitudo nil est, nisi multitudo partium earundem totum illud constituentium (§. 35.), posito dicto cogitabili magnitudo eius cognosci potest (§ 18.). Magnitudo ergo seu quantitas generatim spectata est in numero determinationum intrinsecarum dicti cogitabilis (§. 40.). *Quantitas pertinet ad determinationes cogitabilis intrinsecas.*

COR. Magnitudo obuia sine assumta vnitate intelligi nequit (§. 35. f.). Et magnitudo, quae cogitabili competit, eius est determinatio intrinseca. Recte ergo Ill. WOLFIVS *magnitudinem* seu *quantitatem generatim spectatam* §. 453. Ont. Lat. definiuit, per determinationem intrinsecam, quae sine alio assumto intelligi nequit.

SCH. Integra Ill. Philosophi citati definitio sic se habet: *Quantitas est determinatio intrinseca, quae tantum dari, sine alio assumto autem intelligi nequit*, & haec quo illustrari possit, *Quae probantur.*

pergit Philosophus: *Dari tantum posse dicitur, cuius notionem habere nequis, nisi vbi idem actu praesens intuearis, notionem adeo absentis excitare non potes, nisi id retuleris ad aliud homogeneum praesens siue datum.* Et vltima haec definitio sufficienter docebit, cur, quae per τὸ *tantum dari posse* indicantur, magnitudinem seu quantitatem generatim spectatam definiendo omiserim. Quod enim illis definitio ad quantitatem, quae in mensuranda magnitudine pro vnitate assumitur, exprimentem restringatur, meo iudicio ex definitione τῦ *tantum dari posse* sufficienter patet.

§. XLII.

Qualitas quid.

Quodlibet est vel non est (§. 4.). Quicquid igitur est, vel sine alio assumto intelligi potest vel non. Ergo & determinationes cogitabilis intrinsecae vel sine alio assumto intelligi possunt vel non. Posteriori respectu determinationes intrinsecas esse magnitudines seu quantitates dixi Cor. §. 41. Priori vero respectu vocantur *Qualitates.* Ab aliis etiam dicuntur *characteres* seu *notae.* Sed vltimi termini ampliorem habere significatum videntur. vid P. Log. §. 6.

COR. I. A determinatione ergo intrinseca ad qualitatem non valet consequentia (§. 33. Cor. 1. P. Log.). Quidquid vero non est determinatio intrinseca in qualitatum numero esse nequit. Determinationes ergo extrinsecae qualitates cogitabilis, cuius sunt extrinsecae, non sunt dicendae (§. 40.).

COR. II. Si ergo determinationes, quae positi cuiusdam cogitabilis sunt extrinsecae, alio quodam respectu intrinsecae esse possint, fieri etiam potest, vt hoc respectu inter qualitatum numerum referantur.

COR. III. Inter determinationes intrinsecas, quae sine alio assumto intelligi, & quae sine alio assumto non possunt intelligi, non datur tertium (§. 4.). Ergo & determinationes cogitabilis intrinsecae sunt vel quantitates, vel qualitates. Omnis adeo determinatio intrinseca a quantitate diuersa est qualitas; & omnis determinatio intrinseca a qualitate diuersa est quantitas.

COR. IV.

COR. IV. Et simul intelligitur, omnes cogitabilis cuiusdam determinationes esse vel extrinsecas vel intrinsecas, & has esse vel qualitates vel quantitates.

SCH. I. Obscurissimae sunt Scholasticorum de qualitate definitiones, vt etiam STALIVS in *Institutionibus Metaph. cap. de Qualitate* monuit. Quod vero data definitio ea exprimat, quae per qualitatem exprimere voluerunt, ex iis facili negotio inferri potest, quae pag. 506. hac de re proposuit, ita enim ille. *Qualitas est accidens, per quod substantia dicitur qualis. Per quantitatem vero non dicitur qualis sed quanta, & per relationem non dicitur qualis sed aliquid.* Et p. 504. *situs & vbi non sunt qualitas.* Ex quibus infero, relationes seu determinationes extrinsecae (§. 40.) non sunt qualitates. Ergo qualitas debet esse determinatio intrinseca (§. cit.). Determinationes vero intrinsecae vel sine aliis assumtis non intelligi possunt, vel intelligi possunt. Si prius, sunt quantitates, ergo non qualitates. Quamobrem, cum ex Philosophorum consensu omnes cogitabilis determinationes vel relationes, vel quantitates vel qualitates nominari debeant, vt posterius qualitatis definitionem exhibeat, necesse est. vid. pluribus ARISTOTELEM *Lib. V. Metaph. cap. XIV.* SVAREZIVM *in Disp. Metaph. XLI. Sect. I.* & VELTHEMIVM *in Inst. Metaph. Part. I. Cap. XLIV.*

Vsus loquendi probatur.

SCH. II. Diuersas itaque qualitatum species euoluturus, determinationum intrinsecarum, quae sine alio assumto intelligi possunt, diuersitatem determinare debet. Ita oriuntur *qualitates morales* & *physicae*, qualitates patibiles &c. Sed hac de differentia pluribus infra dicam.

Fundamentum specierum qualitatum indicatur.

§. XLIII.

Essentia cogitabilis atque essentialia, quatenus vt essentia & essentialia spectantur, sunt qualitates. Essentia enim atque essentialia sunt determinationes cogitabilis intrinsecae (§. 40. Cor.). Quod vero, quatenus vt essentia atque essentialia spectantur, non sint quantitates, ita euinco. Cogitabile est vel simplex vel complexum (§. 16. Cor.). Si simplex, essentia

Determinationes quae qualitates.

tia ipsius quantitas esse nequit (§. 16. & 35.); si complexum, essentia ipsius compositione essentialium constituitur (§. 17. Cor. 2.), per quam est vnum (§. 21.), quatenus igitur vt essentia spectatur non est quantitas seu magnitudo (§. 35.). Eodem etiam modo de essentialibus vt essentialibus demonstrari potest, quod non sint quantitates. Quare, cum determinatio intrinseca non quantitas sit qualitas (§. 42. Cor. 3.), essentia qua essentia & essentialia qua essentialia sunt qualitates.

COR. Affectiones cogitabilis absolutae sunt determinationes eius intrinsecae, & affectiones hypotheticae etiam determinationes intrinsecae esse possunt (§. 40. Cor.). Si ergo non sunt quantitates, etiam in numero qualitatum sunt (§. 42. Cor. 3.). Quibus ex principiis concipitur fundamentum distinctionis in *qualitates formales* & *operatiuas*. vid. VELTHEMIVM l. c. p. 1816.

§. XLIV.

Gradus & omnitudo quid.

Ex demonstratione, qua principium §. 43. corroboratum, patet, qualitatem, licet non sit quantitas, quantitatem tamen pro magnitudine sumtam continere posse. Et ita incidimus in definitionem *gradus*, qui est quantitas qualitatum determinata. Si vero quantitas qualitatum sit indeterminata, habemus notionem eius, quod Ill. BILFINGERVS *omnitudinem qualitatum* nominauit.

COR. Quantitas determinata mensurabilis est, non vero indeterminata (§. 37.). Mensurari igitur potest gradus, non vero qualitatis omnitudo. Et quae de quantitate determinata in superioribus dixi, omnia etiam hic valent. Intelligimus simul, quo respectu qualitatum cognitio mathematica sit possibilis.

SCH. Datam de gradu definitionem tam cum vsu loquendi communi quam recepto conuenire, ex iis facile inferri potest, quae de gradatione virtutum atque qualitatum corporum tam formalium quam operatiuarum dixerunt. Quoniam vero de his pluribus infra in doctrina de vi atque rerum intensione

sione disputabo, hic sufficiat allegare, ex quibus vsus loquendi deducendus. vid. interim CHAUVINVM in Lexico saepe citato Tit. *Gradus.*

CAPVT IV.

DE IDENTITATIS ATQVE DIVERSITATIS DIFFERENTIA ET QVAE INDE ORITVR AEQVALITATE ATQVE SIMILITVDINE.

§. XLV.

Eadem & diuersa respectiue & perfecte talia explicantur.

Quatenus A & B sibi possunt substitui, eo respectu sunt eadem; quatenus vero sibi non possunt substitui, eo respectu sunt diuersa (§. 33.). Quae ergo quoad omnes determinationes sibi possunt substitui, sunt *perfecte eadem.* Quae itaque quoad quasdam determinationes sibi tantummodo substitui possunt, non sunt perfecte eadem, sed modo *respectiue talia* seu *eadem secundum quid.* Ita etiam diuersa sunt vel *perfecte* vel *respectiue talia* seu *diuersa secundum quid.*

COR. I. Quae sibi quodam respectu substitui nequeunt, sunt respectiue diuersa. Quae ergo respectiue eadem, etiam respectiue diuersa nominari possunt. Et eodem modo patet, quae tantummodo respectiue diuersa etiam esse respectiue eadem.

COR. II. Contradictorie opposita sibi substitui nequeunt (§. 33. & §. 10.). Ergo sunt diuersa. Caue tamen, ne a diuersitate ad oppositionem contradictoriam concludas. (a)

Contradistinguere.

SCH. (a) Dicta quo distincte cognosci possint, necesse est, vt explicemus, quid *contradistinguere.* Contradistinguuntur vero, quae definitiones habent, quae pro se inuicem non possunt substitui. E. g. Definitio Trianguli pro definitione Quadrati non potest substitui, ergo sunt contradistinguenda, item: Pietatis definitio atque definitio virtutis pro se inuicem sub-

ſtitui non poſſunt, ergo contradiſtinguuntur. Et quoniam ſubſtitui nequeunt dictae definitiones, illarum definita ſunt diuerſa. Pietas tamen atque virtus non ſunt contradictorie oppoſita; negatio enim virtutis non inuoluit poſitionem pietatis, nec poſitio pietatis inuoluit negationem virtutis. Si vero, quae contradiſtinguuntur, ſint abſolute diuerſa, contradiſtincta etiam contradictorie oppoſita eſſe, nullo fere negotio probari poteſt.

§. XLVI.

Cogitabilia ſunt vel intrinſece vel extrinſece ſpectata.

Determinationes extrinſecae, quae adſunt, ſalua ſubiecti, cui inſunt, eſſentia abeſſe poſſunt (§. 30.40. Cor.). Omnes vero determinationes, quae cogitabilibus competere poſſunt, ſunt vel intrinſecae vel extrinſecae (§. 40. & 4.). Ergo & cogitabilia excluſis determinationibus extrinſecis ſpectari poſſunt. Qua ex ratione *cogitabilia in intrinſece & extrinſece ſpectata* diuido.

COR. I. Cogitabili reſpectiue ſpectato competere poſſunt affectiones reſpectiuae ſeu hypotheticae (§. 27.). Inter affectiones vero reſpectiuas etiam determinationes intrinſecae locum habere poſſunt. (§. 40. Cor.). *Cogitabile* itaque *extrinſece ſpectare* magis determinatum eſt, quam *cogitabile reſpectiue ſpectare* (§. 16. P. Log.) Ergo ab illo ad hoc non vice verſa valet concluſio (§. 33. Cor. 1 P. Log.). En! rationem atque fundamentum diſtinctionis.

COR. II. Cogitabili intrinſeco non tribui poſſe niſi qualitates & quantitates ex definitione data coll. §. 42. Cor. 4. immediate patet.

§. XLVII.

Quando reſpectiue vel perfecte eadem ſeu diuerſa.

Sint A & B cogitabilia intrinſece ſpectata. Ponamus A & B ſibi omni modo ſubſtitui poſſe. Ergo ſunt perfecte eadem (§. 45.). Fieri ergo poteſt, vt cogitabilia intrinſece ſpectata ſint perfecte eadem, licet, quatenus e trinſece ſpectantur, ſint reſpectiue ſeu *ſecundum quid* diuerſa.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Si cogitabilia sunt eadem ratione quantitatis, vocantur *aequalia*, si vero ratione quantitatis sunt diversa, *inaequalia* dicuntur. Ergo identitas quantitatis *aequalitatis*, & quantitatis diversitas *inaequalitatis* accepit nomen. *Aequalitas & inaequalitas.*

COR. I. Aequalia ergo salua quantitate sibi possunt substitui, non vero inaequalia (§. 33.). Quare, cum quantitas sit in numero determinationum intrinsecarum, aequalia intrinsece distingui nequeunt, nisi per qualitates (§. 42. Cor. 4.).

COR. II. Et simul patet, quae intrinsece spectata perfecte eadem, etiam aequalia esse.

COR. III. A est omni respectu A (§. 1.). Ergo & ratione quantitatis illud ab hoc distingui nequit. Est igitur consequens, vt *idem A aequale sibimet ipsi.*

COR. IV. Sit A magnitudo. Ergo complexus omnium partium A constituentium est A (§. 35. Cor. 1.). *Totum igitur est aequale omnibus suis partibus simul sumtis: & omnes partes simul sumtae sunt toti aequales.*

§. XLIX.

Si A & B sunt inaequalia, ratione quantitatis sibi non possunt substitui (§. 48. Cor.). Ergo pars vnius alteri toti substitui potest ratione quantitatis (§. 35. Cor. 1. coll. §. 4.). Si vero pars vnius alteri toti est aequalis, illud vocatur *maius*, & hoc *minus*. Inaequalium ergo vnum maius, alterum vero minus est (§. 48.). *Inaequalitatis species.*

COR. Idem A est aequale sibimetipsi (§. 48. Cor. 3.). Ergo & pars ipsius A est sibimetipsi aequalis, *adeoque pars totius est minor toto, & totum est maius qualibet parte.*

§. L.

Si cogitabilia sunt eadem ratione determinationum, quae non sunt quantitates, vocantur *similia*, si vero ratione *Similitudo & dissimilitudo quid.*

dictarum determinationum sunt *diuersa*, dicuntur *dissimilia*. Est adeo identitas determinationum non quantitatum *similitudo*, & diuersitas harum determinationum *dissimilitudo*.

COR. Quae ergo de aequalitate in superioribus dicta, omnia de similitudine valent, & quae de inaequalitate demonstrata, omnia etiam de dissimilitudine dici possunt, si modo pro quantitate ponatur determinatio non-quantitas, & ea omittantur, quae ex idea quanti vt quanti fluunt.

§. LI.

Similitudinis & dissimilitudinis species.

Determinationes cogitabilis non-quantitates sunt vel extrinsecae vel qualitates (§. 42. Cor. 4.). Similitudo ergo esse potest vel identitas determinationum extrinsecarum, vel identitas qualitatum, vel tam extrinsecarum determinationum quam qualitatum identitas (§. 50.). Primo respectu similitudinem vocabo *extrinsecam*, medio *intrinsecam*, & vltimo *extrinseco-intrinsecam* seu *omnimodam*. Ex oppositis facile intelligitur, quid sit *dissimilitudo intrinseca*, *extrinseca* & *omnimoda*.

COR. I. Intrinsece itaque similia ratione qualitatum sibi possunt substitui (§. 33.), ergo & ratione qualitatum non sunt diuersa (§. cit.), adeoque intrinsece differre nequeunt, nisi quantitate (§. 42. Cor. 4.). Qua ex ratione etiam Ill. WOLFIVS *Ont. lat.* §. *348. quantitatem* definiuit, *quod sit discrimen internum similium, hoc est, illud, quo similia salua similitudine intrinsece differre possunt.* Quae verba explicant, quae a LEIBNITIO dicuntur: *quod similia distinguantur per compraesentiam, vel per applicationem mensurae tertiae ad vtrumque similium, quae saepe fit in sola mente.* (**Durchs Augen-Maaß**) vid. *Principia Philos. Leibnitii Def. 44. Cor. 2.* Quod vero quantitas ad similitudinem intrinsecam non pertineat, ex illis patet, quia quantitas non est qualitas (§. 42. Cor. 3.), similitudo vero intrinseca qualitatibus constituitur.

COR. II.

COR. II. Et simul patet ex dictis, intrinsece similia esse posse, quae sunt extrinsece dissimilia. Et extrinsece similia esse posse, quae sunt intrinsece dissimilia.

SCH. Plerumque similitudo dicitur identitas qualitatum, quasi nulla daretur in relationibus similitudo, haecque identitas tantummodo, vt existimant, appellanda foret. Sed quid aliud est, vnam rem esse similem alteri? quam esse vt altera est. Iam vero vnum esse potest vt alterum, non tantum in qualitatibus suis, sed etiam in relationibus. Et idem etiam Philosophi iam diu in specialibus agnouerunt. Imaginem enim esse speciem similitudinis ex infra demonstrandis sufficienter patebit, diuisio vero imaginis ratione essentiae atque relationis a Philosophis recepta est. vid. VELTHEMIVM l. c. Cap. 51. Part. I, ergo & fundamentum huius distinctionis atque adeo data de similitudine & dissimilitudine explicatio cum vsu loqnendi Philosophorum conueniat, necesse est. Et ita etiam veritatem illorum intelliges, quae §. 42. de characteribus dixi. *Vsus loquendi probatur.*

§. LII.

In qualitatum numero sunt essentia, essentialia, affectiones absolutae & ex parte etiam affectiones hypotheticae (§. 40. Cor.). De affectionibus absolutis in sequentibus pluribus dicam. Ergo hic modo similitudinem intrinsecam vel essentialium vel affectionum hypotheticarum, quae scilicet sunt qualitates, identitate constitui affirmabo. Si prius similitudo dicatur *essentialis*, & si posterius *accidentalis intrinseca*. *Dissimilitudo essentialis* & *accidentalis intrinseca* dictorum oppositione explicari potest. *Similitudo essentialis & accidentalis intrinseca explicatur.*

§. LIII.

Similitudo essentialis est essentialium identitas. Ergo vel omnium vel tantum quorundam. Si prius est *essentialis completa*, & si posterius *incompleta*. *Species essentialis.*

COR. Similitudo ergo completa est identitas conceptus primi adaequati, & similitudo essentialis incompleta est identitas conceptus primi inadaequati seu partialis (§. 15. & 17.)

§. LIV.

Similitudo accidentalis magis explicatur.

Quod tandem similitudinem accidentalem intrinsecam attinet, illa est identitas affectionum hypotheticarum, quae sunt qualitates (§. 52.), affectiones cogitabilis hypotheticae non-qualitates sunt eiusdem determinationes extrinsecae (§. 40. Cor.), ergo & constituere possumus similitudinem accidentalem extrinsecam, quae est identitas determinationum extrinsecarum. Quare, cum omnes affectiones hypotheticae sint vel qualitates vel determinationes extrinsecae (§. cit.), *similitudo accidentalis* in genere definiri potest, quod sit identitas affectionum hypotheticarum. vid. §. 51.

COR. I. Affectiones hypotheticae salua subiecti, cui insunt, essentia abesse possunt (§. 30.). Ergo & consequens est, vt a similitudine essentiali ad similitudinem accidentalem non valeat consequentia.

COR. II. Eodem modo patet, ex similitudine accidentali intrinseca similitudinem accidentalem extrinsecam non posse inferri. Similitudo enim accidentalis intrinseca identitate affectionum hypotheticarum, quae sunt qualitates, & similitudo accidentalis extrinseca identitate affectionum hypotheticarum, quae sunt determinationes extrinsecae, constituitur. Extrinsecas vero affectiones saluis intrinsecis abesse posse, eodem evinci potest modo, quo principium §. 30. demonstratum. Conf. P. Log. §. 31.

§. LV.

Principii conuenientiae vsus indicatur.

Si A est idem cum B, & B eodem respectu idem est cum C, etiam A & C eo respectu sunt eadem. Si enim A est idem cum B, A pro B eo respectu substitui potest, quo sunt eadem (§. 33.), sed sunt eo respectu eadem, quo B & C eadem vocantur (per hypoth.) Ergo & A pro C hocce respectu substitui potest. Quo vero respectu plura substitui possunt, eo etiam sunt eadem (§. 33. Cor.). Ergo & A & C dicto respectu eadem dici debent.

COR. I.

COR. I. Sit A idem cum B ratione quantitatis, & B eodem respectu idem cum C. Ergo & A pro C ratione quantitatis substitui potest, adeoque sunt aequalia (§. 48.). Veritas itaque principii: *quae aequalia sunt eidem tertio, illa etiam aequalia sunt inter se*, ex quo sequitur principium: *aequalia aequalibus sunt sibi ipsi aequalia*, euicta est.

COR. II. Sit A idem cum B ratione determinationis, quae non quantitas, & B eodem respectu idem cum C. Ergo & A pro C ratione dictae determinationis substitui potest, adeoque sunt similia (§. 50.). *Si ergo duo eodem respectu eidem tertio sunt similia; ipsa quoque eodem respectu sibi similia esse debent.* Quod principium ad similitudinem essentialem & accidentalem tam intrinsecam quam extrinsecam facili negotio applicari potest.

SCH. En principii: *Quae cum eodem tertio combinantur, etiam eodem respectu inter se combinari possunt*, & quod in P. Log §. 19. Sch. *principium conuenientiae* nominaui, vsum, quem in similitudinis atque aequalitatis explicationibus earumque applicationibus Philosophis praestare potest. Sed ea de re suo loco diserte dicemus.

§. LVI.

Si A aliquid continet seu si ipsi A tribuitur, quod sine B non est possibile, A & B dicuntur *connexa*. Et nexus quantorum sensu mathematico nominatur *ratio*. *Nexus & ratio quid.*

COR. In quanto vt quanto nil distinguere licet, nisi multitudinem partium (§. 35.), quanta itaque connexa sunt, quorum vnum in multitudine partium qua tali continet praedicatum sine multitudine partium alterius non possibile. Quod praedicatum stilo Mathematicorum *nomen rationis* dicitur.

§. LVII.

Si duae rationes idem habent nomen, sunt eaedem (§. 56. & §. 33.). Haec rationum duarum identitas dicitur *proportio*. *Proportio quid.*

COR.

COR. Quaelibet ratio mathematice ſumta duo requirit quanta (§. 56.), ergo conſequens eſt : vt proportio ſine quatuor quantitatibus non poſſit concipi.

§. LVIII.

Quomodo ratio eſſentialium cogitari poſſit indicatur.

Ponamus aliquid complexum. Ergo eſſentia ipſius compoſitione eſſentialium conſtituitur (§. 17. Cor. 2.), quae in qualitatum numero ſunt (§. 40. Cor.). Quare, cum qualitates quantitatem continere poſſint (§. 44.), fieri etiam poteſt, vt eſſentialibus illis ſeparatim ſpectatis quantitas tribuatur. Ergo & dictis ſub determinationibus ratio mathematice ſumta eſſentialium cogitari poteſt (§. 56.), adeoque nomen rationis adeſſe debet (§. 56. Cor.).

§. LIX.

Si adeſt nomen rationis eſt totius qualitas.

Nomen rationis eſſentialium §. 58. *determinatum eſt cogitabilis A, cuius ſunt eſſentialia, qualitas.* Eſt enim dicti cogitabilis determinatio (§. 39.), intrinſeca (§. 40.). Et quia tantummodo eſt praedicatum, quod multitudini partium vnius, reſpectu multitudinis partium alterius tribuitur (§. 56. Cor.), ideo non eſt quantitas, ſed potius quantitatum relatio (§. 41. & §. 40.). Quare, cum determinatio intrinſeca non quantitas ſit qualitas (§. 42. Cor. 3.), nomen rationis eſſentialium, eſt cogitabilis A, cuius ſunt eſſentialia, qualitas.

COR. I. Nomen itaque illud in numerum eorum, quae efficiunt, vt cogitabile A alteri B ſimile dici poſſit, referri debet.

COR. II. Et haec eſt ratio, cur proportionem etiam duarum rationum ſimilitudinem interpretati ſunt Mathematici. Licet ab identitate ad ſimilitudinem non poſſit concludi. vid. §. 57.

§. LX.

Homologa quid.

Si in cogitabili A pars quaedam M ſit id, quod in cogitabili B pars N, partes M & N dicuntur *homologa*. Facile itaque

itaque patet, quando essentialia duorum cogitabilium homologa dici possint.

SCH. Ita enim Ill. WOLFIVS *in Elementis Geometriae* §. 110. *Dicuntur tam anguli quam latera homologa, si eundem ordinem a primo in vtraque figura seruent.* Omissis ergo determinationibus, quibus definitio ad figuras mathematicas restricta, datam definitionem esse generaliorem, atque cum vsu loquendi recepto conuenire, sufficienter patebit. *Vsus loquendi probatur.*

§. LXI.

Ponamus duo cogitabilia complexa habere similitudinem essentialem completam. Ergo essentia vnius pro essentia alterius substitui potest (§. 53. 33.), seu eandem habent essentiam. Sed essentia cogitabilis complexi essentialium compositione constituitur (§. 17. Cor. 2.), ergo cogitabilium complexorum, quatenus similitudinem essentialem completam habent, eadem sunt essentialia, eademque essentialium compositio. Et simul patet, similitudinem essentialem cogitabilibus, in quibus eadem sunt essentialia, eademque essentialium compositio, esse concedendam. *Quae ad similitudinem, essentialem requiruntur, indicantur.*

§. LXII.

Ponamus porro essentialia illa separatim spectata continere quantitatem, ergo & fieri potest, vt sint in ratione quadam mathematica (§. 56.), adeoque nomen rationis adesse debeat (§. cit. §. Cor.). Quoniam igitur nomen illud rationis essentialium separatim spectatorum tummodo est determinatio extrinseca (§. 40. & §. 56. Cor.), salva dictorum essentialium essentia abesse potest (§. 46.), adeoque nomen illud non pertinet ad essentialium constituentia (§. 15.). Si affirmes, nomen illud ad essentialium compositionem essentiam constituentem pertinere, dicta repugnabunt, quae de vnitate compositionem illam explicante §. 21. seq. posita, vid. Log. P. §. 5. Sequitur itaque, vt salua similitudine essentiali completa nomina illa rationis differre possint. *Ex quibus fundamentum similitudinis & dissimilitudinis essentiarum deduci-tur.*

§. LXIII.

Et inde similitudo & dissimilitudo dicta explicatur.

Si ergo duo cogitabilia complexa similitudinem essentialem completam habent, aut essentialia homologa eandem ad se invicem habent rationem aut non. Si posterius, differunt in qualitate, quae in essentia totius observanda (§. 59.), si vero prius, etiam quoad hanc qualitatem sunt eadem. Quamobrem, cum identitas qualitatum det similitudinem, diuersitas vero qualitatum dissimilitudinem producat (§. 51.), si dictorum cogitabilium essentialia homologa eandem ad se invicem rationem habent, *similitudo essentiarum* illis tribuitur, si vero non eandem ad se inuicem habent rationem, eorum *essentiae dissimiles* esse dicuntur.

COR. Patet itaque ex §. 61. - 63. a similitudine essentiali completa cogitabilium ad similes eorum essentias non valere conclusionem, licet ex essentiarum similitudine similitudo essentialis eaque completa rite possit inferri. vid. §. 33. Cor. 1. P. Log.

Vsus loquendi probatur.

SCH. Eadem essentia ex vsu loquendi Philosophorum, vid. Ill. WOLFIVM Ont. cit. §. 209. illis tribuitur, quibus eadem est definitio genetica, adeoque idem modus possibilitatis (§. 195. Log. Phil. cit.). Idem vero ille possibilitatis modus omnium essentialium requirit identitatem (§. 15. Cor. 1.), consequenter similitudinem essentialem completam (§. 53.). Eandem itaque essentiam habent, quibus completa essentialis similitudo tribuenda, & vice versa. Jam vero a τῷ *eandem essentiam habere* τὸ *similem essentiam habere* §. Ont. cit. Ill. Philosophus hisce distinxit verbis. *Similem essentiam habere dicuntur A & B, si essentialium, per quae determinatur A, quantitates eandem ad se inuicem rationem habent, quam habent essentialium iisdem respondentium quantitates, per quae determinatur B.* Dicta itaque cum Philosophorum vsu loquendi conueniunt, oppositа enim eodem modo patebunt, si modo, quae natura oppositionis mutari iubet, mutentur. Vnicum tamen adhuc monendum erit. Quae eandem essentiam habere a Philosophis dicuntur, similitudinem essentialem completam habere

habere dixi. Ratio est; identitatis terminus exprimit genus, quod tam ad similitudinem quam quantitatem applicari potest. Quare, cum hac in doctrina identitas non ita sumi debeat, vt etiam quantitatem significaret, quo aequiuocatio termini euitaretur, in locum termini generis eum, quo cogitationes obuiae proxime indicantur, posui.

§. LXIV.

Variae identitatis atque diuersitatis species indicantur.

Quatenus A & B sibi possunt substitui, eatenus sunt eadem (§. 33. Cor.). Si ergo sibi substitui possunt quoad genus, sunt *idem genere*, si quoad speciem sibi possunt substitui, sunt *idem specie*. vid. §. 32. seqq. P. Log. Inde oritur *identitas generica* atque *specifica*, & per oppositionem *diuersitas generica* atque *specifica*.

SCH. Quae notiones explicant diuersorum distinctionem, quam Lib. IV. Met. Cap. III. indicauit ARISTOTELES, diuersorum alia esse diuersa & non differentia, & alia diuersa atque simul differentia affirmans. *Differentia* enim a Philosophis dicuntur diuersa, quae adhuc idem genere; si vero cum aliis in genere quodam non conueniunt, *diuersa non-differentia* nominantur.

§. LXV.

Continuatio prioris.

Dicitur etiam de identitate atque differentia numerica. Si enim A omni respectu pro B & vice versa substitui potest, ita, vt simul A de B & vice versa affirmari possit, tunc A & B dicuntur *numero idem*, si vero A de B & vice versa affirmari nequit, sunt *numero diuersa*.

COR. I. Quae itaque sunt numero idem, etiam perfecte idem sunt (§. 45.), adeoque tam ratione qualitatum quam quantitatis sibi possunt substitui. &c.

COR. II. Et quae tantummodo numero diuersa ratione quantitatis quam qualitatis eadem, adeoque aequalia & similia esse posse, simul ex dictis patet (§. 42. Cor. 4. §. 48. & 50.).

Sed haec de identitate & diuersitate dicta hic sufficiant. Pluribus enim vt de illis hic dicam, principia hactenus exposita non permittunt, infra igitur explicabo, quae restant.

CAPVT V.

DE EXISTENTIA GENERATIM AGNATISQVE NONNVLLIS NOTIONIBVS GENERALIBVS.

§. LXVI.

Ratio instituti

Animaduerti saepenumero permultos Philosophorum de existentia differere multa, quibus vel idem per idem explicatur, vel idea, quam existentia indicare debet, restringitur. Existentia enim ex quorundam sententia est, per quod res habet essentiam in rerum natura constitutam, alii vero existentiam diffiniuerunt, per quam aliquid est extra suas causas, seu per quod aliquid definit esse intra suas causas. Sed quis est, cui eiusmodi explicationes placeant? Ego doctrinam de existentia, quoniam ab illa eorum Metaphysicae principiorum, quae maximi momenti, explicationes dependent, inter doctrinas Metaphysicorum maiores referendam esse, semper existimaui. Accuratius igitur explicetur, necesse est. Explicabo itaque eam, vtrum autem id scite effecturus sim, an secus, nescio. Dabo operam, quantum in me est, vt Logicae praeceptis §. 91. sqq. datis obtemperem. Quare hic de notione existentiae generatim & in vniuersum dicam, infra vero propius accessurus dicta magis determinabo, eorundemque realitatem pari diligentia expendendam mihi sumam.

§. LXVII.

Principiorum ex quibus notio existentiae formari potest primum.

Euoluamus itaque varia, quae de existentia tam a Philosophis quam in vita communi dicuntur, quo illorum ope notio quaedam de existentia formari possit. Primo inter

ea

ea refero *quidditatis seu essentiae atque existentiae differentiam.* Quidditas enim seu essentia exprimitur ab eo, qui ad quaestionem: *quid est?* respondet; vnde etiam essentia Latinis *quidditas*, & Germanis a vocula: **was?** **das Wesen** dicitur. Existentia autem significatur ab eo, qui ad quaestionem: *an res sit?* respondet. Inde HEBENSTREIT in *Philosophia prima* Part. I. Cap. II. Thes. 2. infert: *Sicut quaestio: quid sit? & quaestio: an sit? differunt, ita quidditas & existentia rei inter se invicem distinguuntur.* Eadem etiam differentia ex distinctione *in essentiam realem* (ein würcklich Wesen) & *idealem* inferri potest: Item ex natura definitionum essentialium, quae quidditatem rerum, non vero existentias indicant.

SCH. Hac ex ratione Scholastici, dum a *Thoma* atque *Scoto* doctrina de primae materiae existentia in controuersiam deducebatur, duplicem posuerunt actum, *entitatiuum* scilicet atque *formalem*, per illum existentiam, per hunc vero quidditatem exprimentes. *Inde explicatur distinctio quaedam scholasticorum.*

§. LXVIII.

Τὸ agere nec exprimitur ab eo, qui ad quaestionem: *quid est?* nec ab eo, qui ad quaestionem: *an sit?* respondet. Ex vsu ergo loquendi etiam τὸ agere ab existentia atque quidditate differt. Adeoque existentia nec per τὸ agere, nec per quidditatem definiri potest. *Secundum.*

SCH. Hac ex ratione suppositalitatem atque quidditatem ab existentia distinguendam esse affirmarunt Scholastici, vid. HEBENSTREIT l. c. Cap. III.

§. LXIX.

Notio existentiae contemplando a notione existentis seiuncta, nulla est. A notione enim existentis existentiae notione seiuncta, existentia haec separatim cogitari debet. Ergo iterum erit cogitabile, cui existentia competere possit, *Tertium.*

(§. 67.), & ita existentia existentiae oritur. Quae vero ex vsu loquendi inter absurda referri debet.

COR. Si ergo cogitabile aliquid existit, τὸ existere est ipsius determinatio intrinseca (§. 39. & 40.), adeoque vel qualitas vel quantitas (§. 42. Cor. 3.).

§. LXX.

Quartum.

Quicquid existit, id est possibile, seu vt cum Scholasticis loquar, ab esse ad posse valet consequentia. Quicquid enim existit, id est. Ergo non non est (§. 1.). Inuoluere igitur nequit contradictionem (§. 6.), adeoque in numerum possibilium referri debet (§. 11.).

COR. I. Quicquid igitur existit, est aliquid (§. 11.), adeoque existentia non est, nisi determinatio quaedam intrinseca alicuius seu cogitabilis possibilis (§. 69. Cor. & §. 11.). Impossibile itaque existere nequit (§. 1.).

COR. II. Tam possibile quam impossibile absolute & respectiue spectari potest (§. 12.). Quo respectu cogitabile est impossibile, eo respectu non potest existere, & quo respectu possibile est, eo respectu potest existere. (per modo dicta). Ergo & duplici ratione tam τὸ existere posse, quam τὸ non existere posse, considerari potest.

§. LXXI.

Inde fluit fundamentum distinctionis.

Τὸ *possibile esse non est* τὸ *existere*, seu vt cum Scholasticis loquar, *a posse ad esse non valet consequentia.* Cogitabile enim quod possibile est, inter possibilitates referri debet per suam formam seu essentiam seu quidditatem (§. 15. Cor. 1.). Quidditas vero ab existentia differt (§. 67.). Ergo τὸ possibile esse non idem est ac τὸ existere.

§. LXXII.

Inter possibile nudum atque existens.

Diuidi itaque potest possibile in existens & non existens. Si prius, ipsius possibilitas vocatur *nuda* seu *essentia idealis*

idealis, & si posterius, *possibilitas actualis* seu *essentia realis*. vid. §. 15. Cor. 1. coll. §. 67.

§. LXXIII.

Ponamus possibile actuale A. Ergo τὸ non-existere respectu ipsius A est impossibile (§. 72. & §. 11.), adeoque vel absolute vel tantummodo respectiue (§. 12.). Si prius, A vocatur *possibile primi ordinis*, & si posterius, *possibile secundi ordinis*. *Possibile primi atque secundi ordinis.*

COR. Quicquid absolute impossibile, id nullo respectu esse potest, quicquid vero tantummodo respectiue impossibile, id absolute spectatum in possibilium numero vt sit, possibile est (§. 8. 12. Cor. 2). Recte ergo dicitur, quoad possibile primi ordinis possibilitatem sine existentia non posse esse; possibilitatem vero possibilis secundi ordinis sine existentia consistere posse. Dicta vero vniuersalitati principii §. 71. demonstrati non repugnare, is sufficienter indicabit sensus, quo illius principii veritatem probaui.

§. LXXIV.

Patet ex dictis, generatim inferri posse, omne cogitabile aut esse existens aut non. Si posterius, etiam vocatur *nihilum*, & quidem, quo a nihilo §. 11. determinato, & quod in specie *nihilum nominale* a Scholasticis dicitur, distingui possit, *nihili participialis* ab iisdem Philosophis accepit nomen. Nihilo igitur participiali negatur τὸ existere. Quare, cum omnis negatio vel pura vel priuatio, quarum illa negat, quod impossibile, haec vero quod adhuc possibile, *nihilum* participiale in *negatiuum* & *priuatiuum* diuiditur. *Ex quibus variae nihili significationes deducuntur.*

COR. I. Quicquid non existere potest, id est impossibile, quicquid vero existere potest, possibile dici meretur (§. 70. Cor. 1.). Ergo & nihilum negatiuum impossibile, priuatiuum vero possibile & aliquid est. Quo sensu etiam a Philosophis dicitur, *ex nihilo negatiuo nil fieri posse*, licet possibile sit, vt *ex nihilo priuatiuo aliquid fiat*.

COR. II.

COR. II. Et dum tam possibile quam impossibile absolute & respectiue spectari potest (§. 12.), fieri etiam potest, vt alio respectu nihilum participiale sit negatiuum, quod alio respectu solummodo priuatiuum, & vice versa, vid. Cor. 2. §. 70.

§. LXXV.

Atque ideae existentis potentialis infe runtur.

Nihilum priuatiuum non existit, existere tamen potest (§. 74.). Possibilitas haec existendi vel ex nuda possibilitate concipitur, vel ex aliis iam existentibus (§. 4.). Si prius, *possibilitas existendi* vocatur *intrinseca*, & si posterius, *extrinseca*. Vltimo respectu possibile illud vocatur *existens potentiale* seu *potentia*, & quidem in *potentia proxima*, si possibilitas eius existendi extrinseca ex aliis existentibus immediate concipienda, si vero ex illis solummodo mediate concipi possit, *existens* in *potentia remota* dicitur. Et ita porro. Pluribus vero de dictis infra.

§. LXXVI.

Quomodo essentia & ex, istentia idem.

Si aliquid existit, existentia ipsius ab eius essentia non differt. Notio enim existentiae a notione existentis seiuncta nulla est (§. 69.). Ergo & notio existentiae a notione existentis non differt (§. 53. P. Log.). Quare, cum notio alicuius solummodo eius essentiam contineat (§. 15.), si aliquid existit, existentiam ipsius ab eius essentia non differre, probatum est.

COR. I. Existentia ergo alicuius eiusque essentia, quatenus illud existit, idem est. Consequens ergo est, vt differentia quidditatis atque existentiae, de qua dixi §. 67. non alia sit, quam quod existentia non sit nuda alicuius possibilitas (§. 72.).

COR. II. Essentia inter cogitabilis qualitates refertur (§.43.). Ergo & existentia est existentis qualitas. vid. §. 69. Cor. Et ita intelligimus, cur essentia in idealem & realem a Philosophis distinguatur. vid. §. 72. Illa etiam *essentia metaphysica*, & haec *physica* a nonnullis dicitur.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Existentia non est nudi possibilis affectio. Nudo enim possibili non inest (§. 72.). Quicquid vero cogitabili non inest, nec affectio eius dici meretur (§. 26.), adeoque nec existentia nudi possibilis est affectio. Existentia an sit possibilis affectio.

§. LXXVIII.

Possibilitas existendi non est nudi possibilis affectio, sed ipsa essentia. Quo enim respectu aliquid possibile est, eo etiam existere potest (§. 70. Cor. 2.). Possibilitas existendi, si existit, est existentia (§. 1.). Si ergo possibilitas existendi sit nudi possibilis affectio, etiam existentia existentis possibilis affectio sit, necesse est. Sed hoc repugnat §. 76. Ergo nec possibilitas existendi nudi possibilis affectio dici potest. Q. e. p. An possibilitas existendi sit affectio.

Posito possibili etiam existendi possibilitas ponenda est (§. 70. Cor. 2.). Quare, cum haec existendi possibilitas affectio possibilis dici nequeat, (per demonstr.), existentia vero eius, quod existit, ipsa essentia sit, (§. 76. Cor. 1.), dubium non est, quin possibilitas existendi sit ipsa possibilis nudi essentia. (§. 26.). Q. e. a.

COR. I. Eodem modo evinci potest, impossibilitatem existendi ipsam impossibilis seu nihili nominalis essentiam esse. Intelligimus itaque ex dictis, cur possibilis definitio vulgo ita efferatur: *possibile est, quod existere potest*, impossibilis vero definitio: *impossibile est, quod non existit.*

COR. II. Quae non sunt varia nec possunt componi, & inde compositionem quandam constituere (§. 16.). Ergo nec fieri potest, vt existentia cum essentia compositionem faciat. Cuius propositionis veritatem iam diu agnoverunt Philosophi affectiones atque proprietates Dei explicantes. vid. VELTHEMIVM l. c. Part. I. Cap. II.

§. LXXIX.

Modus quid Leibnitio.

Modus alicuius LEIBNITIO est omne id, quod sine illo, cui inesse intelligitur, non possibile. vid. Princip. Phil. Leibnit. Def. 11.

COR. I. Essentia ergo est alicuius modus (§. 15.), Ergo etiam l. c. Def. 12. Cor. essentia dicitur modus, quo aliquid possibile esse intelligitur.

COR. II. Si aliquid illud existit, existentia ipsius modus nominari debet (§. 76.), qua ex ratione etiam Def. 13. l. c. Cor. 1. existentia definitur modus, quo possibilitas eius, quod absolute possibile est, fit actualis. Quoniam vero actu esse atque existere mea sententia sunt synonyma, quaeramus, si fieri potest, definitionem, τὸ existere magis explicantem.

§. LXXX.

Existentiae datur definitio nominalis.

Et hanc ex hactenus demonstratis ita formo: *existit*, cuius essentia est plus quam possibilis (§. 71. 76. seqq. & §. 15. Cor. 1.). Adeoque *existentia* est qualitas, sed non affectio (§. 77. seq.), qua possibile est plus quam possibile (§. 76. Cor.), seu modus essentiae, quo plus quam possibilis est. (§. 89. & §. 76. Cor. 1. vid. §. 68.).

Usus loquendi probatur.

SCH. I. Quo sensu vera etiam est definitio Ill. WOLFII §. 174. Ontol. quod existentia sit *possibilitatis complementum:* vera quoque definitio Philosophorum, *quod existentia sit actus, secundum quem res est extra causas*, vid. SCHEIBLERVM Lib. I. Metaph. cap. XVI. nominari potest, si modo ita explicatur, vt principia hactenus exposita permittunt. Interim datam de existentia definitionem esse nominalem, concedo, sed haec hic sufficiat, realem vero, quantum fieri potest, infra suppeditabo.

SCH. II. In Dissertatione de *creatione mundi aeterna* existentiam definiui *statum, quo aliquid agere vel pati potest.* Sed obscuritas, quae definitioni subesse videtur, tanta est, vt a priori vix ac ne vix quidem remoueri possit. Status enim existen-

istentiam supponit, & τὸ agere vel pati posse, si etiam ante explicantur, cogitationes tamen nostras indeterminatas relinquunt. Studio ergo vera perspiciendi impulsus, omniaque, quantum fieri potest, a priori evoluturus propositionem illam, licet sit vera, definitionem existentiae nominare, hic non admittam.

§. LXXXI.

Durare & ad momentum existere quid.

Si A existit, existentia ipsius est qualitas (§. 80.). Qualitas magnitudinem seu quantitatem continere potest (§. 44.), ergo & existentiam qua talem in simplicem & magnam distinguere licet. Vnum A bis simul existere nequit (§. 76.). Magnitudo ergo, quae existentiae ipsius abstracte spectatae tribuitur, non est nisi continuatio τῦ existere. Adeoque existentia ipsius A est vel continuata vel non. Si prius, vocatur *duratio*, & si posterius, A illud ἐν τῷ νῦν seu *ad momentum existere* dicitur.

COR. I. Quicquid ergo ad momentum solummodo existit, id non durat, adeoque ipsius existentiae abstractive spectatae quantitas tribui nequit.

COR. II. Duratio est existentiae continuatio. Quae itaque de existentia in superioribus explicata, etiam existentiae durationi accommodari possunt.

§. LXXXII.

Duratio est vel finita vel aeternitas.

Duratio est quantitas existentiae abstractive spectatae, seu quantitas τῦ existere possibilis, quatenus abstractive spectatur. (§. 81.). Quantitas vero est vel determinata, vel indeterminata (§. 37.), seu, vt alii dicunt, vel terminata vel interminata (§. 23.), ergo & continuatam existentiam seu durationem in terminatam & interminatam dividere licet, si prius, vocatur duratio *finita*, & si posterius, *infinita*, (§. 23.), quae etiam *aeternitatis generatim sic dictae* accepit nomen.

COR. Duratio ergo finita est mensurabilis non vero duratio infinita seu aeternitas (§. 38.). Et quod in duratione finita

gradus concipi possint, non vero in aeternitate qua tali, docet §. 44.

§. LXXXIII.

Aeternitas est vel formalis vel participata.

Si duratio est interminata, aut est terminabilis aut non. Aut si alicuius existentia continuatur ita, vt duratio ipsius sit interminata, vel το non-existere illi absolute repugnat vel non. vid. §. 8. Si prius, *aeternitas* vocatur *formalis seu simpliciter talis*, rationem vide §. 15. & si *posterius*; dicitur *aeternitas participata* seu *secundum quid talis*.

COR. I. Sit A possibile primi ordinis. Ergo existentia ipsius non aeterna solum, sed & formaliter talis est. (§. 73. Cor.).

COR. II. Existat porro B, quod possibile secundi ordinis, ita, vt etiam existentia ipsius aeterna, haec ergo aeternitas erit solummodo participata seu secundum quid talis (§. cit.).

Vsus loquendi probatur.

SCH. I. De aeternitate formali BOETIVS Lib. V. *de consolatione Phil. Prosa VI.* loquutus est hoc modo: *aeternitas est interminabilis vitae tota simul & perfecta possessio*, quam definitionem HEBENSTREIT in Phil. prima Part. I. Cap. II. p. 142. seqq. *permanentiam in existentia, quae nec agnoscit nec agnoscere potest initium aut finem* significare, variis argumentationibus probavit atque affirmavit. Vsui vero loquendi Philosophorum conveniens esse, hancce aeternitatem *formalem* nominare sufficienter probant verba VELTHEMII *in Instit. Metaph. p. 620: si creatura habuisset aeternitatem, minime habuisset attributum Dei: Nam inter aeternitatem Dei & aeternitatem creaturae datur distinctio formalis & realis: aeternitas Dei* FORMALITER *est aeternitas, cui absolute repugnat non esse, non fuisse, non fore: aeternitas creaturae est aeternitas, cui absolute loquendo non repugnat non esse, non fuisse, non fore: aeternitas creaturae supponit perpetuo aliquid creatura prius prioritate naturae: aeternitas vero Dei omnem prioritatem naturae, a qua causative dependeat, simplicissime excludit.*

Continuatio huius probationis.

SCH. II. Hactenus de aeternitate formali. Quod alteram aeternitatis speciem, quam de possibili secundi ordinis solummo-

lummodo dicere licet, attinet, eam ex vsu loquendi aeternitatem secundum quid seu participatam posse nominari, docent verba CALOVII in Metaph. diu. *Cap. de duratione p. 265:* accipitur aeternitas 1.) Καταχρηστικως *pro tempore diuturno & longaeuo. Sed hunc aeternitatis significatum quasi improprium mitto.* 2.) Pergit Auctor citatus, sumitur, κυριολεκτως *pro duratione sine termino, quae fine destituitur seu termino ad quem; dicitur* aeternitas a posteriori *siue absolute; quae vtroque termino caret a quo & ad quem dicitur* aeternitas a priori & a parte ante & a parte post: *idque iterum vel* πρωτως *pro ea duratione, cui repugnat simpliciter initium & finis: vel* δευτερως *pro ea, quae non habet repugnantiam ad novitatem essendi & terminum, licet ab aeterno in aeternum duret. Istam vocant aeternitatem absolute primam & independentem, hanc secundum quid, comparate ortam & dependentem, qualem* PARTICIPATAM *aeternitatem dari posse disputant Scholastici.*

SCH. III. Et ita simul incidimus in definitionem *aeui.* Est enim ex Philosophorum sententia aeuum duratio vtrinque terminabilis, quae tamen a parte post sive a parte ante interminata, seu vt cum CALOVIO l. c. p. 267. dicam: aevum est finalis essendi indefectibilitas. Sed quid est, vt de termini aeui explicatione pluribus hic sollicitus sim. Si placet, legas CHAUVINI Lexicon citatum Tit. *Duratio.* *Aeuum quid.*

§. LXXXIV.

Si, dum A existit, etiam B C D &c. existunt, A B C D coexistere dicuntur, & A B C D *coexistentia* vel *simultanea* vocantur. Et si, dum A existit, B non existit, ipso autem A existere desinente B existere incipit, A & B *sibi succedere* adeoque *successiua* dicuntur. *Coexistere & succedere explicatur.*

§. LXXXV.

Sit A possibile, cuius determinationes essentiales simultaneae, A vocatur *possibile permanens*, si vero illius determinationes essentiales sint successivae, A dicitur *possibile successivum.* *Inde possibile est vel permanens vel successiuum.*

COR. I. Si non omnes determinationes essentiales ipsius A existunt, totum A existere, dici nequit (§. 18. 17. Cor. 1. coll. §. 76.). Si ergo A sit possibile successivum, totum illud A simul existere non potest. Quae vero de A illo existunt, sunt solummodo ipsius A partes (§. 18.).

COR. II. Quicquid ergo non admittit partes, nec possibile successivum esse potest. Si ergo A existens sit simplex, consequens est, vt sit possibile permanens (§. 16.).

COR. III. Et simul sequitur, 1.) vt A, si sit possibile primi ordinis, inter possibilia permanentia referri debeat (§. 73. Cor.). 2.) vt A, si existentia ipsius sit aeterna, sit possibile permanens (Cor. 1. & §. 82.).

§. LXXXVI.

Continuum atque interruptum quid.

Si varia ita coniunguntur, vt alia diversa inter ipsa poni non possint, *varia illa in continuo coniungi* dicuntur, & quod inde oritur, vocatur *continuum*. Si vero inter illa alia diuersa poni possunt, *coniungi interrupte* vocantur, & quod inde ortum trahit, *interrupti* accepit nomen.

COR. Concipi ergo potest tam existentia quam successio continua atque interrupta. (§. 84. seq.). Continuo vero sibi succedentia, ad momentum solummodo existere posse, docet §. 81.

§. LXXXVII.

Inde formatur notio temporis.

Series successionum continua, seu ille variorum respectus, quo vt continuo succedentia spectari possunt, vocatur *tempus*, & quidem in specie *actuale* seu *concretive sumtum*, quo tempus *abstractive sumtum* ab illo possit distingui. Quoniam enim ab esse ad posse valet consequentia (§. 70.), series etiam successionum continua mere possibilis, seu possibilitas variorum sibi continuo succedendi cogitari potest, quae *temporis abstractive sumti* accepit nomen.

COR. I.

COR. I. Quae ergo ideam temporis constituunt, ad momentum solummodo existunt (§. 86. Cor.). Adeoque in tempore observare licet 1.) aliquod, quod actu adest, & vocatur *praesens*, 2.) aliquod, quod praesens erat & esse seu existere desinit, dicitur *praeteritum*, & tandem. 3.) aliquod, quod possibile, & existens fiat, & quod *futuri* accepit nomen.

COR. II. Et facile simul ex dictis intelligitur, quo sensu, possibile successivum in tempore existere, (§. 85.), & quo possibilia, quae sunt in tempore, non esse tempus, dici possit (§. 84.).

COR. III. Vbi nulla est series successionum, ibi nec est tempus, sequitur ergo 1.) vt, quod tantummodo ad momentum existit seu fit, idem non existat seu fiat in tempore (§. 81.). 2.) vt, vbi nulla possibilium existentia, ibi nec tempus actuale concipi possit. (§. 84.).

SCH. Hac ex ratione a LEIBNITIO vid. *principia eius Philosophiae saepe citata* Def. 67. Sch. 2. dicitur, *ideam temporis ingredi diuersitatem, incompatibilitatem coexistendi siue successionem, & successionis continuitatem*, & BOETIVS Lib. V. de Consol. phil. prosa 6. loquutus est: *Quicquid viuit in tempore, id praesens a praeteritis in futura procedit, nihilque est in tempore constitutum, quod totum vitae suae spatium pariter possit amplecti. Sed crastinum quidem nondum apprehendit, hesternum vero iam perdidit, in hodierna quoque vita non amplius vivit is, quam in illo mobili transitorioque momento.* *Vsus loquendi probatur.*

§. LXXXVIII.

Duratio qua duratio non est tempus. Duratio enim est existentia continuata (§. 81.). Continuatio vero existentiae non est successio (§. 81. 84.). Quare cum tempus sit successio (§. 87.), duratio qua duratio tempus nominari nequit. *Duratio non est tempus.*

COR. Aeternitas est infinita existentiae duratio (§. 82.). Aeternitatem ergo tempus nominare non licet. In possibilitatem vero temporis infiniti infra inquiram.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Tamen per tempus mensurari potest.

Duratio, licet non sit tempus, tamen, si mensurabilis, per tempus mensurari potest. Quoniam enim duratio est existentia continuata (§. 81.), in omni duratione multitudinem momentorum concipere licet (§. cit. & §. 35.). Quicquid ergo multitudinem illam determinare atque indicare potest, per idem etiam vt durationem dictam metiri possimus, sequitur (§. 36. seqq.). Sed tempus multitudinem illam indicare posse patet (§. 87. & §. 35.), ergo & fieri potest, vt durationem, si sit mensurabilis, per tempus metiamur.

COR. Demonstratio generalis est, ergo & generalis sequitur conclusio, vt omne continuum simultaneum per tempus seu successionem continuam mensurari possit.

Consensus Philosophorum indicatur.

SCH. Hoc itaque sensu optime valet definitio Ill. WOLFII *Ont. cit.* §. *578.* data, *quod duratio sit existentia simultanea cum rebus pluribus successiuis, seu existentia vnius existentiae plurium successivorum continuata.* Et simul velim vt audias HEBENSTREITIVM *in Philos. prima l. c. Thes. XVII. not. V.* hoc modo dicentem: *Aeternitas est vnicum* NVNC *indivisibile, quod nunquam est praeteritum aut futurum. Loquor autem de aeternitate in se considerata. Largimur enim, aeternitatem sortiri denominationem successivitatis extrinsecam. Nam aeternitas nunc incipit coexistere rebus, si hae existere incipiant, & desinit coexistere rebus, si hae intereant, ac incipit coexistere aliis rebus, prout ipsae res succedunt. Quae quidem successio non competit aeternitati intrinsece, sed est saltem in creaturis, quibus coexistit aeternitas, & successivitatis denominatio, quae inde in aeternitatem resultat, est extrinseca duntaxat. Id quod* GVILIELMVS TWISSVS, *Reformatus Anglus, de scientia Dei media Lib. 2. p. 378. sic illustrat: Quemadmodum palus in fluuio fixus immobiliter successiue coexistit aquis praeterlabentibus non propter successionem aliquam intrinsecam sui, sed propter successionem extrinsecam aqua-*

aquarum praeterfluentium : ita coexistentia Dei partes habet per denominationem extrinsecam.

SCH. II. Specialiora infra addam. Generatim de possibilis & impossibilis in se spectati natura, quam hactenus consideravi, pro instituti ratione sufficienter dictum esse videtur. Ostensis itaque inde fluentibus, progrediar ad uberiorem tamen generalem nexus possibilium explicationem, quam sequens Philosophiae primae sectio, *primo* de nexu generatim, *deinde* de nexus principiis, *postea* de generalibus nexus differentiis & *tandem* de nexus consectariis agens, pro ratione instituti sistet. *Et huic sectioni imponitur finis.*

PHILOSOPHIAE PRIMAE
SECTIO II.
DE POSSIBILIVM NEXV
CAPVT I.
DE
NEXV EIVSQVE AFFECTIONIBVS GENERATIM.

§. XC.

A & B esse connexa, quatenus A continet determinationem sine B non possibilem, dixi (§. 56.). Ex adverso ergo *inconnexa* sunt, quorum unum non continet determinationem sine altero non possibilem. Quid sit *nexus*, ex dictis facile intelligitur. *Connexa & inconnexa definiuntur.*

COR. Fieri ergo potest, ut A & B aliquo respectu sint connexa, alio vero respectu inconnexa. Sunt enim solummodo connexa, quatenus eorum unum determinationem continet sine altero non possibilem.

§. XCI.

To *non-possibile* est vel absolute vel respective tale (§. 15.). Ergo & fieri potest, ut connexorum unum determina- *Nexus quando absolutus, quando respectivus.*

minationem sine altero vel absolute vel respective impossibilem contineat (§. 90.). Qua ex ratione etiam nexum in *absolutum* & *respectivum* dividam, illum ex prima, hunc ex ultima consideratione ortum trahere affirmans.

COR. Quicquid respective impossibile absolute spectatum possibile esse potest (§. 12. Cor. 2.). Ergo & a nexu respectivo ad nexum absolutum non valet consequentia.

§. XCII.

Quando extrinsecus quando intrinsecus.

Explicata nexus differentia fluit ex specifica ratione non-possibilis determinatione. Quoniam ergo connexorum unum determinationem continet sine altero non possibilem (§. 90.), fieri etiam potest, ut species nexus determinatione illa magis determinata formentur. Quare, cum determinationes sint vel intrinsecae vel extrinsecae (§. 40.), nexum esse vel *extrinsecum* vel *intrinsecum* affirmo. Si enim determinatio, vi cuius A & B sunt connexa, sit ipsius A vel B determinatio intrinseca, nexum eorum *intrinsecum*, si vero determinatio illa sit dicti A vel B extrinseca, nexum, qui inde oritur, *extrinsecum* nominabo, A & B vero priori respectu *intrinsece* & posteriori *extrinsece connexa* dicam.

COR. I. Determinationes cogitabilis intrinsecae sunt vel quantitates vel qualitates, & qualitates illae sunt vel determinationes absolutae vel hypotheticae (§. 42. Cor. 4. & §. 40. Cor.). Intrinsece itaque connexa vel ratione quantitatis vel ratione qualitatis, & ultimo respectu vel ratione determinationis absolutae, vel ratione determinationis hypotheticae talia sunt. De nexu ratione quantitatis dixi §. 51. Infra ergo nexus ratione qualitatum tam absolutarum quam hypotheticarum explicari debet.

COR. II. Ponamus A & B esse extrinsece connexa. Ergo fundamentum huius nexus est determinatio quaedam extrinseca ipsius A vel B. Sed determinationes extrinsecae, quae adsunt, salva subiecti, cui insunt, essentia abesse possunt (§. 46.), ergo & fieri potest, ut A cum B extrinsece connexum salva essentia sua respectu B fiat inconnexum.

COR. III.

COR. III. Determinationes extrinsecae sunt hypotheticae (§. 40. Cor.). Et omnes determinationes hypotheticae, salva subiecti, cui insunt, essentia abesse possunt (§. 30.). Quicquid itaque de nexu quoad determinationes extrinsecas Cor. 2. dictum, idem etiam de quocunque nexu, cuius fundamentum est determinatio quaedam hypothetica, generatim valet.

SCH. Hanc nexus differentiam, de qua §. 91. seq. dixi, licet vulgo neglectam, fundamento tamen, ut methodus, qua eam explicavi, docet, non destitutam, hic exponere consultum iudicavi. Permulta enim, quae de ratione sufficiente principiique, sufficientem rationem poscentis, adplicatione dicenda, non explicabunt solum, sed & magis magisque determinabunt. Quo vero usu quove commodo systema infra docebit. *Monitum.*

§. XCIII.

Sit A coexistens cum B. Ergo ipsi A competit determinatio extrinseca sine B non possibilis (§. 84. 40. & §. 6.), adeoque A & B extrinsece sunt connexa (§. 92.), qui nexus vocatur *nexus quoad coexistentiam.* Eodem modo iisdem ex principiis idea *nexus quoad successionem*, cuius species est *nexus quoad tempus* (§. 87.), evinci potest. *Nexus quoad coexistentiam & successionem explicatur.*

COR. Nexus ergo tam quoad coexistentiam, quam quoad successionem & in specie quoad tempus sunt nexus extrinseci. Salva itaque essentia ipsius A vel B tam eorum nexus quoad coexistentiam, quam quoad successionem & in specie quoad tempus cessare potest (§. 92. Cor. 2.).

§. XCIV.

Posito uno connexorum etiam alterum ponendum est, quatenus illud cum hoc connexum. Si enim A & B sunt connexa, quatenus connexa sunt, A continet determinationem sine B non possibilem (§. 90.). Posito igitur A cum B connexo, ponitur etiam dicta determinatio (§. 1.), sed dicta haec determinatio poni nequit, nisi ponatur B quatenus A cum illo *Qua ratione ab uno connexorum ad alterum concludi possit indicatur.*

connexum (§. 90.); posito ergo A cum B connexo, poni etiam debet B, quatenus cum ipso A connecti dicitur.

COR. I. Contineat B determinationes, quarum respectu A cum illo connexum, & determinationes, quarum respectu A cum illo non connexum dicitur. Illas brevitatis gratia *terminos nexus* nominabo. Posito ergo uno connexorum, etiam alterum quoad terminos nexus ut ponatur, per demonstrata solummodo necesse est.

COR. II. Si ergo termini illi nexus in alio quodam subiecto quam in B, in C scilicet, esse possunt, positio ipsius A etiam positionem alterius C involvere potest. Adeoque dictis sub determinationibus patet, A eodem modo, quo cum B connexum est, cum C posse connecti (§. 90. seqq.), vid. §. 93.

§. XCV.

Principium plura connectendi.

Connectatur A cum B quoad terminum M, & B respectu eiusdem termini connectatur cum C. Ergo etiam A cum C connecti dico. Si enim A connexum cum B respectu termini M, A continet determinationem sine B quatenus M continet non possibilem (§. 90.), sed B respectu M connexum est cum C (per hypoth.), ergo determinatio ipsius B, quae M dicta, sine C non possibilis est (§. 90.), atque adeo A determinationem continet sine C non possibilem (§. 4. & 11.), est ergo & A cum C connexum (§. 90.).

COR. I. Et ita incidimus in iustam & debitam explicationem principii: *Quae cum eodem tertio connectuntur, ea inter se connectuntur*, vid. §. 47. Cor. P. Log. Si enim A cum B quoad alium quendam terminum connexum sit, quam B cum C connexum dicitur, nexum ipsius A cum C ex dicto principio inferri non posse, demonstrationes, quibus illud corroboraverunt Philosophi, sufficienter docent, vid. §. 12. Cosmol. Lat. Ill. WOLFII.

COR. II. Qualis vero sit ille nexus, qui dictis A & C intercedit, absolutus aut respectivus (§. 91.), intrinsecus aut extrinsecus (§. 92.), quoad coexistentiam aut successionem vel quoad tempus

tempus (§. 93.), ex obiectorum, quae obveniunt, consideratione, facili negotio inferri poterit.

COR. III. Et simul dato ex principio deduci potest, quo sensu, *series simultaneorum atque successivorum, inter se connexorum*, possibilis nominari possit. Sed de nexu generatim spectato sufficienter hactenus dixi. Transeamus itaque ad specialiora.

CAPVT II.

DE NEXVS PRINCIPIIS ATQVE DE PRINCIPIO RATIONIS SVFFICIENTIS SPECIATIM.

§. XCVI.

Ratio tam sufficiens quam insufficiens explicatur.

Rationem §. 21. P. Log. dixi, quod efficit, ut aliquid sit ita nec aliter. Et ibidem rationem in *sufficientem* & *insufficientem* dividendam esse affirmavi. *Sufficiens* est *ratio*, si haud quiddam amplius requiritur, ut aliquid sit ita nec aliter, *insufficiens* vero est, si adhuc plura desiderantur, ut aliquid sit ita nec aliter. Id, cuius est dicta ratio sufficiens, brevitatis gratia nominabo *rationatum*.

COR. I. Ratio itaque sufficiens atque rationatum sunt connexa (§. 90.). Quae ergo de connexis §. 90. ss. dicta, omnia etiam de ratione sufficiente atque rationato valent. Posita itaque ratione sufficiente ponitur & rationatum, & posito rationato ponitur ratio sufficiens (§. 94.). Ultimum principium est, quod *principium determinans* nominatur. vid. §. 26. Cor. 2. P. Log.

COR. II. Et quatenus efficitur, ut aliquid sit ita nec aliter, ita, ut nil amplius ad hoc requiratur, eo etiam respectu ratio sufficiens constituitur.

SCH. Idem est, quod Ill. WOLFIVS §. 56. Ont. lat. per rationem sufficientem mea quidem sententia intelligit, *eam per id*, *Vsus loquendi probatur.*

id, unde intelligitur cur aliquid sit, explicans, & idem etiam significat LEIBNITII definitio, vid. *Principia Philos. citata, rationem esse id, ex quo intelligi & explicari potest, cur aliquid existat potius, quam non existat, & cur hoc potius, quam alio modo existat*, docens. Rationem vero, cur verbis generalioribus illam explicaverim, infra explicanda docebunt. Sunt quidem, qui rationem in *rationem ut*, in *rationem ne*, & *rationem quia* dividendam esse affirmarunt, quo vero fundamento nescio. Cur enim non simul in *rationem unde*, *quamobrem*, *qua de causa*, *cur &c.* rationem distinguendam esse velimus affirmare, eadem enim adest ratio. Sed hae ratiunculae plausum habent apud vulgum, apud veros autem Philosophos fastidium. vid. CHAUVINI *Loc. cit. Tit. ratio.*

§. XCVII.

Ratio sufficiens est vel simplex vel complexa.

Ratio sufficiens est cogitabile (§. 96. 9.), omne cogitabile est vel simplex vel complexum (§. 16.), ergo & ratio sufficiens in *simplicem* & *complexam* dividi potest. Si *posterius*, ratio illa sufficiens in varia resolubilis est, si vero *prius*, non item.

COR. Si ergo ratio sufficiens est complexa, varia, quae illam constituunt, partes ipsius nominari possunt (§. 18.). Adeoque, si A est ratio sufficiens ipsius B quae complexa, pars ipsius A est dicti B ratio insufficiens (§. 96. & §. 49. Cor.).

§. XCVIII.

Vel analytica vel metaphysica.

Quicquid efficit, ut aliquid sit ita nec aliter, efficit, ut aliquid sit ita nec aliter vel in se, vel quoad cognitionem nostram. Si prius, rationem illam *metaphysice sumtam*, & si posterius, *analytice* seu *logice sumtam* nominabo. Quid sit *ratio sufficiens metaphysice & analytice sumta*, rationatum metaphysice & analytice sumtum ex dictis coll. §. 96. facile intelligitur.

COR. Ratio sufficiens & rationatum sunt connexa (§. 96. Cor. 1.), ergo & nexum in metaphysicum atque analyticum seu logicum

logicum dividere licet, quorum definitiones ex commate immediate fluunt.

SCH. Hanc rationis distinctionem fundamento non destitutam etiam cum Philosophorum usu loquendi convenire, ita evinco: causſam veteres Philosophos in metaphysice & analytice sumtam distinxisse notum est. vid. VELTHEMIVM in Metaph. Cap. VIII. & XI. Part. I. *Methaphysice* esse causſam, *unde aliud in esse suo procedit, & logice causſam esse rationem a priori, qua analyticam responsionem ad quaestionem scientificam (hoc est solidam omnibusque numeris absolutam probationem) desideranti exacte satisfacere potest & debet*, docentem. Sufficientem rationem totius de causſa doctrinae fundamentum esse ex inferioribus patebit. Quae itaque a Philosophis de causſis specifice dicta, ea generatim de ratione sufficiente dicere licet. Non vero haec abstractio ingenii tantummodo est, sed maximi usus, huius enim Te admonebo in sequentibus, ubi quaestio erit de principii rationis sufficientis universalitate, atque de actionum liberarum ratione sufficiente. *Vsus loquendi probatur.*

§. XCIX.

Quicquid efficit, ut aliquid hoc & non alio modo cognoscatur, est ratio sufficiens analytice seu logice sumta (§. 98.). Sed contradictorie oppositorum unum per alterum cognosci potest (§. 10. 4. conf. §. 328. seqq. Log.). Ergo & contradictorie oppositorum unum alterius ratio sufficiens analytice sumta nominari possit, sequitur. *An ab illa ad hanc valeat consequentia.*

COR. Quamobrem cum fieri nequeat, ut contradictorie oppositorum unum efficiat, ut alterum in se sit ita nec aliter (§. 10. seq.), consequens est, ut a rationem sufficientem analytice sumtam habere ad rationem sufficientem metaphysice sumtam habere, non valeat consequentia (§. 98.).

§. C.

Quicquid est, aut est existens aut mere possibile (§. 72.). Quicquid ergo efficit, ut aliquid in se sit ita nec aliter, idem efficit *Ratio metaphysice sumta est vel essendi vel fiendi.*

efficit vel quoad posse vel quoad existere. Adeoque ratio metaphysice sumta (§. 98.) in *rationem possibilitatis* atque *actualitatis*, aut, ut cum Philosophis loquar, in *rationem essendi & fiendi* dividi potest. Quando vero ratio haec essendi atque fiendi sit *sufficienter*, quando *insufficienter* talis, ex notione de sufficiente & insufficiente ratione §. 96. data nullo negotio patebit.

COR. A posse ad esse non valet conclusio, licet ab esse ad posse inferri possit (§. 70. & 71.). Posita ergo ratione sufficiente essendi, ratio sufficiens fiendi non statim ponitur, licet posita ratione sufficiente fiendi ratio sufficiens essendi poni debeat.

§. CI.

Ratio fiendi existens esse debet.

Ratio sufficiens fiendi qua talis debet esse existens. Ratio enim sufficiens fiendi efficit, ut aliquid in se hoc & non alio modo existat (§. 100.). Ergo ratio sufficiens fiendi non debet esse contradictorie oppositum alterius qua existentis (§. 99. Cor.). Sed existentis qua talis contradictorie oppositum est non existens (§. 10. 72.), ergo ratio sufficiens fiendi qua talis debet non esse non existens, adeoque, ut in numerum existentium referatur, necesse est. (§. 4.).

COR. I. Si aliquid existat per rationem sufficientem, ratio illa sufficiens debet esse fiendi (§. 100.), sed ratio sufficiens fiendi esse nequit, nisi existens (per. dem.), si ergo aliquid existat per rationem sufficientem, ut ratio illa sufficiens existat, necesse est. Et hic est sensus canonis Philosophorum: *a nihilo*, id est non existente, *nil fit*, id est, nil est existens.

COR. II. Si ergo de existentis cuiusdam ratione sufficiente, quae non existens, dicatur, haec fiendi ratio esse nequit (Cor. 1.). ergo est vel ratio essendi vel ratio analytice sumta, (§. 100. & 98.). adeoque rationem, de qua dicitur, rationem existentis qua talis nominare, non licet.

§. CII.

§. CII.

Generalem hanc ex dictis infero conclusionem: *Quicquid cum nudo possibili sensu metaphysico connexum est, idem etiam nudum possibile esse debet.* Quicquid enim cum nudo possibili sensu metaphysico connexum est, idem in nudo possibili rationem habet sufficientem metaphysice sumtam (§. 98. Cor.). Quicquid vero in nudo possibili rationem habet sufficientem metaphysice sumtam, id aut est existens aut non (§. 72. & §. 4.). Si prius, ratio illa sufficiens debet esse ratio fiendi (§. 100.), adeoque existens (§. 101.), consequenter non est nudum possibile (§. 72.). Quare, cum hoc hypothesi repugnet, consequens est, ut posterius esse debeat, seu cum nudo possibili sensu metaphysico connexum nudum possibile sit, necesse est. *Quod cum nudo possibili connexum, quid sit.*

COR. Nudum itaque possibile A, cum quo alterum B sensu metaphysico connexum, non posse ipsius B rationem sufficientem esse, nisi essendi, simul patet ex demonstratis. vid. §. 100. & 98. Cor.

§. CIII.

Ratio est, quod efficit, ut aliquid A sit ita nec aliter (§. 96.); ergo hoc efficiens illud est vel in A vel extra A vel ex parte in A & ex parte extra A (§. 40.). Si prius, ratio vocatur *intrinseca*, si alterum, *extrinseca*, & si ultimum, *intrinseco-extrinseca.* Ex quibus simul intelligitur, quid *ratio intrinseca sufficiens & insufficiens, extrinseca sufficiens & insufficiens*, & quando illae rationes sensu metaphysico, quando sensu analytico sumi possint (§. 98.). *Ratio intrinseca & extrinseca explicatur.*

COR. Sit ratio obvia sufficiens extrinseco-intrinseca, ergo est ratio sufficiens composita (§. 91.), consequenter ratio intrinseca & extrinseca, quae illam ingrediuntur, quatenus separatim spectantur, sunt obviae rationis sufficientis partes (§. 97. Cor.). Adeoque separatim spectatae inter insufficientes referri debent rationes (§. cit. Cor.).

Explicatio haec ex alio quodam fundamento deducitur.

SCH. Eadem etiam rationis differentia ex natura nexus deduci potest. Ratio enim & rationatum sunt in nexu (§. 96. Cor. 1.). Nexus vero est vel intrinsecus vel extrinsecus (§. 92.), ergo & fieri potest, ut nexus ille rationis & rationati sit vel intrinsecus vel extrinsecus. Si prius, rationem dicti rationati intrinsecam, & si posterius, dicti rationati extrinsecam rationem nominare licet. Vsus huius distinctionis non erit exiguus.

§. CIV.

Impediens atque impedimentum quid.

Sit A quatenus in se spectatur ratio sufficiens ipsius B. Ponamus C continere rationem, cur A fiat ratio ipsius B insufficiens; C vocatur *impediens*, & quo rationem illam continet, seu ratio ipsa *impedimenti* accepit nomen.

COR. Sequitur itaque 1.) ut impedimentum efficiat, ut ratio in se sufficiens fiat insufficiens (§. 96.); 2.) ut impedimento omnia, quae de ratione in superioribus dicta, applicari possint. Adeoque impedimentum esse potest vel sensu metaphysico vel analytico vel analytico-metaphysico tale (§. 98.), & impedimentum sensu metaphysico tale esse potest vel fiendi vel essendi (§. 100.), & in utroque casu vel extrinsecum vel intrinsecum vel extrinseco-intrinsecum (§. 103.). Omnes tandem hactenus explicatae impedimenti species permittunt, ut impedimentum in sufficiens & insufficiens dividatur (§. 96.).

§. CV.

Ratio removens & efficiens quid.

Ponamus B sine ratione sufficiente esse non posse, ponamus porro impedimentum C adesse, ergo B, nisi remoto C, esse nequeat, sequitur (§. 104.). Atque adeo remotio impedimenti C est ratio ipsius B cur adsit (§. 96.). Quicquid ergo efficit, ut aliquid sit ita nec aliter, idem vel solummodo efficit per remotionem impedimenti, vel non. Si prius rationem posthaec *removentem*, seu ut cum Philosophis loquar, *rationem sine qua non*, & si posterius, rationem *propriam* seu *efficientem* nominabo.

COR. I.

COR I. Ratio itaque sine qua non, cur B sit vel existat, efficit tantummodo, ut ratio sufficiens existentiae ipsius B maneat sufficiens (§. 104.), atque adeo ratio sufficiens existentiae ipsius B nominari nequit (§. 96.).

COR. II. Ratio vero efficiens quando sufficiens quando insufficiens nominari possit, facili negotio ex §. 96. inferri potest.

SCH. I. Rationem, quam removentem seu sine qua non nominavi, etiam rationem occasionalem nominare possem. Quoniam vero loquendi usus, quem infra indicabo, ut occasionis terminus significatu quodam latiori sumatur, requirit, hac in explicatione sequutus sum ANTONIVM LE GRAND *in Institutionibus Philosophiae Part. I. Cap. IX. §. XXI.* docentem: *Solidum cubiculum illuminat, causa propria (seu potius efficiens) luminis appellatur, quod in eo reperitur. Fenestrae vero apertio, aut Valvarum remotio est tantum causa sine qua non, talis effectus non sequeretur; quae alio nomine conditio sine qua non dicitur.* *Usus loquendi probatur.*

SCH. II. Explicatis hactenus rationis differentiis generalibus, reliquum est, ut principii rationem sufficientem poscentis sensus exponatur, eiusque veritas demonstretur. Id quo obtineri possit, primo de rationis sufficientis principio in proxime sequentibus quaedam negative, & deinde affirmative dicam atque explicabo. *Transitus ad reliqua.*

§. CVI.

Si A tum demum poni potest, quando alterum B iam positum, A dicto B *posterius*, B vero illo A *prius* esse dicitur. Poni vero tum demum potest A, si alterum B iam positum, vel in se, vel quoad cognitionem nostram, vid. §. 98. adeoque aliquid altero *prius* dici potest vel *re* vel *ratione*, & idem valet de *posterioritate*. *Prioritas atque posterioritas definitur.*

SCH. Prius multis quidem modis a Scholasticis aliquid altero dicitur, *tempore* scilicet *natura*, *ordine*, *dignitate*, *causalitate* atque *naturali enumeratione*, sed dictae definitiones, *Et Prioritatis differentia ex Scholasticorum Philosophia indicatur.*

formata distinctio atque clarae de terminis notiones ea sufficienter indicabunt, quae differentiam illam a Scholasticis positam determinant, adeo opus non est, ut varios illos prioritatis modos accuratius explicemus. Legas interim STALII *Reg. Phil. Part. II. Disp. X. Reg. VII.* & SVAREZII *Disp. Metaph. Disp. XXXVIII. Sect. II.*

§. CVII.

Explicatae notiones ad rationem sufficientem & rationatum adplicantur.

Quicquid est ratio sufficiens, id prius esse debet rationato; & rationatum posterius esse debet ratione sufficiente. Ratio enim sufficiens sine rationato esse nequit (*§. 96. Cor. 1.*), sed rationatum tum demum poni potest, si ratio sufficiens iam posita (§. 96.), ut igitur ratio sufficiens prior sit rationato, consequens est (§. 106.). Q. e. p.

Eodem modo rationatum posterius esse ratione sufficiente, evinci potest.

COR. I. Quicquid itaque est ratio sufficiens sensu analytico, id *ratione* prius esse debet rationato, & quicquid est sensu metaphysico ratio sufficiens, idem etiam *re* prius esse debet rationato (§. 106. & §. 98.). Et quo sensu rationatum ratione sufficiente posterius dici possit, simul ex dictis immediate patet.

COR. II. Nec minus infero per contrapositionem: Quo non esse potest prius in cognitione, idem nec rationem sufficientem sensu analytico sumtam habere potest; & quo non esse potest prius re, eius nec ratio sufficiens sensu metaphysico esse potest.

COR. III. Principii ergo contradictionis nec sensu analytico nec sensu metaphysico ratio sufficiens sit, consequitur (§. 3.).

SCH. Explicato ex principio immediate fluit, quo sensu vera sit notio, qua acutissimus CANZIVS in append. Regim. Dei §. 7. naturam rationis indicavit, eam esse notionem antecedentem, ex qua consequens intelligitur, affirmans.

§. CVIII.

Quo sensu essentiae rationem sufficientem habere nequeunt.

Essentiae seu quidditates cogitabilium qua tales nullam rationem sufficientem sensu metaphysico habere possunt, Id enim, quo

quo non prius esse potest re, sensu metaphysico rationem sufficientem habere nequit (§. 107. Cor. 2.), sed essentiae seu quidditates cogitabilium qua tales, sunt, quae primo loco in cogitabilibus illis poni possunt (§. 15.), adeoque essentia seu quidditate cogitabilis prius re esse nequit (§. 106. & §. 1.), consequenter fieri non potest, ut essentiis seu quidditatibus cogitabilium qua talibus sit ratio sufficiens metaphysice sumta.

COR. Ratio itaque sufficiens, quam essentiis seu quidditatibus cogitabilium qua talibus tribuere licet, non esse potest, nisi ratio analytice sumta (§. 4. & §. 98.). Ita e. g. attributa essentiarum rationes sufficientes sensu analytico non vero metaphysico nominantur.

SCH. VELTHEMIVS in Inst. Metaph. Part. I. C. VII. §. 5. easdem cogitationes generatim explicatas speciatim ita exprimit: *Quoad cognitionem confusam effectus prior dici potest caussa, caussa posterior effectu: quoad cognitionem distinctam causa semper prior est effectu, effectus posterior causa. Nam effectus in cognitione distincta procedit a causa, causa in cognitione confusa procedit ab effectu.* vid. etiam SVAREZIVM loco ante citato. *Consensus Veterum*

§. CIX.

Possibilis primi ordinis essentia seu quidditas sine existentia esse nequit (§. 73. Cor.). Quamobrem, cum existentia existentis ab eius essentia non differat (§. 76.), existentia possibilis primi ordinis est ipsius essentia seu quidditas qua talis (vid. §. 15. Cor. 1.). Possibilis itaque primi ordinis existentia rationem habere nequit sufficientem, nisi analytice sumtam (§. 108. Cor.). *Dicta adhibentur ad possibile primi ordinis.*

COR. Quae ergo de existentiae possibilis primi ordinis ratione sufficiente a Philosophis dicuntur, de ratione sufficiente analytice sumta solummodo valere possint, consequens est (§. 98.).

SCH. Quo ex principio contra Cartesianos infra veteres defendam Philosophos, dicentes: *Deum non esse a se positive hoc*

sensu, quasi sui ipsius caussa efficiens sit, seque per verum ac realem influxum producat primum, aut conservet, sed negative, seu eo sensu, quod non sit ab alia causa. vid. GREGORIVM NAZIANZENVM in Orat. XXIX., & HEBENSTREITIVM in Theol. Nat. Exerc. VI. §. IX. seqq. Simulque ex dictis patet, *sine ratione esse, & ex nihilo fieri* vix ac ne vix quidem contradictorie opposita nominari posse (§. 10.). Minime ergo sufficienter ex illius positione huius negatio meo quidem iudicio infertur.

§. CX.

Extensio rationis sufficientis metaphysicae indicatur.

Si subiecto A aliquid, quod rationem sufficientem metaphysice sumtam agnoscit, tribuitur, idem subiecto A praeter quidditatem suam tribuatur, necesse est. Aut enim praeter quidditatem ipsi A conceditur, aut non (§. 4.). Ponamus posterius, ergo ponendum est, quidditates cogitabilium qua tales posse rationes sufficientes metaphysice sumtas habere: quod cum sit absurdum (§. 108.), ut prius sit, consequitur, seu, quicquid subiecto A ita tribuitur, ut rationem sufficientem metaphysice sumtam agnoscat, idem subiecto A praeter quidditatem suam competere debet.

Et ex Consensu Philosophorum probatur.

SCH. Nemo hoc non concedit, cum idem ea doceat definitio, qua rationem sufficientem explicare solent Philosophi, quaestioni, *quid est ratio sufficiens?* respondentes: *ratio sufficiens est, unde intelligitur, cur aliquid sit, id est, cur aliquid potius sit quam non sit, cur sit potius hoc modo, quam alio.* (Sch. §. 96.). Ita enim argumentor: Si de ratione quaeritur sufficiente, ex Philosophorum sententia quaeritur, cur ALIQVID sit, vel cur sit hoc & non alio modo; quaeritur itaque cur ALIQVID, quod subiectum est, hoc & non aliud habeat praedicatum (§. 9. Ax. P. Log.), adeoque ex eorum sententia ratio illa sufficiens minime subiectum qua subjectum, sed solummodo combinationem praedicati cum subiecto spectare potest, vid. Cor. 1. §. 21. seqq. P. Log. De quibus ergo subiecti determinationibus rationem sufficientem metaphysice sumtam affir-

affirmare licet, etiam ex Philosophorum sententia determinationes sunt, quae subiecto praeter quidditatem suam tribuendae (§. 15. & 26. & §. 98. seqq.).

§. CXI.

Principii rationis sufficientis demonstratio.

Sine ratione sufficiente de subiecto A aliquid praeter quidditatem suam affirmare, absonum est. Ponamus ipsi A praeter quidditatem inesse B sine ratione sufficiente. Ergo B ipsi A inest ita, ut plura tamen adhuc requirantur, si B & non potius oppositum non B dicto A inesset (§. 96.). Si vero plura adhuc requiruntur, si B dicto A insit, quam quae adsunt, B dicto A non inest (§. 4.): adeoque si quis sine ratione sufficiente de subiecto A velit affirmare, quod praeter quidditatem suam B illi insit, B simul inesse & non inesse concedere debet (*per demonstrata*). Quare, cum hoc principio contradictionis repugnet, (§. 1.), atque adeo absurdum sit (§. 6.), absonum etiam est, de subiecto A aliquid praeter quidditatem suam sine ratione sufficiente affirmare.

SCH. I. Aliam huius principii, quod a Philosophis *principium rationis sufficientis*, ab aliis etiam, sed minus commode, *principium actualitatis* dicitur, demonstrationem dedi §. 22. P. Log., aliamque vide in Ill. WOLFII *Inst. Met.* §. 31. & *in Ontol. lat.* §. 70. Conf. Ill. BILFINGERVM in *Dilucidat. philosophicis* p. 67. seqq. Excell. STRAEHLERVM in Dissert. *de sensu & usu principii rationis suff.* cui adiungi potest Clar. CARPOVII *Diss. de principio Rat. suff.* A variis vero vario modo hocce enunciatur principium, a LEIBNITIO enim negative effertur: *Nihil sit sine ratione sufficiente*, vid. BILFINGERVM l. c. Sect. I. Cap. III. §. LXXIII, a WOLFIO negative & affirmative: *Nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit quam non sit, hoc est, si aliquid esse ponitur, ponendum etiam est aliquid, unde intelligitur, cur idem potius sit, quam non sit*, seu *quicquid est, debet habere rationem sufficientem.* Sed non sine sufficiente ratione, quam §. 108. vide, verba huius principii, non vero eius sensum, mutavi, quo determinatius intelligi possit, quando

quando ad datas quaestiones ex principio rationis sufficientis responsio sit deducenda.

Explicatio principii iusta pronuntiatur.

SCH. II. Me verum principii rationis sufficientis sensum non mutasse, *primo* ex rationis sufficientis definitione ubique recepta, *deinde* ex mente LEIBNITII ex exemplis illud abstrahentis, atque *tandem* ex dictis Ill. WOLFII sufficienter probare possum. Primum iam §. 110. Sch. feci; ex mente LEIBNITII in *Theodicea* part. I. §. 44. indicata, ita argumentor: citatus ille Philosophus probationis loco, qua principium illud corroborare voluit, provocat ad experientiam, negatque exemplum in contrarium afferri posse. Sed quid docet experientia de ratione sufficiente? nil profecto, nisi quod obiectis, quae obveniunt, praeter quidditates suas nulla sine ratione sufficiente tribuantur praedicata, atque adeo ex mente LEIBNITII is est principii rationis sufficientis significatus, quem indicavi. Nec alio quodam significatu principium illud ab Ill. WOLFIO probatum esse, eodem modo ex verbis Celeberrimi Philosophi §. 75. Ontol. lat. propositis patebit, ita enim ille: *Quoniam ea est mentis nostrae natura, ut naturali quodam impetu in rationem sufficientem eius feratur, quod est, nec principium rationis sufficientis experientiae contrarium deprehenditur, quin potius a casu quovis singulari abstrahi potest, consequenter eius veritas per notiones confusas, quas experientia in mente nostra excitavit, sola attentione innotescit, nisi perversa studendi methodo depravatum & praeiudiciis praepeditum habueris animum; principium rationis sufficientis absque probatione instar axiomatis sumere licet.* Si velis opponere significatum, quo ARCHIMEDES illo principio in stabiliendis principiis staticis usus est, quae opponis certe, corroborabunt affirmata. Eo enim significatu principio illo usus est Mathematicus ille, quo principium illud staticum, *quod aequalia gravia ab aequalibus longitudinibus aequiponderent*, possit confirmari. Iam adplices, quae velis, hermenevticae principia, si modo rationalia, & si his adplicatis alium, quam quem dicti principii indicavi, significatum poteris eruere, res mihi mea desperata sit.

SCH. III.

Atque eodem Scholaſticos uſos eſſe probatur.

SCH. III. Explicato itaque atque demonſtrato principio rationis ſufficientis, miror principium illud ab eruditis in varias deductum eſſe controverſias, infra, ubi principia permittent, removendas. Omnes enim diſſentientes principium illud Philoſophorum, *nil fieri ſine cauſſa* admittunt, concedunt itaque, quod negant. Dicunt forſan, principium rationis ſufficientis ex Philoſophorum ſententia generalius eſſe axiomate illo, quo iam dudum Scholaſtici uſi ſunt; ſed permittatis, quaeſo, ut dicta alio quodam reſpectu concedam, alio vero negem. Concedo dicta, ſi terminus *cauſae* ſignificatu ſtrictiori ſumitur; nego vero, ſi cauſſae terminus ita ſumitur, ut *virtualis* atque *formalis* cauſſa ſint eiusdem ſpecies, qua de cauſſae differentia infra pluribus. vid. interim VELTHEMIVM l. c. Cap. XI. §. 6. ſeqq.

§. CXII.

Principium R. S. reſolvitur in P. C.

Concluſiones ex dictis non paucae inferri etiam hoc loco poſſent: dabo aliquas breviter.

I. *Principium rationis ſufficientis reſolvitur in principium contradictionis.* B enim poſito A, & non admiſſo principio rationis ſufficientis, ſimul ineſſe & non ineſſe poteſt (§. 111.) quod principium contradictionis evertit. *vid. Dilucidat. Phil. Ill.* BILFINGERI *Sect. I. Cap. III. §. LXXIII.*

§. CXIII.

P. R. S. qualem ſufficientem rationem poſcit.

II. *Principium illud demonſtratum rationem ſufficientem poſcit, non vero determinate hanc vel illam rationis ſufficientis ſpeciem.* Vi enim principii rationis ſufficientis neceſſe ſolummodo eſt, ut de ſubiecto quodam A praeter quidditatem ſuam nil ſine ratione ſufficiente affirmetur (§. 111. cum Sch. Sch.), ſed rationis ſufficientis varias ſpecies cogitare licet (§. 97. ſſ.), quare, cum a genere ad ſpeciem determinatam non valeat conſequentia (§. 32. Cor. 3. P. Log.), principium illud rationem quidem poſcit ſufficientem, non vero determinate hanc vel illam rationis ſufficientis ſpeciem.

COR. Sequentes ergo ex dictis fluunt propositiones.

1.) Si ratio illa sufficiens non est simplex, debet esse complexa; & si non complexa, debet esse simplex (§. 97. & 16).

2.) *Porro ex* §. *98. concludo*, si ratio illa sufficiens non est metaphysica seu sensu metaphysico talis, aut est analytica seu sensu analytico talis, aut analytico-metaphysica.

3.) Si non est analytica aut est metaphysica aut analytico-metaphysica.

4.) Si non est analytico-metaphysica, aut est analytica solummodo, aut solummodo metaphysica. Ergo

5.) Si non est analytico-metaphysica nec solummodo sensu analytico talis, debet esse metaphysica; & si non est analytico-metaphysica nec solummodo metaphysica, debet esse analytica.

6.) Si tandem non solummodo est analytica, nec solummodo metaphysica, ut sit ratio analytico-metaphysica, sequitur.

7.) *Porro infero ex* §. *103.* si ratio illa sufficiens non est intrinseca, debet esse extrinseca aut intrinseco-extrinseca.

8.) Si non est extrinseca, debet esse intrinseca aut extrinseco-intrinseca.

9.) Si non est extrinseco-intrinseca, aut est solummodo intrinseca aut solummodo extrinseca.

10.) Si non est extrinseco-intrinseca nec solummodo intrinseca, debet esse extrinseca.

11.) Si non est extrinseco-intrinseca nec solummodo extrinseca, debet esse intrinseca.

12.) Si tandem non solummodo est intrinseca, nec solummodo extrinseca, ut sit ratio intrinseco-extrinseca sufficiens, necesse est.

13.) *Porro ex* §. *105. argumentor.* Si ratio illa sufficiens metaphysica scilicet, vid. 98. non est efficiens, aut ratio removens, aut ex ratione removente & efficiente composita esse debet.

14.) Si non est removens, aut est efficiens, aut ex removente & efficiente composita. 15.) Si

15.) Si non est ex removente & efficiente composita, aut est solummodo efficiens, aut solummodo removens.

16.) Si non est ex removente & efficiente composita, nec solummodo efficiens, debet esse removens.

17.) Si non est ex removente & efficiente composita, nec solummodo removens, debet esse efficiens.

18.) Si tandem non solummodo est efficiens, nec solummodo removens, ex removente & efficiente composita sit, consequens est.

Explicatis itaque principiis eo compositis modo, quem in Cor. §. 123. Log. praescripsi, quod, quoniam facili fieri potest negotio, studio Lectorum committam, omnia patebunt fundamenta, ex quibus non ad quaestiones solum, sed & ad controversias, quae de ratione sufficiente moveri possunt, responsiones sunt deducendae.

§. CXIV.

III. *Si B, quod subiecto A praeter quidditatem suam tribuitur, est existens, etiam ratio sufficiens fiendi, per quam B illud est existens, existere debet.* Si enim B illud, quod subiecto A praeter quidditatem suam tribuitur, sit existens, ratio huius existentiae sufficiens & quidem fiendi esse debet (§. 111. & §. 100.), sed ratio sufficiens fiendi esse nequit, nisi quod existens (§. 101.), ergo & ratio sufficiens fiendi existere debet, per quam B illud existit. *Principium demonstrandi R. S. existentiam.*

COR. Possibilis secundi ordinis quidditas sine existentia constare potest (§. 73. Cor. & §. 15. Cor. 1.). Si ergo existit, etiam ratio sufficiens fiendi, per quam existit, existere debet. Sed quaeritur qualis? infra respondebo.

SCH. Impossibilis itaque est tam *casus purus*, quam *qualitas*, quae a Philosophis *occulta* dicitur. *Casus* enim *purus* est actualitas possibilis secundi ordinis ratione sufficiente destituta, & *qualitas occulta* dicitur, quae sine sufficiente ratione subiecto praeter quidditatem suam inesse ponitur. *Inde casus puri & qualitatis occultae impossibilitas infertur.*

§. CXV.

Ratio ultima & series rationum subordinata definitur.

Quicquid est ratio alterius, vel iterum suam habet rationem vel non. Si posterius, vocatur *ratio ultima*, & si prius, oritur *series rationum subordinata. Subordinantur enim rationes*, si efficitur, ut una fiat ratio alterius, & haec iterum fiat ratio sequentis, & ita porro.

§. CXVI.

Quae vel finita vel infinita.

In serie itaque rationum subordinatarum seu in progressu rationum concipere licet quantitatem seu magnitudinem (§. 115. & §. 35.). Quare, cum quantitas sit vel finita vel infinita (§. 37. seq.), etiam *progressum rationum in progressum in infinitum* atque *finitum* dividere licet. Ille est, qui non admittit terminos; hic vero, qui terminos admittit, (§. 23.).

COR. In serie itaque rationum subordinatarum in infinitum, seu in progressu rationum in infinitum rationem ultimam ponere non licet (§. 115. & 23.). Ex quibus simul perspicue adparet, quo sensu progressum rationum in infinitum in *simpliciter*, & tantummodo *ex parte talem*, & ultimum in *progressum in infinitum ex parte ante & ex parte post talem* dividere licet. vid. Sch. 2. ad §. 83.

§. CXVII.

Haec est vel rectilinea vel circularis.

In progressu rationum in infinitum rationem ultimam ponere non licet (§. 116. Cor.). Ergo vel a termino quocunque in eodem assumto receditur, vel ad terminum, a quo receditur, rursus rationes subordinatae restituuntur. Si prius, progressus in infinitum vocatur *rectilineus*, & si posterius, *circularis.* Denominationes a linea recta & circulari desumtae sunt.

§. CXVIII.

Sine ratione ultima nulla ratio est sufficiens.

Sine ratione ultima ratio sufficiens impossibilis est. Ponas enim rationem sine ratione quadam ultima, quamcunque rationem quam ponis, iterum habere rationem, admittere debes (§. 115.), adeoque continuo plura desiderantur, ut, quod ponis, sit ita nec aliter (§. 1.). Fieri igitur nequit, ut ratio quaedam sufficiens, non adsumta ratione quadam ultima, possit nominari. (§. 115. & §. 96.).

COR.

COR. Sine ratione sufficiente de subiecto A aliquid praeter quidditatem suam affirmare, absonum est (§. 111.), ergo & rationem quandam ultimam hac de coniunctione admittere debemus.

§. CXIX.

In progressu rationum in infinitum qua tali non datur ratio sufficiens. Qua enim in rationum serie non datur ratio quaedam ultima, ea nec rationem sufficientem continet (§. 118.), sed progressus rationum in infinitum qua talis est eiusmodi series, in qua non datur ratio ultima (§. 116. Cor.), ergo & consequens est, ut in progressu rationum in infinitum qua tali non sit ratio sufficiens.

Quo sensu progressus rationum in infinitum est impossibilis.

COR. I. Ergo nec in progressu in infinitum rectilineo, nec in progressu in infinitum circulari qua tali datur ratio quaedam sufficiens.

COR. II. Si ratio sufficiens non est intrinseca, ea vel extrinseca vel intrinseco-extrinseca esse debet (§. 113. Cor. pr. 7.). Progressum ergo in infinitum vel rectilineum vel circularem vel utrumque concedens, rationem eius ultimam extrinsecam simul concedere debet. Non itaque ex principio in §. demonstrato progressus rationum in infinitum impossibilitas immediate fluit. vid. Ill. WOLFII *Cosm. lat.* §. *93.*

§. CXX.

Si possibile secundi ordinis existit, etiam possibile primi ordinis existere debet, quod est illius qua existentis ratio sufficiens fiendi extrinseca atque ultima. Pone A esse possibile secundi ordinis existens, ergo etiam eius existentiae ratio sufficiens fiendi existere debet (§. 114. Cor.). Pone hanc esse in B, quod iterum sit possibile secundi ordinis, ergo & eius ratio sufficiens fiendi existere debet. (§. cit.). Si denuo ponas possibile secundi ordinis existens, quod rationem sufficientem existentiae ipsius B contineat, denuo ponis id, cuius ratio sufficiens fiendi seu existentiae existere debet. Si ergo possibile secundi ordinis ponas, quotiescunque libuerit: quod ponitur, rationem sufficientem fiendi seu existentiae

Demonstrationis existentiae possibilis primi ordinis fundamentum.

suae existentem habere debet, adeoque semper deest ratio ultima (§. 115.). Quare, cum ratio existentiae possibilis secundi ordinis, quod ut existens sumitur, existere debeat (§. 114. 118.), necesse est, ut possibile existat, cuius existentia rationem sufficientem fiendi non admittit (§. 115. & §. 100.). Hocce possibile existens aut est possibile secundi aut primi ordinis (§. 4. & 73.). Sed primum esse nequit (§. 114.), consequens ergo est, ut sit posterius. vid. §. 109. Posita itaque possibilis secundi ordinis existentia, etiam poni debet existentia possibilis primi ordinis, quod est illius qua existentis ratio sufficiens fiendi ultima (§. 115. & 109.), atque extrinseca (§. 103.).

COR. Ex eo ergo, quod quis progressum rationum, existentias possibilium secundi ordinis determinantium, in infinitum concedit, cum ratione sufficiente colligitur existentia possibilis primi ordinis, in quo illarum existentiarum ratio sufficiens fiendi ultima continetur (per dem. & Cor. 2. §. 119.). Quanta itaque sit principii rationis sufficientis utilitas, quilibet dictorum ope facile perspiciet. Sed ut uberius atque fusius hac de re hic dicam, scopus non permittet. Alia ergo, brevitatis causa, tacebo.

CAPVT III.

DE QVIBVSDAM NEXVS DIFFERENTIIS GENERALIBVS.

TIT. I.

DE NEXV ESSENTIALIVM ATQVE ATTRIBVTORVM ALIARVMQVE AFFECTIONVM.

§. CXXI.

Res quid. QVid sit subiectum §. 26. dixi, possibile scilicet, quatenus consideratur ut habens essentiam seu quidditatem suam, & praeter eam aliarum determinationum capax est. Quatenus igitur possibile ut subiectum spectatur, eatenus etiam spectatur,

ctatur, ut possibile absolute tale (§. 12. sqq.); quare, cum possibile absolute tale in Logica §. 4. P. *rem* nominaverim, quo omnis, quantum fieri potest, aequivocatio evitaretur, quodcunque possibile, quatenus ut subiectum spectatur, in sequentibus *Rem* nominabo.

Vsus loquendi probatur.

SCH. Exploratum quidem mihi est, a permultis Philosophis, *Rem*, *Ens*, *Bonum*, *Aliquid*, *Vnum* synonyma nominari, qua ex ratione etiam pro memoria REBAV dicunt. Sed non minus exploratam habeo confusionem illam, quae ex eiusmodi terminorum usu ortum trahit, variaque Philosophiae praesertim vero Metaphysicae principia indeterminata relinquit. vid. Sch. I. §. 17. Log. Qua ex ratione etiam cum aliis Philosophis significatus dictorum terminorum distincturus, omni possibili aliquid nominato (§. 11.) *rem* latius patere quam *ens*, in sequentibus affirmabo. De uno §. 21. dixi, & doctrinam de bono infra explicabo. Definitionem vero, qua *Rem* explicavi, cum usu loquendi Philosophorum convenire, ut ex VELTHEMII Metaphysica probetur, hic sufficiet. Ita vero ille Cap. IV. Part. I. p. 368. *Res, si in sua latitudine sumitur, non est idem, quod ens e. g. absentia visus ex oculo dicitur caecitas, venit etiam ignorantia caecitatis nomine: utraque Res significata hic est non ens.* Dicta evolvas, & probationem usus loquendi in promtu habebis. Vide etiam Sch. Ill. WOLFII *ad* §. *243. Ont. lat.* datum.

§. CXXII.

Attributa definiuntur.

Sit A res, cui quaedam inesse affirmantur, quae non de essentia ipsius. Ergo sunt ipsius A affectiones (§. 26.). Atque adeo ratio sufficiens adesse debet, quae efficit, ut B sit ipsius A affectio (§. 111.). Haec est vel in essentialibus ipsius A vel non. Si prius, essentialia illa continent vel rationem sufficientem metaphysicam, vel analyticam, vel analytico-metaphysicam dictarum affectionum (§. 4. & 98.). Si in essentialibus est ratio sufficiens sensu metaphysico talis dictarum affectionum, affectiones illae vocantur *attributa*, ab

ab aliis etiam *proprietates* rei dicuntur. Attributa ergo dicta vel rationem sufficientem metaphysicam in conceptu primo inadaequato, vel eam in conceptu primo adaequato ipsius A continent, (§. 15. & 17.). Si prius, vocantur *attributa communia*, & si posterius, *propria*.

COR. Posito ergo conceptu primo adaequato rei A, ponuntur etiam eius attributa propria & vice versa. Et posito conceptu primo inadaequato ipsius A, ponuntur etiam eius attributa communia (§. 96. Cor. 1.). Res ergo, quae eadem habent attributa propria, etiam eandem habent essentiam; & quae eandem habent essentiam, etiam eadem habent attributa propria. Et quae eadem habent attributa communia, etiam eadem habent essentialia, ex quibus attributa illa sequuntur; & quatenus eadem habent essentialia, eo etiam respectu eadem habent attributa communia (§. 96. Cor. 1. & §. 45.). Et haec est ratio, cur a nonnullis attributa *essentialia consecutiva*, essentialia vero §. 17. definita *essentialia constitutiva* nominentur.

COR. II. Sed ne ambages fiant molestae, notare velis, omnia, quae de nexu rationis sufficientis atque rationati in superioribus dicta, etiam de nexu essentialium atque attributorum valere, si modo determinationum, quae attributi definitionem ingrediuntur, habeatur ratio.

§. CXXIII.

Attributa sunt vel actualia vel possibilia.

Ratio sufficiens sensu metaphysico talis est vel essendi vel fiendi (§. 100.). Quatenus affectio rationem sufficientem in rei essentialibus habet, eo etiam respectu est ipsius rei attributum (§. 111.). Ergo & attributa cogitare licet, quae vel rationem sufficientem essendi, vel rationem sufficientem fiendi in essentialibus rei, cuius sunt attributa, agnoscunt. Si prius, *attributa* post haec *possibilia*, & si posterius *actualia* nominabo. Rationem vide §. 100.

COR. I. Attributa igitur actualia rei A ineſſe nequeunt, nisi essentia eius sit existens (§. 101.). Quare, cum essentia rei

sit

sit ipsa res (§. 15. & §. 121.), attributa actualia ipsi A inesse nequeunt, nisi A sit existens.

COR. II. Attributa ergo, quae nudo possibili, seu ut non-existenti spectato insunt, inter attributa possibilia seu non-actualia referri debent (§. 4.). Conf. §. 102.

SCH. Cave tamen, ne attributa, quae existenti tribuuntur, statim actualia nomines. Quicquid enim existens est, idem etiam est possibile (§. 70.). Fieri ergo potest, ut attributum, quod existenti tribuitur, in illo qua possibili habeat rationem sufficientem metaphysicam. Ergo in numerum attributorum possibilium, seu attributorum non ut actualia spectatorum, referatur, necesse est (Cor. 2.). *Monitum.*

§. CXXIV.

Ponamus A esse rem, cui attributa possibilia insunt. Ergo vi essentiae attributa illa in A non existunt (§. 123.). Si itaque existunt in A, necesse est, ut praeter essentiam ipsius A ratio quaedam fiendi sufficiens existat, quae attributa illa in A existentia efficit (§. 114.). Posita hac ratione, attributa illa in A existere debent (§. 96. Cor. 1.). Sed quatenus in A existunt, non sunt ipsius A attributa (§. 122.), nec sunt de dicti A essentia (§. 17.), atque adeo ipsius A *affectiones* (§. 26.) *non attributa* brevitatis gratia nominabo. *Affectiones non attributa quid.*

COR. A est A per essentiam seu quidditatem suam (§. 15.), sed affectiones ipsius A non-attributa vi essentiae in illo non existunt (§. 124.). Salvo ergo A affectiones illae non-attributa abesse possunt, licet non abesse possint, quatenus sunt attributa, (§. 122. Cor. 1.), seu quatenus eorum possibilitates spectantur. vid. §. 123.

§. CXXV.

Ratio illa sufficiens fiendi, de qua §. 124. est vel *extrinseca* vel *intrinseca*, vel *extrinseco-intrinseca*. Quatenus ratio affectionum non attributorum fiendi est extrinseca, affectiones illae vocantur *modi* seu a Scholasticis *accidentia praedicabilia*; *Earumque species.*

cabilia; quatenus vero dicta ratio est intrinseca, affectiones illae *analoga modorum*, seu *modi per analogiam* dicuntur. In primo itaque casu affectiones illae sunt *modi absolute sic dicti*, in secundo *analoga modorum* simpliciter talia, in ultimo ex parte illorum ex parte horum agnoscunt naturam, qua ex ratione etiam eiusmodi affectiones non-attributa brevitatis gratia post haec *affectiones non-attributa mixtas* nominabo.

COR. Salva ergo essentia rei A, tam modi, quam analoga modorum, consequenter & affectiones non-attributa mixtae, si quaedam dictorum ipsi A insunt, abesse possunt (*§.* 124. Cor.), licet essentialibus ipsius A non debeant repugnare (§. 28.).

Usus loquendi explicatorum probatur. Et speciatim dicitur 1.) *de attributis.*

SCH. I. Attributum, *accidens*, *modus* varie a Philosophis sumitur. Quod enim speciatim attributa attinet, terminus ille, vel *latissime* vel *late* vel *stricte* sumitur. *Latissime* significat omne praedicatum, quod de re quadam affirmari potest; *late* sumitur, pro omni praedicato, quod rei praeter essentiam suam, saltem nostro cogitandi modo tribuitur; *stricte* tandem ea tantummodo indicat praedicata, quae rei praeter essentiam suam tribuuntur, ex essentia tamen qua essentia necessario fluunt. vid. HEBENSTREIT l. c. p. 932. Thes. III. Quoniam vero eiusmodi termini aequivocatio permultarum controversiarum fons atque origo summa cum ratione dici potest, Recentiores sequutus attributa latissime sumta §. 39. *determinationes*, attributa late sumta §. 26. *affectiones (quo sensu etiam affectionis termino usus est* HEBENSTREIT *l. c. p. 931. th. 2. attributa Dei affectiones Dei nominans, licet ab aliis affectionis terminus magis limitetur)*, seu *adiuncta (quo termino Ill.* WOLFIVS *in Ont. lat.* §. *711. illas denotavit)*, attributa tandem stricte sumta simpliciter cum HEBENSTREITIO l. c. p. 932. Th. III. atque WOLFIO l. c. §. 146. *attributa* nominavi.

2.) *de modis.*

SCH. II. Simili ratione terminus *modi* varie a Philosophis sumitur, *latissime* scilicet, *late* atque *stricte*. Quatenus *latissime* sumitur, significat quodcunque praedicatum, quo subiectum aliquod magis determinatur; qua ex ratione differentiae speci-

specificae sui generis vocantur modi. Quatenus terminus ille sumitur *late*, indicat quamcunque determinationem, quae subiecto praeter quidditatem tribuitur; quo ex fundamento distinctio modorum in *essentiales* & *non-essentiales* ortum trahit. Stricte tandem sumtus terminus ille eam exprimit notionem, qua terminum illum definivi. vid. SVAREZ l. c Tom. I. p. 126. & IACOBI MARTINI *partitiones Metaphysicae* p. 740. Conf. simul CHAUVINVM in Lex. cit. Tit. *Modus*. Quoniam vero primum, quod termino modi indicare solebant, a plerisque *differentia specifica* seu *determinatio specifica*; & alterum *affectio* vid. Sch. 1. dicitur, summa cum ratione Recentiorum quosdam sequutus, ultimo significatu termino illo tantummodo usus atque usurus sum. Veterum quidem Philosophorum permulti, dictam quo suis sententiis evitarent aequivocationem, quod simpliciter *modum* nominavi, *accidens* dixerunt. Sed dum uni incommodo cavere volunt, incidunt in alterum. Terminum enim accidentis tripliciter accipi, notum est; *primo* enim opponitur substantiae, de qua infra, & tunc est accidens praedicamentale; *deinde* opponitur ei, quod est de essentia, & tunc idem est ac affectio, vid. Sch. 1; & *tandem* opponitur proprietatibus seu attributis, & tunc idem est, quod modum dixi, & nominatur accidens praedicabile, vid. STALII Reg. Philos. Part. II. Disp. XVI. Reg. I. Sed de his dicta sufficiant.

SCH. III. Definitionem modi per analogiam sic dicti usui loquendi convenienter formatam esse, sine probatione quilibet concedet, ergo nec est, ut de hac pluribus hic dicam. Et rationem, cur aliam adhuc affectionum speciem, *affectionem non attributum mixtam* nominatam, constituerim, §. 123. Log. sufficienter docebit, non dubito ergo, fore, qui hanccę divisionem in bonam partem accipient. 3.) *De modis per analogiam &c.*

§. CXXVI.

Modi sunt affectiones rei non-attributa, quae rationem fiendi habent extrinsecam (§. 124. seq.). Sed ratio fiendi est vel removens vel efficiens (§. 105.), ergo & duplex inde *Modi dividuntur in mediatos & immediatos.*

modorum ſpecies ortum trahit. Quae in ſe diverſa etiam per ſigna diverſa nobis debemus repraeſentare, ut ergo & diverſis ſignis modos illos a ſe invicem diſtinguamus, neceſſe eſt. Qua ex ratione modos, qui ex ultima determinatione emergunt, modo *mediatos*, qui vero ex prima oriuntur, *immediatos* nominabo. Rationem denominationis termini indicabunt.

COR. Ratio removens exiſtentiae ratio ſufficiens eſſe nequit (§. 105. Cor. 1.). Ratio ergo, cur modi immediati in re A exiſtant, quae ſit extrinſeca (§. 125.), ſufficiens eſſe nequit. Neceſſe itaque eſt, ut ratio exiſtentiae huius modi ſufficiens ſit intrinſeco-extrinſeca (§ 113. Cor. pr. 12.). Quare, cum eiusmodi modi affectiones non-attributa mixtae nominati ſint (§. 125.), modi immediati ſunt affectiones non-attributa mixtae.

SCH. Affectionum differentiis, quantum ratio inſtituti permittit, hactenus explicatis, ex illis concluſiones quasdam generales, quarum ope non natura ſolum earum magis diſtincte perſpici, ſed & limitationum notiones infra explicari poſſint, deducturus, eas in commatibus proxime ſequentibus explicabo.

§. CXXVII.

Genus attributorum, modorum per analogiam, & modorum ſtricte ſic dictorum proximum indicatur.

Attributa atque analoga modorum ſunt affectiones rei, cui inſunt, abſolutae; modi vero ſtricte ſic dicti eiusdem ſunt affectiones reſpectivae. Affectiones enim rei, quae huic abſolute ſpectatae inſunt, ſunt eiusdem affectiones abſolutae (§. 27.). Affectiones vero, quae rei, ſine reſpectu ad alia inſunt, illi inſunt abſolute ſpectatae (§. 8.). Quare, cum attributa atque analoga modorum rei, cui inſunt, ſine reſpectu ad alia ineſſe debeant (§. 122. & 124.), tam attributa, quam analoga modorum rei, cui inſunt, affectiones abſolutae ſumma cum ratione dicuntur. Q. e. p.

Affectiones rei, quae huic tantummodo reſpective ſpectatae inſunt, inter affectiones eius reſpectivas referri debent (§. 27.). Sed affectiones, quae rei ſine reſpectu ad alia ineſſe

esse nequeunt, illi tantummodo respective spectatae insunt (§. 8.), ergo & modi stricte sic dicti, & quatenus sunt modi, rei, cui insunt, affectiones respectivae nominari debent (§. 125.). Q. e. a.

COR. Affectiones rei absolutas etiam esse eiusdem affectiones intrinsecas, immediate ex definitionibus fluit (§. 40. & 27.). Ergo & attributa atque analoga modorum, quae rei insunt, inter ipsius affectiones intrinsecas referri debent. Atque adeo sunt vel quantitates vel qualitates (§. 42. Cor. 3.). Plura ex iis, quae de affectionibus absolutis, intrinsecis, qualitatibus, atque quantitate in superioribus dixi, facili negotio hic inferri possunt consectaria, illa ergo meditationi Lectorum concedam.

§. CXXVIII.

Inde modi in extrinsecos & intrinsecos diviuntur.

Quod tandem modos attinet, illos esse affectiones rei, cui insunt, respectivas, §. 127. demonstravi. Sed affectiones respectivae in intrinsecas & extrinsecas dividi possunt (§. 40. Cor.), ergo & necesse est, ut modos in *intrinsecos* & *extrinsecos* dividamus. *Illi* sunt modi, qui, posita re, cui insunt, sine respectu ad alia cognosci possunt; *hi* vero, qui, posita dicta re, nondum cognosci possunt, nisi simul alia ponerentur (§. 40.).

COR. Ergo & modi, qui sunt intrinseci, quatenus intrinseci sunt, vel inter quantitates vel qualitates referri debent (§. 42. Cor. 3.). Modi vero, qui sunt extrinseci, summa cum ratione *relationes* dicuntur (§. 40.).

§. CXXIX.

Quaenam sunt ea, quae enti inesse possunt, generatim indicatur.

Ex hactenus explicatis ita argumentor: Omnes, quae rei in se spectatae competunt determinationes, sunt vel essentia vel non (§. 121.), si posterius, sunt vel de essentia determinatae rei seu eius essentialia vel non (§. 17.), si ultimum, dicuntur eius affectiones (§. 26.), quae vel in essentialibus dictae rei rationem sufficientem sensu metaphysico talem habent vel non (§. 98. & 111.), si prius, vocantur dictae rei

attributa (§. 122.), quorum differentias vide §. 122. seqq.; & si posterius, vel nullam in essentialibus habent rationem, vel eam in essentialibus tantummodo non habent quoad existentiam. Si prius, affectiones positae rei dici nequeunt, (§. 28. & 96.); si posterius, sunt eiusdem affectiones non-attributa (§. 124.). Quarum ratio fiendi (§. 100.) est vel intrinseca vel extrinseca vel intrinseco-extrinseca (§. 103.). Primo respectu dicuntur analoga modorum, de quibus vide §. 125; medio respectu sunt modi, quorum diversitates vide §. 125. seqq. & ex ultimo emergunt determinationes, quas affectiones non-attributa mixtas nominavi. (§. 125.). Sequitur ergo conclusio generalis: *Quicquid rei tribuitur vel illius essentia est, vel inter eius essentialia, vel attributa, vel modos, vel modorum analoga, vel affectiones non-attributa mixtas locum habet.*

SCH. Varias etiam hic ope regularum §. 123. & in huius §. Cor. Log. praescriptarum, & duce principiorum §. 91. seqq. de nexu explicatorum inferre possem conclusiones. Quoniam vero, ut omnia, quae facili inferri possunt negotio, inferam, ratio instituti non permittit, eam hic modo indicare laboremque Lectorum meditationibus concedere sufficiat: quod semel monuisse sat est.

§. CXXX.

Distinctio eiusque divisio in Logicam & metaphysicam explicatur.

De diversitate generatim sufficienter §. 45. seqq. dixi, speciatim de ea hic quaedam exponere, iuvabit. Diversitatem, quae inter A & B intercedit, indicare, idem est ac illa *distinguere*, ergo & quatenus eorum diversitas indicari potest, *distincta* dicuntur. Distinguendo vero spectamus vel terminos, vel obiecta seu cogitabilia, quae terminis exprimuntur, si prius, distinctio dicitur *logica*, & si posterius, *metaphysica*. De distinctione logica in Institutionibus Logices sufficienter dixi, de metaphysica itaque hic solummodo dicatur, necesse est.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

Quatenus itaque inter A & B diversitas quaedam intercedit, eatenus etiam sunt distincta. Intercedit vero diversitas, quatenus sibi non possunt substitui (§. 45.). Ergo & hoc respectu sunt distincta. Substitui vero nequeunt vel in se spectata, id est, nemine cogitante, vel tantummodo substitui nequeunt quoad conceptus nostros. Priori respectu vocantur *realiter distincta*, posteriori vero *distincta ratione*. Abstractum ergo, quod ex illo oritur, *distinctio realis*, & quod ex hoc emergit, *distinctio rationis* dici potest. *Metaphysica est rel realis vel rationis.*

COR. A distinctione ergo rationis ad distinctionem realem non valet consequentia. Ratione enim tantummodo distincta in se spectata unum idemque esse, definitiones immediate docebunt.

SCH. I. *Ratione distincta* a quibusdam Scholasticorum generatim dicuntur, quae ratione conceptuum nostrorum, quos de iis habemus, substitui nequeunt. Quare, cum haec vel in se spectata sibi substitui possint, vel non, ratione distincta *in exclusive & absolute talia* dividunt; *distinctionem rationis exclusive sumtam* inter illa intercedere, quae in se spectata sibi possunt substitui, *distinctionem* vero *rationis absolute sumtam* inter illa intercedere, quae in se spectata sibi substitui nequeunt, affirmantes. Sed distinctionem rationis absolute sumtam esse distinctionem realem, sufficienter patet ex definitionibus, non ergo sine sufficiente ratione distinctionem rationis exclusive sumtam simpliciter distinctionem rationis nominavi, plerosque Scholasticorum sequutus. Qui etiam termini significatus magis usu receptus est. *Distinctionem rationis Scholastici dividunt in exclusive & absolute talem.*

SCH. II. Distinctionem realem saepissime etiam rationem denominationis accipere a natura atque constitutione obiectorum, quae distinguuntur, & quae *distinctionis extrema* nominari solent, scripta Scholasticorum sufficienter docent. Si enim distinctionis extrema sunt realia, vel unum eorum saltem reale, alterum vero privatio est, inter illa distinctionem realem inter- *Distinctionis realis differentia a distinctione realium.*

intercedere a plerisque eorum affirmatur, *distinctionem realem* aliam esse *in totum* aliam *in tantum* ea ex ratione, quam membra disiunctiva, quae posui, indicant, docentibus. Sed quo aequivocationis confusio evitaretur, alii hanc distinctionem *distinctionem realium*, alii eam *positivam*, cui *distinctio privativa*, cuius extrema sunt vel privationes, vel unum eorum saltem privatio est, (quare etiam in *distinctionem privativam in totum* & *in tantum* dividitur) opponitur, nominarunt. Et eadem est ratio, cur posteriorem explicatae distinctionis appellationem priori apud Scholasticos usitatae praeferamus. Hoc enim facto termini *distinctionis realis* significatus erit fixus.

§. CXXXII.

Distinctio realis est vel intrinseca vel extrinseca.

Quae realiter distincta sibi in se spectatis, seu nemine cogitante substitui nequeunt (§. 131.). Quae vero in se spectantur, vel intrinsece vel extrinsece spectari possunt (§. 40.), ergo & distinctionem realem in *intrinsecam* seu *absolutam* & *extrinsecam* seu *per denominationem extrinsecam* talem dividere licet.

COR. Quae itaque per denominationem extrinsecam a distinctione reali sumtam distincta solummodo erunt dicenda, si intrinseca & a parte sui spectentur unum plane idemque est.

Historia distinctionis.

SCH. Hac distinctionis realis differentia fundamento, quod modus, quo illam deduxi, indicat, minime destituta, inter SCOTVM atque THOMAM de quaestione: *Num inter realem & rationis distinctionem media distinctio detur*, inter se controvertentes, Philosophorum quidam pacem voluerunt conciliare. THOMAE enim realem distinctionem intrinsecam simpliciter distinctionem realem nominanti, SCOTVS ea opposuit, inter quae pro data definitione distinctio realis extrinseca intercedit, iisque nec solummodo *ratione distincta*, nec ex THOMAE sententia *realiter distincta* nominari posse probatis, inter realem & rationis distinctionem mediam distinctionem dari affirmans, *eam distinctionem formalem ex natura rei* nominavit. Quare, cum SCOTI meditationes fundamento non destitu-

destitutae, inter realem vero ac rationis distinctionem tertium affirmare, idem sit, ac inter duo contradictorie opposita tertium ponere, definitionem de distinctione reali a THOMA datam extendendam, distinctionemque illam in intrinsece & extrinsece talem dividendam esse, permulti sectatorum concesserunt. De quibus inter alios consulendus est STALIVS in Disput. *de Scotistarum distinctione formali ex natura rei.*

§. CXXXIII.

Distinctio rationis est vel pura vel eminens.

Si in cognitione nostra quaedam distinguimus, id est, ratione distincta ponimus (§. 131.), distinctio illa vel rationem quandam in obiectis, circa quae cognitio nostra versatur, habet vel non. Si prius, *distinctio rationis* vocatur *eminens*, & si posterius, *distinctio rationis pura* dicitur. Illa etiam a Scholasticis *distinctio rationis ratiocinatae*, & haec *distinctio rationis ratiocinantis* nominatur.

Cur haec simpliciter distinctio rationis dicatur.

SCH. Quoniam itaque distinctio rationis ratiocinantis seu distinctio rationis pura nullam in obiectis, quae distinguuntur, habet rationem, hac in distinctione nil observare licet, quam quod eiusdem obiecti conceptus geminetur; distinctio rationis ratiocinatae seu eminens primario & saepissime etiam simpliciter distinctio rationis a Philosophis dicitur.

§. CXXXIV.

Per hanc intrinsece distingui possunt, quae extrinsece realiter distincta.

Quae realiter distinguenda sed tantummodo extrinsece, quatenus intrinsece spectantur, non possunt distingui, nisi per distinctionem rationis, quae etiam eminens esse potest. Quae enim realiter distinguenda sed tantummodo extrinsece, quatenus intrinsece spectantur, unum plane idemque sunt (§. 132. Cor.), ergo intrinsece spectata realiter distingui nequeunt (§. 132.). Si itaque dicto modo distinguenda distinctio, quae illis intercedit, non esse potest nisi rationis (§. 131. Cor.). Quod vero eiusmodi rationis distinctio eminens, ut loquuntur, esse possit, ipsa distinctionis rationis eminentis docet definitio, atque rationis analytice sumtae conceptus (§. 133. & §. 98.).

COR. Data itaque ex demonstratione patet: *quibus intrinsece spectatis distinctio rationis eminens intercedit, quatenus extrinsece spectantur realiter ut distinguantur, fieri posse.*

§. CXXXV.

Distinctio formalis explicatur.

Quatenus A & B diversas habent rationes formales, eatenus etiam a Philosophis formaliter distincta dicuntur. Ratio vero formalis ex Philosophorum sententia hic nil aliud significat, quam notio seu rei conceptus. vid. Sch. §. 15. Quatenus ergo dictis A & B diversae respondent notiones, eatenus etiam sunt *formaliter distinctae.* Abstractum eius est *distinctio formalis.*

COR. Tam realiter distinctis, quam quibus distinctio rationis eminens intercedit, diversae respondent notiones (§. 131. & 133. coll. §. 104. P. Log.), est ergo consequens: ut tam distinctio realis, quam distinctio rationis eminens sit formalis, atque adeo distinctio formalis vel realis vel rationis eminens esse possit.

Quae in exclusive & absolute talem dividitur.

SCH. Qua ex ratione distinctionem formalem in *exclusive* & *absolute talem* veterum Philosophorum quidam dividunt, *illam*, quae non realis sed modo rationis eminens est, *hanc* vero, quae est realis, dicentes.

§. CXXXVI.

Distinctio rationis eminens est vel virtualis vel non.

Si inter A & B distinctio rationis eminens intercedit, quoad conceptus nostros tantummodo non possunt substitui (§. 131.), ita tamen ut conceptuum diversitatis ratio quaedam sit in obiectis, circa quae cognitio nostra versatur (§. 133.). Haec ratio sita est, vel in diversitate eiusdem rei rationatorum, vel in alio quodam respectu. Si prius, distinctio, quae inde oritur, vocatur *virtualis*, & si posterius, distinctionem, quae inde emergit, *distinctionem rationis eminentem non-virtualem* nominabo.

COR. Sit itaque A diversorum rationatorum B C &c. ratio sufficiens, quatenus ergo A est ratio sufficiens dicti B, distingui potest

test ab A, quatenus est ratio sufficiens dicti C (§. 130.). Quoniam vero A in se spectatum est unum plane idemque, distinctio haec non est, nisi rationis (§. 131.), & quidem eminens (§. 133.), atque speciatim, quia ratio distinctionis ex rationatorum diversitate sumitur, virtualis.

Distinctio virtualis ex mente Mendozae explicatur.

SCH. PETRVS HVRTADVS DE MENDOZA *in Disp. Metaph. V.* Sect. X. §. 95. duas distinctionis virtualis species posuit, *aliam esse distinctionem virtualem in ordine ad effectus* seu *relationes extrinsecas*, *aliam in ordine ad se seu in ordine ad relationes intrinsecas* affirmans. Quoniam vero ultima idea distinctio formalis exclusive talis dici potest (Sch. §. 135.), primam modo distinctionem virtualem in sequentibus nominabo, dum eundem termini significatum usus loquendi sufficienter confirmabit, dicitur enim distinctio virtualis, quia in eadem re plurium effectuum seu generatim rationatorum distinctorum virtutem contineri, indicat.

§. CXXXVII.

Distinctio realis est vel essentialis vel non.

Hactenus de distinctionis rationis speciebus sufficienter dixi. Iam etiam distinctionis realis notionem magis determinabo. Quae itaque realiter distincta sunt, eorum unum vel sine altero & vice versa separatim existere potest, vel non (§. 131.). Si prius, distinctio realis vocatur *essentialis*, & si posterius, *non-essentialis*.

COR. Quae itaque essentialiter distincta etiam realiter distincta esse debent, a distinctione vero reali ad distinctionem essentialem minime valet consequentia (§. 33. Cor. 1. P. Log.), seu quae realiter distincta iccirco essentialiter distincta nominari nequeunt. Quae interim de diversitate generica, specifica atque numerica §. 64. seqq. dixi, in memoriam hic revocare iuvabit.

§. CXXXVIII.

Haec est vel pura vel eminens.

Quae non-essentialiter distincta, eorum unum vel sine altero, sed non reciproce, separatim existere potest, vel non. Si prius, *distinctionem realem non-essentialem puram*, & si posterius,

sterius, *eminentem* nominabo. De ultima pluribus hic non dicam, prioris tamen notionem magis determinabo.

§. CXXXIX.

Si pura est vel subdistinctio vel modalis.

Si distinctio realis non-essentialis est pura, ratio, cur eorum unum sine altero, sed non reciproce, existere possit, est, vel quia unum alterius pars seu constituens (§. 18.), vel quia unum alterius affectio hypothetica (§. 30. conf. §. 135. Cor.). Si prius, distinctio illa vocatur *subdistinctio*, & si posterius, dicitur *distinctio accidentalis* seu *modalis*.

COR. Subdistincta itaque sunt, quorum unum est constituens seu pars alterius, adeoque totum & pars ipsius subdistincta sunt (§. 18.). Si ergo A non est alterius B pars seu constituens, A & B subdistincta nominari nequeunt. Atque adeo, si distincta sunt, vocantur *condistincta*. Sunt ergo condistincta distincta, quorum unum non est pars seu constituens alterius.

Inde explicatur divisio distinctionis veterum in adaequatam & inadaequatam.

SCH. Subdistinctio etiam a Philosophis dicitur *distinctio inadaequata*, *distinctionem adaequatam* illis intercedere, quae subdistincta nominavi, affirmantibus. Sunt quidem, qui distinctionem adaequatam & inadaequatam latiori quodam significatu sumunt, ita, ut tam illam quam hanc vel realem vel rationis esse defendant. Quibus vero dicta sua confirmarunt, datam explicationem potius quam eorum sententias confirmabunt. Intercedit enim eorum sententia distinctio rationis inadaequata inter animal & hominem, quia animal ut totum logicum sub se continet hominem ut partem logicam; sed data distinctionis inadaequatae definitio maiori commodo hic applicari potest: animal enim existere potest, licet non existat homo, sed non reciproce. vid. VELTHEMII Inst. Metaphys. Part. I. Cap. XXXVI. §. 7. Not. 3.

§. CXL.

Distinctionis modalis varii significatus indicantur.

Affectiones hypotheticae vel a subiecto, cui insunt, vel inter se spectatae distinguuntur. Qua ex ratione duplicem distinctionis modalis speciem constituerunt veteres

veteres Philosophi. Mea vero sententia vix fieri potest, vt variae illae termini significationes distinctionis modalis, ut dicunt, constituant species. Species enim genus magis determinatum continere debet, sed priori respectu terminus eam tantummodo exprimit notionem, quam §. 139. indicavi, & posteriori respectu applicari nequit, adeoque data distinctio genus non resolvens in suas species *resolutionem modo aequivoci in sua aequivocata* indicat. Duplicem itaque *distinctio modalis* exprimit significatum, *primo* enim indicat differentiam, quae inter subiectum & modum seu generatim affectionem eius hypotheticam intercedit, & hoc significatu *proprie* sumi a Philosophis quibusdam dicitur; *deinde* etiam distinctio modalis significat differentiam, quae inter duos modos seu generatim duas affectiones hypotheticas intercedit, quo sensu *distinctionem modalem impropriam* nominabo.

COR. Modi & generatim affectiones hypotheticae salva subiecti, cui insunt, essentia abesse possunt (§. 30. & §. 125. Cor.), affectiones ergo hypotheticae qua tales a subiecto realiter differunt (§. 131.), ergo & hoc modo patet, distinctionem modalem proprie sumtam esse realem. An vero distinctio modalis improprie sumta inter reales sit referenda, determinationes, quae casum obvium ingrediuntur, facile indicabunt; hunc in finem unicam distinctionis modalis improprie sumtae differentiam adhuc explicabo.

§. CXLI.

Quo significatu D M vel subiectiva vel obiectiva esse possit, indicatur.

Distinctio, quae inter duos modos vel generatim duas affectiones hypotheticas intercedit, indicat vel diversitatem modorum seu affectionum quatenus abstractive, vel quatenus concretive seu ut in diversis subiectis existentes spectantur. Si prius, *distinctio illa modalis* vocatur *obiectiva*, & si posterius, *subiectiva*.

Quomodo usus loquendi dictorum probandus.

SCH. Omnes hactenus distinctionis modos, ex quibus usum quendam Metaphysici mea quidem sententia capere possunt, non explicavi solum, sed & suis ex fundamentis deduxi. Explicationes vero usui loquendi Philosophorum convenienter

formatas esse, nullo fere negotio confirmabunt, quibus in voluntate est, Philosophos evolvere, quorum auctoritate maxime hic motus. Sequutus vero sum SVAREZIVM *in Disp. Metaph. Tom. I. p. 158.-172.* IACOBVM MARTINI *in Partitionibus & Quaestionibus Metaphys. Lib. I. Sect. IV. §. 34.-52.* HEBENSTREITIVM *in Phil. prima Part. III. Sect. II. Cap. XII.* VELTHEMIVM in *Inst. Metaph. Part. I. Cap. XXXV.* seq. &c. Quoniam vero illorum meditationes sine negotio, ut dixi, explicata confirmabunt, ut pluribus hac de re hic dicam, non necessarium esse judico. Inferam modo ex dictis consectaria quaedam, de quibus infra pluribus.

§. CXLII.

Distinctio attributorum ab essentia qualis.

Distinctio, quae inter attributa atque essentiam rei, cuius sunt attributa, intercedit, non est nisi rationis eminens. Res enim A est A per suam essentiam, & posita hac essentia ponitur etiam res A (*§. 121. & §. 15.*). Poni itaque potest A, licet ea non sint posita, quae ab essentia ipsius A realiter differunt (§. 131.). Iam ponamus ipsi A inesse attributa ab essentia ipsius A realiter distincta, potest itaque A esse A, licet attributa illa non ponantur. Quamobrem, cum hoc absurdum sit (§. 122. Cor. 1.), attributa, quae rei A tribuuntur, ab essentia ipsius non possunt esse realiter distincta. Distinguuntur vero a dicta essentia (§. 122. & 130.), haec itaque distinctio tantummodo est rationis (§. 131.). Quod vero sit distinctio rationis eminens, docet §. 122. coll. §. 117. & 133.

COR. I. Distinctio rationis eminens esse potest formalis atque virtualis (§. 135. 136.), intelligimus igitur, quo sensu distinctio, quae inter essentiam rei eiusque attributa intercedit, distinctio formalis atque virtualis dici possit.

COR. II. Vt ergo attributum sit ipsa res, de qua agitur, certo modo seu certa ratione considerata, consequens est,

§. CXLIII.

§. CXLIII.

An attributa rem, cui insunt, componant.

Si rei A simplici attributa quaedam insunt, ea rem illam non efficiunt compositam. Si enim res illa A est simplex, simplicem habet essentiam (§. 121. & 15.), quae ergo A illud componant, eiusmodi esse debent, ut ab essentia illius realiter possint distingui (§. 16. & 131.). Attributa vero ab essentia eius, cuius sunt attributa, realiter distingui nequeunt (§. 142. & 131.). Ergo & attributa, quae rei simplici A insunt, rem illam non efficiunt compositam.

COR. A pluralitate ergo attributorum ad compositionem rei, cui insunt, non valet consequentia. Pluribus de his infra.

TIT II.

DE

NEXV NECESSARIO ET CONTINGENTE.

§. CXLIV.

Scopus tituli.

DE determinationibus atque affectionibus rerum generatim hactenus sufficienter dixi. Iam inquiramus in earum necessitatem atque contingentiam, sed iterum modo generatim. Principia enim, quorum ope speciatim de illis dici possit, notiones rerum specifice determinatarum infra suppeditabunt. *Primo* itaque in notionem necessitatis atque contingentiae inquiramus, & deductis ex illis consectariis, haec ad rerum determinationes hactenus explicatas *deinde* applicabimus.

§. CXLV.

Necessarium & contingens quid.

Notionem contingentiae atque necessitatis ita formo. Determinationes, quae rei obviae tribuuntur, illi vel ita competunt, ut earum oppositae in eadem esse nequeant; vel ut etiam earum oppositae rei inesse possint, licet non cum iis, quae insunt, coniunctim. Si prius, determinationes rei obviae *necessario*, & si posterius, eidem *contingenter* tribui dicitur. Abstractum illius vocatur *necessitas*, & huius *contingentia*.

COR. I.

COR. I. Necessarii igitur atque contingentis notiones sunt relativae, id est, nec necessarium nec contingens aliquid dici potest, nisi quatenus ad rem quandam obviam referatur, ita ut huic competat vel necessario vel contingenter. Ergo & relative explicari debet definitio de necessario atque contingente Ill. WOLFII, *necessarium* §. 279. Ont. lat. *cuius oppositum impossibile*, & *contingens* §. 294. l. c. *cuius oppositum nullam involvit contradictionem* nominantis.

COR. II. Quo itaque sensu dictae determinationis opposita rei obviae repugnat, eo etiam illa huic necessario competit. Ex quo facile intelligitur, quid sit necessarium in *essendo* & *non-essendo* &c. Oppositorum opposita est ratio, ergo & simul intelligi potest, quid sit *contingentia in essendo* & *non-essendo*, &c.

COR. III. Et simul patet contingens & necessarium, esse contradictorie opposita (§ 10.). Quicquid itaque rei obviae tribuitur, illi vel necessario vel contingenter competat, immediate sequitur. (§. 4. & 10.). *

Vsus loquendi probatur.

SCH. I. Definitiones de necessario & contingente datas usui loquendi conformes esse, non origines solum terminorum, sed & Philosophorum loquendi usus sufficienter docebunt. *Necessarii* enim nomen oritur *a cessando*, *quoniam in eo minime cessetur*, vid. SCALIGER de caussis cap. 166., *contingentia* vero vi vocis sunt res eventus ancipitis, dum ab eo, quod contingit, nomen derivatur. Sed missa etymologia inquiramus in consensum Philosophorum. Hunc ita accipe: Omnium fere consensu vox necessarii sumitur *primo* in oppositione ad spontaneum, quo sensu dicitur *necessarium violentiae*; *deinde* sumitur in oppositione ad liberum, & vocatur *necessitas naturae*; *porro* in oppositione ad moraliter indifferens, & audit *necessitas moralis*; & tandem in oppositione ad contingens, seu in oppositione ad illud, quod existere potest & non, & vocatur *necessitas immutabilitatis*. Per inductionem itaque & abstractionem habemus conclusionem, quod generatim rei obviae illud necessario competat, cuius oppositum aliqua ratione in eadem impossibile, seu, ut loquuntur, necessarium est, quod aliter se habere non

non potest. Oppositum necessarii est contingens, oppositorum vero oppositae sunt definitiones, contingentis igitur definitio ex dictis immediate fluit. Vid. HEBENSTREIT l. c. p. 880. seqq. VELTHEMIVM l. c. p. 1749. seqq. SVAREZIVM l. c. Tom. I. p. 436. Vellem etiam, ut hic inter alios legantur, quae a PAVLO SLEVOGTIO in Disput. Academ. Phil. Pract. Disp. II.-IV. de necessitatis natura atque variis differentiis solide, quantum temporis ratio permisit, explicata.

Sententia Conimbricensium explicatur.

SCH. II. Doctores quidem *Conimbricenses* in Phys. cap. 2. q. 5. Art. 1. col. 1392. hancce propositionem, medium inter necessarium & contingens esse negantem, olim oppugnarunt, medium inter dictos conceptus affirmantes. Eorum enim sententia *actus Dei liberi*, qui ex necessitate constantiam accipiant, ex contingentia vero possibilitatem aliter se habendi, medium illud constituunt. Quoniam vero inter esse & non esse tertium ponere minime licet, pauci sunt, qui in illorum opinionem descendunt, mediumque illud poni posse affirmant. Principiis interim, ex quibus responsiones ad ea, quae Conimbricenses obiiciunt, deducenda, infra suppeditatis, oppositionibus illorum respondebo.

§. CXLVI.

Necessarium est vel absolute vel hypothetice tale.

Necessario rei obviae competit determinatio data, si eius opposita in eadem re est impossibilis (§. 145.), sed impossibile est vel absolute vel respective tale (§. 12.). Ergo & duplex inde oritur necessitatis species, ex illa scilicet *necessitas absoluta*, quae etiam *metaphysica* dicitur; ex hac vero *hypothetica*, quae etiam dicitur necessitas ex suppositione.

COR. Quot itaque cogitari possunt respectus seu hypotheses, sub quibus aliquid in subiecto obvio sit impossibile, tot etiam constitui possunt necessitatis hypotheticae species. Quare, cum triplex hypothesis cogitari possit, *consequens* scilicet *concomitans* & *antecedens*, triplicem etiam necessitatem hypotheticam constituerunt Philosophi, de quibus infra pluribus. Notetur hic modo canon: *Omne quod est, quando est, non potest non esse*, qui necessitatis, quam *comitantem* nominarunt, exprimit definitionem.

§. CXLVII.

Necessitas, quae non negat contingentiam, indicatur.

Necessitas hypothetica non vero absoluta stat cum contingentia. Quicquid enim tantummodo respective impossibile, id absolute possibile esse potest (§. 12. Cor. 2.), quaecunque vero determinatio rei necessario sed tantummodo hypothetice competit, eius opposita in eadem re tantummodo respective impossibilis est (§. 146.), quatenus itaque ea res absolute spectatur, opposita dictae determinationis in eadem possibilis esse potest. Quare, cum eiusmodi determinatio, quae rei obviae ita competit, ut eius opposita in eadem re esse possit, rei tantummodo contingenter competat (§. 145.), necessitas hypothetica cum contingentia stare possit, sequitur. Q. e. p.

Quod vero necessitas absoluta contingentiam neget, simili modo nullo fere negotio demonstrari potest. Qua ex ratione etiam a permultis necessitas simpliciter dicitur.

§. CXLVIII.

Contingens est vel absolute vel respective tale.

Contingenter rei obviae determinatio quaedam tribuitur, quatenus oppositа eius in eadem re, licet non coniunctim, esse possit (§. 145.). Sed & possibile est vel absolute vel respective tale (§. 12.), ergo & *contingentiam* in *absolutam* & *hypotheticam* dividere licet.

COR. Quicquid absolute spectatum est possibile, id quatenus respective spectatur, impossibile esse potest; & quod aliquo respectu possibile, id alio quodam respectu inter impossibilia referri potest (§. 12. Cor. 2.), fieri ergo potest, ut, quod absolute spectatum contingens, quatenus sub hypothesi quadam spectatur, sit necessarium; & quod sub una hypothesi contingens sub altera inter necessaria sit referendum (§. 146. Cor.).

§. CXLIX.

Essentiae rerum sunt absolute necessariae.

Essentia seu quidditas rei A ipsi absolute necessario competit. A enim est A per suam quidditatem (§. 15.), remota ergo

ergo hac quidditate, res etiam A removeri debet (§. 4.). Removetur vero haec quidditas, si eius oppositum ponatur (§. 1.). Oppositum ergo dictae quidditatis in eadem re A absolute impossibile est (§. 12.), atque adeo essentia seu quidditas rei A ipsi absolute necessario competit (§. 146.).

COR. Hoc itaque sensu vera est regula Philosophorum, *quod essentiae rerum sint absolute necessariae.* vid. §. 145. Cor. 1. Et simul patet, quo sensu dici possit, quod, quae ex principio contradictionis fluunt, absolute necessaria sint.

§. CL.

Ergo & rerum attributa.

Posita essentia seu quidditate rei, impossibile est, ut eius attributa non ponantur (§. 122. Cor. 1.), sed quidditas rei absolute necessario poni debet (§. 149.), ergo & attributa rei qua talia rei, cuius sunt attributa, absolute necessario tribuenda sunt (§. 146. & §. 12.). Seu, *quicquid in essentia seu quidditate qua tali rationem habet sufficientem sensu metaphysico talem, illud etiam dictae rei absolute necessario competit* (§. 122.).

COR. I. Hoc ergo sensu essentia rei fons necessitatis dici potest. Et dum res sine essentia esse nequit (§. 121.), omni in re absolutam quandam necessitatem esse, contra HIERONYMVM CARDANVM, alias Philosophum magni acuminis, contrarium Lib. XI. de subtil. affirmantem, defendere debemus.

COR. II. Essentiae rerum earumque attributa constituunt rerum definitiones (§. 77. cum Cor. Log.), summa itaque cum ratione Philosophorum quidam necessitatem absolutam *necessitatem definitionis* nominarunt.

§. CLI.

Praedicata, quae rei tantummodo contingenter tribui possunt, indicantur.

Quicquid non est de essentia seu quidditate rei A, nec vi essentiae eidem tribuendum, illud rei A competere nequit, nisi contingenter. Quicquid enim non est de essentia rei A, nec vi essentiae illi tribuendum, illud salva rei, cui competit, essentia abesse potest. (per dem. §. 30.), sed A est A per suam es-

sentiam seu quidditatem (§. 15.), ergo oppositum eius, quod rei A dicto modo competit, in eadem re esse potest (§. 10.). Quare, cum eiusmodi determinationes, quae rei A ita competunt, ut earum oppositae in eadem etiam re esse possint, rei illi contingenter competant (§. 145.), quicquid rei A ita competit, ut nec de ipsius essentia, nec vi essentiae eidem tribuendum, illud rei A tantummodo contingenter tribui potest.

COR. I Si itaque praedicata quaedam rei contingenter tribuuntur, huius combinationis ratio sufficiens adesse debet (§. 111.). Ergo nec dici potest, quod ratio sufficiens absolutam necessitatem afferat; nec quod, quae rationem sufficientem poscunt, contingentia sint (§. 150. 111. 122.). Et ita intelligimus, quo sensu principium rationis sufficientis principium veritatum contingentium cum LEIBNITIO nominare possimus.

COR. II. Patet simul ex explicatis, tam necessitatem quam contingentiam & subiecta & combinationes praedicatorum cum subiectis posse afficere. Qua ex ratione etiam veteres Philosophi & *necessarium* & *contingens in complexum* & *incomplexum* dividunt. vid. HEBENSTREIT. l. c. p. 882. seqq.

§. CLII.

Ex quibus existentiae possibilis P. O. necessitas & S. O. contingentia infertur.

Si datur possibile primi ordinis, illud absolute necessario existit, si vero possibile secundi ordinis existat, illud existit tantummodo contingenter. Si enim possibile primi ordinis datur, existentia est ipsius essentia seu quidditas (§. 109.), possibilis vero secundi ordinis essentia seu quidditas sine existentia constare potest (§. 114. Cor.). Existentia igitur possibilis primi ordinis, si possibile illud datur, est absolute necessaria (§. 149.), si vero possibile secundi ordinis existit, illud existit tantummodo contingenter (§. 151.).

COR. Attributa qua talia rei, cui insunt, absolute necessario tribui debent (§. 150.), sequitur ergo, ut possibili secundi ordinis attributa actualia inesse nequeant, licet fieri possit, ut ea possibili primi ordinis insint (§. 123.).

§. CLIII.

§. CLIII.

Quid res necessaria, quid res contingens, definitur.

Oritur inde *primo* differentia inter rem necessariam & contingentem. Res enim *necessaria* dicitur, cuius existentia est absolute necessaria, seu, quod perinde est, quae absolute necessario existit. Et *res contingens* audit, cuius existentia est contingens, seu quae tantummodo contingenter existit.

COR. I. Possibile itaque primi ordinis, si datur, est res necessaria; possibile vero secundi ordinis, res contingens (§. 152.). &c.

COR. II. Et simul inferri potest, rem contingentem, seu generatim quod contingenter existit, esse possibile secundi ordinis, & rem necessariam, seu quod absolute necessario existit, esse possibile primi ordinis (§. 152. & §. 73. coll. §. 4.). Quae ergo de possibili primi atque secundi ordinis in superioribus dicta, etiam hic applicari possunt.

§. CLIV.

Essentia possibilis sec. ord. in physicam & metaphysicam distinguitur.

Deinde etiam Cor. §. 152. dat rationem, cur essentiam possibilis, secundi ordinis in *physicam* & *metaphysicam* distinguamus. Dum enim essentia ab existente, cuius est essentia, non differt (§.76.), essentia vero seu quidditas possibilis secundi ordinis sine eius existentia constare potest (§. 114. Cor.), necesse est, ut essentiam seu quidditatem possibilis secundi ordinis qua talem vid. §. 15. Cor. ab eius essentia qua existente distinguamus. Priori respectu brevitatis gratia essentiam illam post haec *metaphysicam*, posteriori vero respectu *physicam* nominabo.

COR. I. Quae ergo in physica possibilis secundi ordinis A essentia qua tali rationem habent sufficientem, cur ipsi A insint, in A qua existente esse nequeunt nisi contingenter (§. 152. 145.), atque adeo inter attributa ipsius A minime referri debent (§. 150.).

COR. II. Attributa itaque possibilis secundi ordinis determinaturus, praedicata, quae sint ipsius A attributa, in essentia positi A metaphysica rationem habere sufficientem metaphysice sumtam, indicare debet. vid. §. 122. seqq.

§. CLV.

Modi qua ratione rei inesse possunt.

Tam modi proprie sic dicti, quam modi per analogiam, qui in re A existunt, huic insunt contingenter. Tam enim modi proprie sic dicti, quam modi per analogiam, qui in re A existunt, salva huius rei essentia abesse possunt (§. 125 Cor.), ergo non sunt in A vi essentiae ipsius (§. 96. & §. 149.). Quamobrem, cum etiam non inter ea referri possint, quae de essentia ipsius A (§. 17. & 125.), tam modos proprie sic dictos, quam modos per analogiam rei A tantummodo contingenter inesse, affirmare debemus (§. 151.).

COR. Tam attributa quam modi proprie seu absolute sic dicti, & modi per analogiam sunt rerum affectiones (§. 122. & 124. seq.), attributa absolute necessario (§. 150.), modi vero atque modi per analogiam contingenter tantummodo rei, cui insunt, tribui possunt. Adeoque rerum affectiones summa cum ratione in *necessarias* atque *contingentes* dividamus. Necessariae enim sunt attributa; contingentes vero modi absolute sic dicti atque modi per analogiam.

§. CLVI.

Contingentia est vel extrinseca vel intrinseca.

Si in re quadam A affectiones quaedam contingenter existunt, etiam necesse est, ut praeter essentiam ipsius A ratio quaedam fiendi existat, quae affectiones illas in A existentes efficit (§. 151. Cor. 1. §. 114. & §. 150.). Ratio haec est vel intrinseca vel extrinseca (§. 103.); si prius, contingentia, quae affectionibus illis tribuitur, *intrinseca*, & si posterius, *extrinseca* dicitur. vid. IACOBI MARTINI partitiones Metaph. Lib. I. Sect. X. §. 52.

COR. I. Quae igitur rei A ita insunt, ut iis competat contingentia intrinseca, eorum etiam opposita rei illi inesse possunt per rationes fiendi intrinsecas; si vero illis competit contingentia extrinseca, eorum opposita rei A per rationes fiendi extrinsecas inesse possunt (§. 145.).

COR. II. Et patet ex dictis, modis absolute sic dictis contingen-

tingentiam extrinsecam, modis vero per analogiam tantummodo contingentiam intrinsecam, quatenus scilicet rei obviae insunt, tribuendam esse (§. 155. & §. 125.).

Consensus Philosophorum indicatur.

SCH. ABRAHAMVS CALOVIVS in Metaphys. div. Part. post. Cap. X. p. 328. hac de re ita loquutus est: *Quae sunt liberi arbitrii, possunt non fieri. Idcirco licet constantiam quandam habeant neque mutationem aliquam inferant, non tamen contingentium censu eximuntur. Si quidem ad contingentiam praecise satis sit, aliter esse posse. Sane contingentia extrinseca non est tribuenda Dei actionibus, non tamen deneganda intrinseca: haec enim ex parte agentis non imperfectionem arguit, sed perfectionem, quia libertas omnino est perfectionis &c.* & IACOBVS MARTINI l. c. §. 44. *cum* STALIO *permultisque aliis Philosophis, liberum arbitrium in homine, atque libertatem in Angelis & Deo, contingens esse indefinitum, cum quo vi §. 53. contingentia intrinseca coincidit, affirmavit.* His itaque ex sententiis explicata notionibus receptis Philosophorum conformia esse, immediate patet. De *contingentia aequali* seu *indefinita* & *contingentia inaequali* seu *definita*, de quibus Philosophi agunt, non est, quod hic dicam, cum, qui ideam atque constitutionem actionis infra explicandam non recte intelligit, non possit naturam dictarum contingentiae specierum perspectam habere. Illarum enim genus proximum est τὸ necessarium in agendo. Explicata ideo infra actionis notione, etiam species illas contingentiae explicabo.

§. CLVII.

Mutare & non mutare quid.

Mutatur aliquid, quatenus non amplius manet idem; quatenus vero idem manet, *non mutatur*.

COR. Eadem sunt, quae sibi possunt substitui (§. 45.). Quatenus itaque aliquid sibi non amplius substitui potest, eatenus mutatum; quatenus vero sibi amplius substitui potest, eatenus non mutatum dicere licet.

§. CLVIII.

Inde explicatur quid mu-

Quicquid mutari potest, est *mutabile*, & quicquid non *immu-*

tabile & immutabile & constans.

immutabile. Tam possibile quam impossibile est vel absolute vel respective tale (§. 12.), ergo & necesse est, ut τὸ mutabile & immutabile in *absolute* & *respective*, seu, ut Philosophi loquuntur, secundum quid *tale* dividamus. *Absolute* igitur *immutabile* est, quod nullo modo eiusmodi fieri potest, ut sibi non amplius possit substitui; *respective* vero *immutabile* est, quod tantummodo sub datis determinationibus eiusmodi fieri nequit, ut sibi non amplius possit substitui. *Absolute mutabile* est, quod, quatenus absolute spectatur, eiusmodi fieri potest, ut sibi non amplius substitui possit; & *respective mutabile* est, quod sub datis determinationibus eiusmodi fieri potest, ut sibi non amplius possit substitui. Quicquid mutabile est, sed tamen non mutatur, dicitur *constans*.

COR. Quicquid itaque absolute mutabile, quatenus respective seu secundum quid spectatur, immutabile; & quicquid quodam respectu est mutabile, alio quodam respectu immutabile esse potest (§. 12. Cor. 2.).

§. CLIX.

Principium immutabilitatem & mutabilitatem demonstrandi indicatur.

Quicquid absolute necessarium; id etiam absolute immutabile est; quicquid vero contingens est, quatenus absolute spectatur, est mutabile. Quicquid enim rei absolute necessario attribuitur, eius oppositum in eadem re absolute impossibile est, quicquid vero rei tantummodo contingenter attribuitur, eius oppositum etiam, quatenus res absolute spectatur, in eadem re esse potest (§. 145. seq.). Nullo itaque modo fieri potest, ut res quoad ea, quae absolute necessario illi attribuenda, sibi non amplius possit substitui; licet fieri possit, ut res quoad ea, quae tantummodo contingenter illi attribuenda, quatenus absolute spectatur, sibi non amplius possit substitui (§. 33. & 10.). Quicquid ergo rei absolute necessario competit, illud eidem etiam absolute immutabiliter, quicquid vero rei tantummodo contingenter competit, illud eidem, quatenus absolute spectatur, mutabiliter attri-

attribuendum est, (§. 158.), seu quicquid absolute necessarium, id etiam absolute immutabile, & quicquid contingens, quatenus absolute spectatur, est mutabile. vid. §. 145. Cor. 1.

COR. Essentiae seu quidditates qua tales atque attributa rebus, quibus insunt, absolute necessario insunt, (§. 149. 150.), modi vero absolute sic dicti, atque modi per analogiam in rebus, quibus insunt, tantummodo contingenter existunt (§. 155.), sequitur ergo 1.) ut essentiae seu quidditates rerum qua tales sint absolute immutabiles. 2.) ut attributa rerum sint absolute immutabilia. vid. Sch. §. 22. 3.) ut modi absolute sic dicti atque modi per analogiam sint, quatenus absolute spectantur, mutabiles.

SCH. A mutabilitate absolute tali ad mutabilitatem respective seu secundum quid talem non valet consequentia (Cor. §. 158.). Cavendum itaque est, ne, quae de modis per analogiam dixi, ad mutabilitatem respective seu secundum quid talem, nulla facta limitatione, applicentur. Infra contra EPISCOPIVM eorum immutabilitatem in possibili primi ordinis defendam. Vellem interim, ut hic notentur verba SCHARFFII *non omne contingens est statim mutabile, ut actiones Dei contingentes sunt, licet Deus non mutetur.*

Sensus propositionis magis determinatur.

§. CLX.

Si datur possibile primi ordinis, illius existentia est absolute necessaria; si vero possibile secundi ordinis existit, illius existentia est tantummodo contingens (§. 152.). *Existentia* igitur *possibilis primi ordinis est absolute immutabilis, & existentia possibilis secundi ordinis mutabilis est* (§. 159.). Et simul patet, *rem, cuius existentia est absolute immutabilis, esse possibile primi ordinis, & cuius existentia est mutabilis, esse possibile secundi ordinis.* (§. 4. & 73.).

Ex quo mutabilitas & immutabilitas existentiarum deducitur.

COR. I. Principium itaque, quod essentiae rerum sint absolute immutabiles, licet quoad possibile primi ordinis sit absolute verum, quoad possibile secundi ordinis valet tantummodo de eius

essentia metaphysica, minime vero de physica (§. 154. & h. §. Cor. 1.).

COR. II. Et simul patet ex dictis, possibile secundi ordinis quoad essentiam physicam vario modo mutari posse; *primo* scilicet, si non existens incipit existere, & sic a non-existere mutatur ad existere; *porro*, si desinit existere, & sic ab existere mutatur ad non-existere, & *tandem*, si quoad partem existens fit existens quoad maiorem partem vel quoad totum. De quibus mutationis speciebus infra pluribus.

§. CLXI.

Mutatio modi & rei an connexa.

E mutatione modorum mutatio rei, cui insunt, non statim inferri potest. Res enim A est A per quidditatem seu essentiam suam (§. 15.). Posita igitur hac essentia, ponitur res illa A (§. 1.). Sed essentia illa poni potest, licet modi illi absint (§. 125. Cor.), e mutatione ergo modorum mutationem rei, cui insunt, statim inferre non licet (§. 157. seq.).

COR. Ergo & a mutatione relationum ad mutationes rerum, quibus dictae relationes attribuendae, minime valet consequentia (§. 128. Cor.).

Inde variam esse mutabilitatem & immutabilitatem colligitur.

SCH. Non igitur sine fundamento, variam esse mutabilitatem & immutabilitatem, *quoad essentiam* scilicet, *quoad modos*, speciatim *quoad relationes*, & in spiritibus *quoad voluntatem* atque *intellectum* Philosophi affirmarunt.

§. CLXII.

Nexus quando necessarius & contingens.

Hactenus de necessitate & contingentia. Reliquum est, ut de nexu necessario atque contingente quaedam hic addam. Sed evolutis antea necessitatis, contingentiae atque nexus notionibus, quae addenda in promtu sunt. Connexa enim sunt, quorum unum A continet determinationem sine altero B non possibilem (§. 90.). Iam vero A hancce determinationem continet vel necessario vel contingenter (§. 145. Cor. 3.), & determinatio haec sine B vel absolute vel

vel tantummodo respective seu secundum quid impossibilis est (§. 94. Cor. 1. & 2.). *Si A dictam determinationem, quae sine B absolute impossibilis, necessario continet, ut A & B necessario connexa sint, consequens est* (§. 145. & §. 12. Cor. 2.). *Si vero illi A dicta determinatio, quae sine B impossibilis; tantummodo contingenter ineſt, seu, si illi A necessario ineſt, sine B vero tantummodo secundum quid impossibilis nominari potest, nexus, qui A & B intercedit, non nisi contingens esse potest* (§. §. cit. cit.).

COR. I. Nexum itaque, qui A & B intercedit, necessarium esse demonstraturus, probare debet 1.) A continere determinationem, vi cuius connexa dicuntur, necessario; 2.) hancce determinationem sine B absolute impossibilem esse. Necessitas est vel absoluta vel hypothetica (§. 146.). A ergo, si dictam determinationem necessario continet, eam continere potest vel necessitate absoluta vel necessitate hypothetica. Ergo & patet, priori respectu nexum illum esse absolute necessarium, & si posterius, tantummodo hypothetice necessarium. Quae itaque de necessitate absoluta atque hypothetica §. 146. seq. dicta, etiam hic applicari possunt.

COR. II. Porro infero, nexum, qui inter A & B intercedit, contingentem esse, variis modis probari posse; *primo* scilicet, si probetur, A continere determinationem, vi cuius cum B connexum dicitur, tantummodo contingenter; *deinde* etiam idem probari potest, si demonstretur, A dictam determinationem quidem necessario continere, determinationem vero illam sine B tantummodo secundum quid impossibilem esse. Plura facili negotio ex iis inferri possunt, quae §. 148. 151. seqq. de contingentia dixi. Ergo non est, quod multa de his hic dicam.

COR. III. Vellem modo, ut hic notes conclusionem, ex §. 91. & 92. Cor. 2. & 3. immediate deducendam; *Omnem nexum hypotheticum ergo & extrinsecum esse contingentem, seu non absolute necessarium.* Conf. §. 155. seqq. & §. 94. Cor. 1. Ergo tam nexus quoad coexistentiam, quam nexus quoad successionem est

contingens (§. 93.). Eiusmodi ergo nexus non est possibilis, nisi ratio eius sufficiens possibilis sit (§. 151. Cor. 1.).

COR. IV. Omnis itaque nexus, qui necessarius, debet esse absolutus & intrinsecus (§. 91. 92. & §. 4.). &c. &c.

TIT. III.

DE

NEXV PRINCIPII ATQVE PRINCIPIATI.

§. CXLIII.

Principium & principiatum quid.

PRincipium vocant, quod rationem alterius continet. Et hoc ipsum, quod rationem sui in altero habet, *a Scholasticis principiatum* appellatur.

COR. I. Ratio prior esse debet rationato (§. 107.). Ergo & *principium prius esse debet principiato*, & *principiatum principio posterius est.* Qua ex ratione etiam quidam Philosophorum principium vocant, a quo aliquid quacunque ratione initium ducit. Mea vero sententia, *alterius initium esse*, & *altero prius esse* minime sibi possunt substitui, quoniam hoc illo latius patet (§. 106. cum Sch.).

COR. II. Quicquid rationem alterius continet, etiam rationem alterius continere possit, necesse est (§. 70.). Possibilitas continendi rationem alterius a Scholasticis dicitur *habitudo eius, quod principium dicitur, ad id, cuius est principium*, recte ergo duo principii requisita a Scholasticis posita sunt, *dicta* nimirum *habitudo* atque *prioritas.*

COR. III. Principiatum rationem sui habet in principio. Ergo & fieri debet, ut rationem sui in principio habere possit (§. 70.): haec possibilitas continendi rationem sui in altero a Scholasticis dicitur *habitudo eius, quod principiatum dicitur, ad id quod ipsius principium sit.* Ergo & summa cum ratione duo principiati posuerunt requisita Scholastici, *habitudinem* scilicet *dictam*, atque *posterioritatem.*

SCH.

SCH. Notiones, quas de principio atque principiato dedi, notionibus Philosophorum conformes esse, ita evinco: THOMAS de AQVINO Part. I. summ. theol. quaest. XXXIII. art. I. statuit *principium id, a quo aliquid procedit quocunque modo.* Ex illius ergo sententia principium efficit, ut aliquid sit ita nec aliter, atque adeo continet rationem alterius (§. 96.). Principiatum vocatur a Philosophis, *quod aliunde procedit*, consequenter dicto ex fundamento rationem sui in altero habet. Et quoniam Philosophi *aliunde procedere*, ab *inde procedere* distinguunt, *quia*, ut dicunt, *fieri potest, ut aliquid aliunde procedat, nec tamen id, quod aliunde procedit, sit aliud ab eo, vel respectu eius, unde procedit*, de differentia principii a principiato, ex qua causae natura infra erit deducenda, in eorum definitionibus non dixi. vid. VELTHEMIVM l. c. p. 496. *Vsus loquendi probatur.*

§. CLXIV.

Principium rationem alterius continet (§. 163.), ratio est vel sufficiens vel insufficiens (§. 96.), ergo & *principium* in *sufficiens* & *insufficiens* dividere licet. *Illud* est, quod rationem sufficientem alterius continet, *hoc* vero, quod alterius continet rationem insufficientem. Quae itaque de ratione sufficiente atque insufficiente §. 96. seqq. dicta, etiam hic applicari possunt. *Principium est vel sufficiens vel insufficiens.*

COR. Posito itaque principio sufficiente, ponitur principiatum, & posito principiato etiam principium sufficiens poni debet. (§. 96. Cor. I.).

§. CLXV.

Principium considerando distinguere possumus id, quod principium est, ab illo, quatenus est principium. Priori respectu *principium materialiter*, & posteriori respectu *formaliter* spectari dicitur. Principium materialiter spectatum etiam *principium quod*, & principium formaliter spectatum, *principium quo* vocatur. vid. S. R. AEPINI *Compend. Met. Part. III. Sect. II. Cap. VII.* §. 2. Oppositorum oppositia est *Principium & principiatum quando materialiter quando formaliter sumuntur.*

est ratio, ergo & principiatum considerando distinguere possumus id, quod principiatum est, ab eo, quatenus est principiatum. Atque adeo priori consideratione principiatum *materialiter*, posteriori vero *formaliter* spectari affirmabo.

COR. I. Quatenus itaque principium materialiter spectatur, obvii principiati principium nominare non licet; & principiatum materialiter spectatum obvii principii principiatum minus accurate dicitur (§. 163. 96.). Ergo principium, si sit principium, & principiatum, si sit principiatum, formaliter spectari debent.

COR. II. A positione ergo principii ad positionem principiati & vice versa non valet conclusio, nisi tam illud quam hoc formaliter spectetur (§. 164. Cor.).

Consensus Scholasticorum.

SCH. Non itaque sine ratione Scholastici, de ciceronianis manibus parum solliciti, verbum *principiare* eiusque passivum *principiari* introduxerunt. Necesse enim est, ut id, quod principiat, a principio, & id, quod principiatur, a principiato distinguamus; quoniam quod principiat, idem est, ac principium formaliter spectatum, & id, quod principiatur, idem significat, ac principiatum formaliter sumtum. Qua ex ratione etiam hunc canonis: *posito principio ponitur principiatum*, affirmarunt sensum: *posito eo, quod principiat*, seu posito principio formaliter sumto, *ponitur etiam id, quod principiatur*, seu principiatum formaliter spectatum. vid. etiam ea, quae §. 94. seq. de nexu eiusque terminis dixi.

§. CLXVI.

Principium sufficiens est vel simplex vel complexum.

Ratio sufficiens est vel simplex vel complexa (§. 97.), principium, quatenus sufficiens est, continet rationem sufficientem alterius (§. 164.), ergo & principium in *simplex* & *complexum* dividere licet. Quid sit *principiatum sufficiens* seu *plenum*, & *insufficiens* seu *minus plenum* ex relatione facile intelligi potest.

COR. Principium ergo complexum in varia principia resolvi potest, quae illius partes nominandae (§. 18.), adeoque

pars

pars principii complexi de principiato, cuius fuit principium, principium insufficiens est (§. 164. coll. Cor. §. 97.).

§. CLXVII.

Principium porro est vel logice vel metaphysice sic dictum.

Ratio porro sumitur vel analytice seu logice vel metaphysice (§. 98.). Ergo & principium in *principium logice* & *metaphysice ita dictum* recte dividitur. Principium logice sic dictum etiam vocatur *principium cognoscendi*, quoniam ratio analytica qua talis tantummodo efficit, ut aliquid sit ita nec aliter quoad cognitionem nostram (§. 98.). *Principiati cognoscendi* atque *principiati metaphysice sumti* notiones ex relativa oppositione immediate fluunt.

COR. Recte ergo dicitur, *principium cognoscendi qua tale non esse principium rei, sed tantummodo principium cognitionis nostrae.* Et quoniam principium est vel simplex seu incomplexum vel complexum (§. 166.), *principium cognoscendi* etiam in *incomplexum* seu *simplex* & *complexum* dividi potest &c. vid. Cor. §. 123. Log.

Principium cognoscendi sumitur vel absolute vel exclusive.

SCH. I. Ex ratione metaphysice sumta etiam id cognosci potest, cuius est ratio (§. 98. & 96. Cor. 1.). Non ergo sine ratione Scholastici principium cognoscendi dividunt in absolute & exclusive tale, *illud* significare principium cognoscendi, quod simul est principium metaphysice sumtum, *hoc* vero tantummodo principium cognoscendi indicare affirmantes. Quae itaque in sequentibus de principio cognoscendi simpliciter posito dicam, ad principium cognoscendi exclusive sumtum modo velis applicare.

Et est vel proprium vel commune, vel ultimum vel non ultimum.

SCH. II. Facili etiam negotio intelligi possunt divisiones principii cognoscendi in *proprium* & *commune*; in *primum* seu *ultimum* & *non primum* seu *non-ultimum*, & primi in *simpliciter* & *certo genere tale.* Ergo de his modo in transitu dicam. Est vero principium cognoscendi *proprium*, quod non aliorum, quam quae determinata, continet rationem analytice sumtam; si vero etiam de aliis dictam rationem continet, *principium cognoscendi commune* dicitur. Ratio est vel ultima vel non

non (§. 115.), & si ultima, est vel absolute vel respective seu secundum quid talis (§. 9.). Si principium de eo, quod datur, continet rationem analytice sumtam ultimam, tunc eius *principium cognoscendi ultimum* seu *primum*, & quidem, si ratio dicta absolute ultima, *principium cognoscendi simpliciter ultimum*, si vero ratio dicta tantummodo secundum quid ultima, *principium cognoscendi certo genere ultimum* dicitur. *Principium* tandem *cognoscendi non ultimum* de eo, quod datum, appellatur, quod de illo rationem analytice sumtam non ultimam continet. Principium itaque cognoscendi, quod certo genere tantummodo est ultimum, alio quodam respectu non-ultimum esse potest, & vice versa.

§. CLXVIII.

Principium metaphysice sumtum est vel essendi vel fiendi.

Ratio sensu metaphysico sumta est vel essendi vel fiendi (§. 100.), ergo & *principium* metaphysice sumtum in *principium essendi* & *fiendi* dividi potest. *Principium* enim *essendi* est, quod rationem essendi seu possibilitatis alterius continet, & *principium fiendi* est, quod rationem fiendi seu actualitatis alterius continet. vid. §. 100. Quid sit *principiatum essendi* atque *fiendi*, oppositio relativa nullo fere negotio indicabit.

COR. Omnia ergo, quae de ratione essendi atque fiendi §. 100. seqq. dicta, hic applicari possunt. Hanc modo hic notes, velim, conclusiouem; *principum fiendi non nisi existens esse posse* (§. 101.).

Usus loquendi probatur.

SCH. Non nulli quidem veterum Philosophorum, quod cum Ill. WOLFIO §. 874. Ont. lat. principium fiendi appellavi, principium essendi nominant. Non tamen nuda Ill. Philosophi auctoritate motus, eum sequutus sum, sed rationibus, mea quidem sententia, sufficientibus, has ita accipe. Rationis metaphysice sumtae divisionem in essendi atque fiendi rationem §. 100. explicavi. Principium sensu metaphysico tale esse, quod rationem alterius metaphysicam continet, dixi §. 167. Oritur itaque distinctio, fundamento minime destituta, principii

cipii metaphysice sumti, in principium, quod rationem alterius essendi, & quod rationem alterius fiendi continet. vid. Log. §. 123. Facta hac divisione necesse est, ut definita quaerantur, ope regularum §. 127. Log. praescriptarum detegenda. Haec vero detecturo a non-nullis veterum Philosophorum porriguntur termini *principium essendi* & *fiendi*, *hoc*, unde aliquid in esse suo procedit, & *illud*, unde aliquid esse suum habet, seu unde habet, quod ejus constitutionem intrinsece ingreditur, nominantibus. vid. S. R. AEPINVM l. c. Par. II. Cap. I. §. 1. Iam quaero: quid est, quod alicuius constitutionem intrinsece ingreditur, & quae est differentia *inter aliunde in esse suo procedere*, *& aliunde esse suum habere*, examina quaeso, quid in illo, si ab actualitate, & in hoc, si a possibilitae cogitando discesseris, distincte cogites: profecto nihil. Vsui itaque Philosophorum convenienter, principium quod rationem essendi seu possibilitatis alterius continet, *principium essendi*, & quod rationem fiendi seu actualitatis alterius continet, *principium fiendi* nominavi. Et ita principii definitionem, ab ARISTOTELE L. V. Metaph. cap. 1. per membra disiunctiva datam, quod nimirum *principium sit, unde aliquid est, sit aut cognoscitur*, sufficienter intelligimus.

§. CLXIX.

Principium porro est vel internum vel externum.

Ratio porro est vel intrinseca vel extrinseca (§. 103.). Principium rationem alterius continet (§. 163.). Ergo vel ita, ut ratio haec sit intrinseca vel extrinseca. Si prius, *principium* dicitur *internum*, & si posterius, *externum*. Quid sit *principiatum internum* & *externum* oppositio relativa immediate iterum docebit.

COR. Concipi ergo & potest principium sufficiens, quod externo-internum (§. 164. & §. 103. Cor.). Et quae de ratione intrinseca, extrinseca, & extrinseco intrinseca in superioribus dicta, hic applicari possunt.

§. CLXX.

Principium tandem est vel removens vel efficiens.

Ratio tandem est vel removens vel efficieus (§. 105.), ergo & principium in removens & efficiens dividere licet (§. 163.).

(§. 163.). *Removens* scilicet *principium* dici potest, quod rationem alterius tantummodo per remotionem impedimenti continet, & *efficiens*, quod non solummodo per impedimenti remotionem alterius rationem continet.

COR. Principium itaque removens nunquam sufficiens esse potest (§. 105. Cor. 1. coll. §. 164.).

SCH. Explicatas principii species, si eo velis componere modo, quem §. 123. Log. praescripsi, quod facili fieri potest negotio, permulta patebunt fundamenta, ex quibus responsiones ad quaestiones de principio principiatoque motas deducendae. Eiusmodi vero labores studio Lectorum, ut iam antea dixi, committam. Divisio principiorum in formaliter & virtualiter talia determinat naturam causae, de hac ergo infra erit dicendum. Explicata itaque hic sufficiant.

§. CLXXI.

Variae ex dictis inferuntur conclusiones.

Ex dictis facile patet, 1.) Quicquid non habet rationem, idem nec habere principium, adeoque nec esse principiatum (§. 163.). 2.) Quicquid habet rationem quandam, idem etiam habere principium adeoque esse principiatum (§. 143.). Ex quibus infero:

α) Essentiam seu quidditatem qua talem nullum habere principium, sensu metaphysico sumtum, adeoque nec esse hoc sensu principiatum (§. 108. & §. 167.).

β) Omnium affectionum, quae rei obviae competunt, esse principia sensu metaphysico talia, adeoque omnes illas affectiones esse principiata (§. 111. & §. 26.).

COR. I. Sequitur itaque, 1.) ut attributa, quae rei obviae tribuenda, sint principiata, quorum principium metaphysice sumtum sufficiens ipsius rei essentia est, si attributa illa sunt propria, essentiale vero, si sunt communia (§. 122.); adeoque attributorum principium sit internum, respectu rei, cuius sunt attributa (§. 40. Cor. 142. & 169.): 2.) ut modi per analogiam sint principiata, quorum principium fiendi est in eadem re, cui modi illi insunt (§. 125.),

(§. 125.), ergo & principium illorum respectu rei, cui insunt, internum sit (§. 125. & 169.): 3.) ut modi sint principiata, quorum principium fiendi est respectu rei, cui insunt, externum (§. 25. & 169.): 4.) ut affectiones non-attributa mixtae sint principiata, quorum principium fiendi respectu rei, cui insunt, interno-externum (§. 125. & 169. Cor.).

COR. II. Essentialia sunt principium metaphysice sumtum attributorum, quae illorum principiata (Cor. 1.). Differentia vero, quae inter attributa atque essentialia rei intercedit, non est realis, sed solummodo rationis (§. 142.). Ergo non omne principium atque principiatum sunt realiter distincta. Hinc facile patet, quomodo prioritas atque posterioritas, de quibus §. 163. dixi, sit explicanda. vid. Sch. §. 163.

§. CLXXII.

Nexus inter principium & principiatum.

Inter principium atque principiatum, si modo formaliter spectantur, datur nexus. Principium enim, si formaliter spectatur, quatenus est principium considerari debet (§. 165.). Sed quatenus est principium, habet determinationem sine altero qua principiato non possibilem (§. 163.). Ergo principium formaliter spectatum cum principiato qua principiato connexum est (§. 90.). Quare, cum principiatum, si, quatenus principiatum est, consideratur, formaliter spectari dicatur (§. 165.), inter principium atque principiatum, si modo formaliter spectantur, nexum esse constat.

COR. Cavendum itaque est, ne, quae de nexu principii atque principiati dicuntur, ad principia atque principiata materialiter spectata applicentur. vid. §. 165. Cor. 2.

§. CLXXIII.

Quando ille necessarius quando contingens.

Et hinc facile patet, quando nexus ille principii atque principiati, si materialiter spectantur, absolute necessarius, quando vero contingens. *Absolute* enim *necessarius* est, si determinatio, per quam subiectum illud principium dicitur, ipsi absolute necessario inest, & determinatio haec sine altero,

tero, quod principiatum vocatur, inter absolute impossibilia referenda. *Contingens* vero *nexus* ille duplici ratione esse potest; *primo* nimirum, si dicta determinatio subiecto, quod principium vocatur, solummodo contingenter inest; & *deinde*, si determinatio haec dicto subiecto quidem absolute necessario inest, sine determinato vero principiato solummodo secundum quid impossibilis nominanda (§. 172. Cor. Cor.). Notare tamen velis, contingentia inter necessaria hypothetice talia referri posse (§. 147.).

SCH. Quae principiorum explicationes in investiganda veritate, propositionibusque accurate enuntiandis, atque adeo in diiudicandis controversiis, incredibilem infra adferent utilitatem. Ergo vellem, ut eas notes, & specialiora ex iis, quae de necessario & contingente, atque speciatim de nexu necessario atque contingente in superioribus dixi, inferas consectaria. Facili vero negotio ope regularum in Logica praescriptarum illa inferri possunt.

CAPVT IV.

DE VARIIS NEXVS CONSECTARIIS GENERATIM.

TIT. I.

DE VNITATE VARIISQVE EX ILLA CONSECTARIIS.

§. CLXXIV.

Ratio instituti. DE unitate iam §. 21. seq. quaedam generatim dixi, eamque explicavi. Reliquum igitur est, ut, quae de unitate nexus docet, indicentur, atque evolvantur, quod hic fiat brevissimis atque generatim. Speciatim enim de iis infra, explicata entium diversitate, erit agendum.

§. CLXXV.

§. CLXXV.

Nexus est unitatis fundamentum.

Quaecunque connexa sunt, quatenus connexa sunt, constituunt unum. Posito enim uno connexorum, etiam alterum, quatenus illud cum hoc connexum, ponendum est (§. 94.). Quatenus itaque connexa sunt, eatenus sunt inseparabilia (§. 1. & 20.). Quare, cum inseparabilitas eorum, quae ponuntur, unitatem constituant (§. 21.), quae connexa sunt, quatenus connexa sunt, etiam unum constituant, sequitur.

COR. I. A diversitate ergo nexus, quo varia coniunguntur, nonnullae etiam unitatum differentiae dependent. Quasdam modo in sequentibus indicabo.

COR. II. Ante vero, quam hae indicentur, sequentes notare velis conclusiones, quae ex dictis immediate fluunt.

1. Quae cum eodem tertio connectuntur, etiam inter se connexa sunt (§. 95.). Quatenus duo connexa sunt, eatenus constituunt unum. Quae igitur cum eodem tertio connexa sunt, eo etiam respectu constituunt unum.

2. Ratio sufficiens atque rationatum, consequenter & principium atque principiatum connexa sunt (§. 96. Cor. I. & §. 172.). Ergo & ratio sufficiens atque rationatum, principium atque principiatum constituunt unum. Etc. &c.

§. CLXXVI.

Vnitas est vel absoluta vel respectiva.

Varias nexus differentias §. 91. seq. explicavi. Nexus scilicet, qui inter A & B. intercedit, est vel absolutus vel respectivus (§. 91.). Ergo & *unitas* in *absolutam* & *respectivam* dividi potest. (§. 175. Cor. 1.). Si ergo A continet determinationem sine B absolute impossibilem, A & B *absolute unum* constituunt; si vero A continet determinationem sine B respective solummodo impossibilem, unum etiam, quod A & B constituunt, est tantummodo *respective tale.* (§. 91.).

COR. Ergo nec ab uno respective tali ad unum absolute tale valet consequentia (§. 91. Cor.).

§. CLXXVII.

Vel intrinseca vel extrinseca.

Connexa porro sunt vel intrinsece vel extrinsece talia (§. 92.). Ergo & unitas est vel *intrinseca* vel *extrinseca* (§. 175.). Si ergo A continet determinationem intrinsecam sine B non possibilem, A & B ex Philosophorum sententia *unum internum* constituunt; si vero determinatio, vi cuius A cum B connexum, sit ipsius A vel B determinatio extrinseca, A & B *unum externum* constituere affirmarunt. vid. MVSAEI Tract. de Ecclesia Part. II. Disp. I. §. 131. seqq.

COR. I. Varia itaque extrinsece unum constituere possunt, quae intrinsece spectata sunt multa (§. 92. Cor. 2.). Plura ex iis, quae l. c. de nexu intrinseco, extrinseco atque hypothetico (ex quo *unitas hypothetica* oritur) dixi, facili negotio hic inferri possunt. Quaedam modo perspicuitatis gratia adponam.

COR. II. Si varia quoad coexistentiam qua talem vel quoad successionem qua talem connexa, nexus ille erit extrinsecus (§. 92. Cor.), ergo & solummodo extrinsece unum constituunt. Atque adeo intrinsece spectata non unum sed multa sunt dicenda.

SCH. Et ita facile intelligimus, cur tres a Philosophis constitutae sint unitatis hypotheticae classes, *collectiva* scilicet *aggregationis*, *subiectiva concretionis*, atque *adiunctiva consociationis*. vid. CALOVII Metaph. div. Tract. post. Class. I. Cap. IV. §. 2. & conf. PETRI MVSAEI Inst. Metaph. Cap. XXVII. Quoniam vero differentiae illae intellectu facillimae sunt, & ut conclusiones quasdam ex illarum explicationibus deducam, instituti ratio non permittet, eas hic indicasse sufficiat.

§. CLXXVIII.

Vel necessaria vel contingens.

Nexus tandem est vel necessarius vel contingens (§. 162.), ergo & vi connexionis varia constituunt unum vel necessario vel contingenter (§. 175.), ergo & priori respectu *unitatem necessariam*, & posteriori *contingentem* nominabo.

COR. I. Omnis nexus hypotheticus ergo & extrinsecus est con-

contingens (§. 162. Cor. 3.). Quae itaque hypothetice & in specie extrinsece unum constituunt, etiam contingenter unum constituant, immediate sequitur (§. 127. & §. cit. Cor. 1.).

COR. II. Quae ergo unum constituunt vel quia quoad coexistentiam, vel quia quoad successionem connexa, unum solummodo contingenter constituunt (§. 177. Cor. 2.). Idem etiam immediate ex principio §. 162. Cor. 3. posito fluit, quod tam nexus quoad coexistentiam quam nexus quoad successionem qua tales sint contingentes.

COR. III. Quare, cum quicquid contingens, quatenus absolute spectatur, etiam mutabile sit (§. 159.), non generalis sõlum sequitur conclusio, ut, quae contingenter unum constituant, multa esse possint; sed & specialis, ut unitas, quae ex coexistentia qua tali, vel successione qua tali oritur, mutabilis sit. (Cor. 2.). Plura facili negotio ex iis hic inferri possunt, quae de necessario & contingente in superioribus dixi. E. gr. *Quod varia contingenter unum constituere nequeant sine ratione sufficiente* (§. 151. Cor. 1.). Etc. &c.

§. CLXXIX.

Vnitas quae ex rei essentia atque attributis oritur qualis.

Rei essentia atque attributa, quae rei insunt, constituunt unum necessarium intrinsecum atque absolute tale. Essentia enim rei, cuius est essentia, absolute necessario competit (§. 149.). Sed posita essentia, ponitur attributorum, quae insunt, ratio sufficiens (§. 122.). Essentia ergo absolute necessario continet determinationem, sine attributis absolute impossibilem (§. 146. & §. 96. Cor. 1.). Non ergo solum essentia rei eiusque attributa connexa (§. 96. Cor. 1.), sed & absolute necessario connexa sunt (§. 162. Cor. 1.), atque adeo absolute necessario unum constituunt (§. 178.). Q. e. p.

Omnis nexus, qui absolute necessarius, intrinsecus & absolutus esse debet (§. 142. Cor. 4.). Vnum igitur, quod a rei essentia eiusque attributis constituitur, est tam internum, quam absolute tale (§. 176. seq.). Q. e. a.

SCH.

SCH. Hac de unitate, a rei essentia eiusque attributis constituta, vide pluribus §. 142. seq.

§. CLXXX.

Atque unitates, quae a re eiusque affectionibus non-attributis constituuntur, explicantur.

Si rei A affectiones quaedam non-attributa competunt, affectiones illae cum dicta re connexae sunt, sed solummodo contingenter. Si enim affectiones illae rei A competunt, A attribuuntur determinationes sine affectionibus illis non possibiles (§. 1. & §. 11.), affectiones ergo illae dicta cum re A connexae sunt (§. 90.). Quoniam vero affectiones illae rei A tantummodo contingenter attribuendae sunt (§. 124. & 151.), nexus, qui inter dictas affectiones positamque rem A, cui competunt, intercedit, non nisi contingens esse possit, sequitur (§. 162. Cor. 2.).

COR. I. Res itaque A eiusque affectiones non-attributa constituunt unum (§. 175.) contingens (§. 178.). Quae ergo §. cit. cum Cor. Cor. de nexu contingente dicta etiam hic applicari possunt.

COR. II. Affectiones rei non-attributa sunt vel modi per analogiam vel modi absolute sic dicti (§. 125.). Illi sunt determinationes rei, cui competunt, intrinsecae (§. 127. & §. 40. Cor.), hi vero in intrinsecos & extrinsecos dividuntur (§. 128.). Vnum ergo, quod res atque modi per analogiam, qui illi insunt, constituunt, est internum; quod vero a re eiusque modis constituitur, internum est, si modi sunt intrinseci, & externum, si sunt extrinseci (§. 177.).

COR. III. Licet igitur unum absolute necessarium sit internum (§. 142. Cor. 4. & §. 178.), ab uno tamen interno ad unum absolute necessarium non valet consequentia (Cor. 1. & 2.).

§. CLXXXI.

Inde conceiptur quid sit unum per se, & unum per accidens.

Res per se est, quae, quantum essentia ipsius poscit, habere spectatur; si vero rei tribuitur, quod ex essentia non habet, seu quod in essentialibus ipsius rationem sufficientem meta-

metaphysice scilicet sumtam non habet, *eam rem per accidens* nominamus. Ex nexu ergo eorum, quae rei per se insunt, oritur *unitas*, quam *per se* nominant; & ex nexu eorum, quae rei per accidens attribuuntur, ortum ducit *unitas per accidens* sic dicta.

COR. I. Vnitas itaque ex nexu, qui inter rei essentiam atque attributa intercedit, §. 179. deducta, est unitas per se (§. 121.); unitas vero, quam res eiusque affectiones non attributa constituunt, vid. §. 180. est unitas per accidens sic dicta (§. 124.).

COR. II. Et quoniam res A est A per suam essentiam seu quidditatem (§. 15.), facile patet veritas principii, *quod soluta unitate per accidens non desinat res esse, sed tantummodo desinat talis esse per accidens* (§. 125. Cor.).

SCH. Tam unius per se quam unius per accidens definitiones recepto Philosophorum usui loquendi conformes esse, ex Lib. V. Metaph. cap. VI. ARISTOTELIS hancce divisionem inculcantis, facili negotio inferri potest. Quod enim unum per accidens attinet, definitionis loco duos illius modos posuit Philosophus, quorum *prior* accidens seu generatim affectionem non-attributum, (quae pro illo ex mente Philosophi, ut infra docebo, substitui potest) cum subiecto; *posterior* vero duo accidentia seu generatim duas affectiones non-attributa, quae eidem subiecto insunt, coniungit. Quare, cum tam prioris quam posterioris modi unitas a re eiusque affectionibus non-attributis constituatur (§. 121. & §. 175. Cor. 2.), data definitio sententiae Philosophi conformis sit, consequens est (Cor. 1.). Quod deinde unitatem per se attinet, ita argumentor: unitas, quae non est per se, ex Philosophorum sententia est unitas per accidens & vice versa; sunt ergo unitatis species contradictorie oppositae (§. 10.), atque adeo differentia specifica, quae unitatis per se definitionem ingreditur, differentiae specificae, quae unitatis per accidens definitionem ingreditur, contradictorie oppositа esse debet. Sed dicta ratione unitatem per se explicavi, ergo & haec definitio usui loquendi Philosophorum conformis

Vsus loquendi receptus probatur.

esse debet. A definitione igitur ARISTOTELIS, *unum per se, quorum substantia est una*, dicentis, data non aliter differt, quam quod haec generatim exprimat, quae in illa speciatim indicantur, generatim vero intelliguntur. Quod etiam genera, quae de uno per se l. c. Philosophus recensuit, sufficienter docent. Sed pluribus de his vide PETRVM MVSAEVM in Inst. Metaph. Cap. XXVII. & XXVIII.

§. CLXXXII.

Fundamentum probandi nexum plurium essentialiter distinctorum contingentem.

Si rei A modus competat, ut cum extrinseco quodam essentialiter ab ipsa distincto contingenter connexa sit, consequens est. Si enim rei A modus attribuendus, competit rei A determinatio, cuius ratio extrinseca ponenda (§. 125.). Continet ergo res A determinationem sine extrinseco quodam non possibilem (§. 11.), atque adeo, cum extrinseco quodam connexa est (§. 90.). Q. e. p.

Quod nexus ille sit contingens, ita evinco: Modi rei, cui attribuuntur, competunt contingenter (§. 155.), si vero A determinationem, vi cuius cum alio quodam connexum, tantummodo contingenter continet, etiam nexus ille contingens esse debet (§. 162.), ergo & nexus ille, quem membro 1. demonstravi, ut inter contingentes referatur, necesse est. Q. e. a.

Quod tandem extrinsecum illud ab A essentialiter sit distinguendum, hoc modo probari potest. A existere potest, licet dicti modi illi non attribuendi (§. 125. Cor.); si vero ipsi A competunt, ratio eorum fiendi extrinseca existere debet, (§. 124. s.). Haec itaque ratio est ipsius A extrinsecum, quod existit (§. 101.), ergo & sine A existere potest (§. 40.), atque adeo ab A essentialiter distinguendum est (§. 137.). Q. e. t.

COR. Quae connexa constituunt unum (§. 175.), & quae contingenter connexa, unum contingens efficiunt (§. 178.). Non ergo solum A, quatenus illi modi competunt, cum extrinseco quo-

quodam unum constituit, sed unum illud etiam est contingens. Conf. §. 175. Cor. 2.

SCH. Efflorescit ex unitate *unio* eiusque consequens, *affectionum* scilicet *communicatio*, si modo ex constitutione vis atque substantiae unitatis notio magis determinatur. Sed id fiat infra, ergo & de unione atque affectionum communicatione ibi erit dicendum.

TIT. II.

DE

ORDINE, VERITATE ATQVE PERFECTIONE GENERATIM.

§. CLXXXIII.

Sit A cum B connexum, ergo de A aliquid praeter quiditatem suam affirmatur (§. 40.), atque adeo ratio nexus adesse debet (§. 111.). Sit porro cum B aliud C connexum, ergo eodem ex fundamento, quam ante, ratio nexus poni debet. Rationes itaque illae vel sunt similes vel non. Si prius, concipitur *ordo*, & si posterius, *confusio*. Est ergo *ordo* similitudo in ratione, qua varia conjunguntur seu connectuntur; & *confusio* dissimilitudo in ratione, qua varia connectuntur. *Ordo & confusio quid.*

COR. I. Diversitas ergo vel identitas ordinis non dependet a diversitate vel identitate rerum, quae connectuntur, sed a diversitate vel identitate rationum, quibus connectuntur (§. 23.) conf. P. Log. §. 187. seqq.

COR. II. Si itaque in diversarum rerum seriebus similem connexionis rationem observare licet, ut eundem illis tribuamus ordinem, necesse est.

COR. III. Posito nexu ponitur unum (§. 175.). Posito ergo ordine & posita confusione etiam unum poni debet.

Vsus loquendi probatur.

SCH. CHAUVINVS *in Lexico Philosophico Tit. Ordo* dicit, *ordinem esse dispositionem partium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuentem.* Hancce vero definitionem definito latiorem esse, usus loquendi facile docebit. Evolvamus ergo ex dictis definitionem quandam generaliorem. Patet itaque ex recepto loquendi usu, ordinem non spectare nisi rationem, qua varia coniunguntur. Haec vero ratio aut est eadem aut diversa. Si diversa, omnium consensu minime ordo, sed confusio evadet, eadem ergo sit, necesse est. Haec vero rationum identitas vel ex rationum quantitatibus, vel ex earum determinationibus non-quantitatibus sumenda est (§. 4.). Sed prius esse nequit, sit enim dispositio variorum, sua cuique loca tribuens (§. 35. seqq.), ergo posterius esse debet. Quare, cum identitas determinationum non-quantitatum det similitudinem (§. 50.), ordinem per similitudinem in ratione, qua varia connectuntur, recte definiri, patet.

§. CLXXXIV.

Ordo sine regula esse nequit.

Posito ordine ponitur similitudo in ratione, qua varia coniunguntur (§. 183.). Ergo & cogitari potest propositio, iuxta quam varia coniunguntur. Quare, cum eiusmodi propositio dicatur regula (§. 188. P. Log.), posito ordine etiam *regula ordinis*, id est, propositio, quae similitudinem in ratione, qua varia coniunguntur, exprimit, poni debet.

COR. Qui itaque regulam ordinis intelligit, ille etiam intelligit similitudinem in ratione, qua varia coniunguntur, atque adeo ordinem (§. 183.). Et ita simul patet, quod posita regula ordinis, etiam ordo poni debeat.

§. CLXXXV.

Ordo est vel compositus vel simplex.

Omne cogitabile est vel complexum seu compositum vel simplex (§. 16. Cor.). Ergo & regula ordinis vel composita vel simplex est. *Composita* scilicet, si in plures resolvi potest, & *simplex*, si non in plures resolubilis (§. 16.). Quare, cum posita regula ordinis etiam ordo poni debeat (§. 184.),

(§. 184.), summa cum ratione ordinem in *compositum* & *simplicem* dividamus. *Compositus* enim est, cuius regula composita, & *simplex*, cuius regula simplex.

COR. Posita regula ordinis ponitur ordo (§. 184. Cor.), regula vero ordinis compositi in varias resolvi potest, ergo & ordo compositus in varios ordines resolubilis est, qui hac ex ratione etiam *ordines partiales* dicuntur.

§. CLXXXVI.

Ordini compositio competit quantitas.

Posito itaque ordine composito, multitudo ordinum ponitur (§. 35.). Posita vero multitudine ordinum, ponitur multitudo cogitabilium eorundem (§. 33.). Quare, cum multitudo cogitabilium eorundem sit quantitas (§. 35.), *ordini etiam composito quantitas attribuatur*, necesse est.

COR. Quo maior est numerus regularum, in quas dati ordinis regula resolvi potest, eo maior etiam est datus ordo compositus (§. 185. Cor.); ordo ergo compositus maior est simplici (§. 185.). Plura ex iis, quae §. 35 seqq. de quantitate dicta, facili negotio hic inferri possunt consectaria.

§. CLXXXVII.

Ordo est vel internus vel externus, necessarius vel contingens.

Similitudo in ratione, qua varia connectuntur, dat ordinem (§. 183.). Connectuntur vero varia vel extrinsece vel intrinsece (§. 92.); vel necessario vel contingenter (§. 162.) &c. Ergo & *ordinem* in *internum* & *externum*; in *necessarium* & *contingentem* dividere licet.

COR. I. Quae ergo de nexu extrinseco & intrinseco §. 92. sq., de nexu necessario atque contingente §. 162. cum Cor. Cor. explicata, quae de dictis ordinum divisionibus dicenda, immediate indicabunt, ergo nec est, ut pluribus de illis hic agam.

COR. II. Has modo velim, ut hic notes conclusiones: Omnis nexus extrinsecus atque hypotheticus est contingens (§. 162. Cor.), ergo & ordo externus & internus, si est hypotheticus, contingens sit, necesse est. Quare, cum ordo quoad coexistentiam qua talem

lem & succeſſionem qua talem ſit externus (§. 93.), tam ordo quoad coexiſtentiam qua talem, quam ordo quoad ſucceſſionem qua talem eſt contingens. Etc. &c.

§. CLXXXVIII.

Veritas tranſcendentalis quid.

De veritate generatim atque ſpeciatim de veritate logica dixi §. 129. ſeqq. P. Log. Hic modo de veritate tranſcendentali quaedam adponam. Eſt vero *veritas* in genere convenientia eorum, quae ſimul ponuntur. Quare, cum Metaphyſici eſt, ut de iis, de quibus dicit, dicat qua talibus (§. 4. Pr.), de obiecto vero qua tali dicere, idem ſit, ac in iis, quae de eodem dicuntur, nil ſupponere, quam ipſius notionem (§. 177. P. Log.), *veritas metaphyſica*, quae etiam *tranſcendentalis* dicitur, eſt convenientia eorum, quae de re dicenda, cum ipſius notione ſeu conceptu primo.

COR. Omnes affectiones, & generatim determinationes, quae rei ineſſe ponuntur, cum ipſius conceptu primo convenire debent (per dem. §. 28. & Cor. 1. §. cit.). Ergo & *omnis res vera eſſe* debet, ſeu ut Philoſophi dicunt: *Omne ens eſt verum.* Ens enim ibi in ea ſumitur extenſione, qua rem definivi, de quo infra pluribus.

Vſus loquendi probatur.

SCH. Definitio de veritate tranſcendentali data non contrariatur uſui loquendi a veteribus Philoſophis recepto. SVAREZ enim, explicatis variis veritatis ſignificationibus, variisque Philoſophorum de veritate ſententiis examinatis, in Tom. I. Diſp. Metaph. Diſp. VIII. p. 189. ſeqq. veritatem hanc tranſcendentalem definivit, *conformitatem rei cum intellectu quodam, ſaltem divino.* Quare, cum primum, quod de re quadam ſibi repraeſentat intellectus, ſit illius conceptus primus, ſeu eſſentia ſeu notio (§. 15. conf. §. 110. P. Log.), veritas tranſcendentalis, id eſt, rei non cognitionis, ſi in abſtracto & nulla relationis ad intellectum habita ratione, ut in Metaphyſica fieri debet (§. 4. P.), ſumitur, dubio procul, per convenientiam eorum, quae de re dicenda, cum ipſius notione

vel

vel conceptu primo, usui loquendi convenienter recte definitur. Qua ex ratione etiam, mea quidem sententia, FONSECA *Lib. IV. Met. c. II. qu. VI. sect. 10.*, *veritatem transcendentalem scilicet* definivit *conformitatem rerum cum intellectu divino, seu cum rationibus formalibus (vid. §. 15.) ipsarum, quae sunt in mente divina.*

§. CLXXXIX.

Modus concludendi a veritate ad ordinem indicatur.

Vbi ordo ibi veritas, non vero a veritate ad ordinem valet consequentia. Posito enim ordine, ponitur etiam similitudo in ratione, qua varia coniunguntur (§. 183.). Posita vero similitudine in ratione, qua varia coniunguntur, ponitur etiam convenientia eorum, quae simul ponuntur, (§. 6. 50. & 33.), posito itaque ordine, ponitur veritas (§. 188.). Q. e. p.

Posita convenientia eorum, quae simul ponuntur, seu speciatim, posita convenientia eorum, quae de re dicenda, cum ipsius notione seu conceptu primo, ponitur veritas (§. 188.). Haec vero convenientia iam poni potest, si ponitur essentia rei simplicis (§. 31. & 19.); poni etiam potest, si ponitur essentia rei complexae in duo tantummodo cogitabilia resolubilis (§. 15. Cor. 1. & §. 25.). Posita itaque veritate, non necessario ponitur similitudo in ratione, qua *varia* coniunguntur (§. 1.). Quare, cum dicta similitudo det definitionem ordinis (§. 183.), a veritate ad ordinem non valeat consequentia, sequitur. Q. e. a.

COR. Facile itaque patet, quo sensu principium rationis sufficientis fundamentum veritatis dici possit.

Obiectioni respondetur.

SCH. I. Velim tamen, ut non aegre ferant Philosophi veritatem transcendentalem cum Ill. WOLFIO Ont. Lat. §. 495. *ordinem eorum quae enti conveniunt* definientes, me eorum verba non accepisse. Rationem enim dixi; usum infra indicabo. Non dubito quidem, fore, qui more solito opponent: si non in omni veritate sit ordo, veritas etiam confusa cogitari debet, quo-

quoniam ordo atque confusio contradictorie oppositа; veritatem vero confusam concedere, idem est, ac absurdum admittere. Sed principium excluſi medii non applicent, quaeso, ad obiecta, quibus membrorum contradictorie oppositorum genus proximum minime attribuendum.

Monitum.

SCH. II. Possem etiam de veritate absoluta atque respectiva, necessaria atque contingente hic dicere. Eiusmodi vero positiones ex iis, quae de nexu absoluto atque hypothetico, necessario atque contingente in superioribus dixi, nullo fere negotio inferri possunt. Ergo nec est, ut de iis pluribus hic dicam.

§. CXC.

Varia quando consentiunt, quando dissentiunt.

Varia *consentiunt*, si eorum coniunctio ex communi quodam fundamento explicabilis; si vero ex oppositis fundamentis explicari debet, *dissentiunt*.

§. CXCI.

Perfectio & imperfectio quid.

Quatenus varia consentiunt, eo etiam respectu constituunt *perfectum*. Quatenus vero dissentiunt, eo etiam respectu *imperfectum* constituunt. Est adeo *perfectio* generatim variorum consensus, *imperfectio* vero, variorum dissensus.

COR. I. Posita itaque perfectione, poni etiam debet commune aliquid fundamentum, ex quo variorum coniunctio explicabilis (§. 190.); hoc vero est ratio quaedam (§. 96. conf. 98.), ergo & a Philosophis dicitur *ratio determinans* (vid. §. 26. Cor. 2. P. Log.) *perfectionis*. Quare & propositio, hancce rationem indicans, *regula perfectionis* dici potest. (§. 184.)

COR. II. Posita itaque perfectione etiam regula perfectionis poni debet. Facile ergo intelliguntur, quae cognoscere debet, perfectionem obviam explicaturus. vid. §. 184. Cor.

COR. III. Nec minus immediate inferri potest, quod posita variorum coniunctione, aut perfectio aut imperfectio sit ponenda (§. 4. & 10.).

SCH.

SCH. Usum loquendi datae definitionis in ontologia, differentiam perfectionis essentialis atque accidentalis ibi explicaturus, probabo.

§. CXCII.

Modus concludendi ab ordine ad perfectionem.

Posito ordine ponitur perfectio; licet a perfectione ad ordinem non statim valeat consequentia. Posita enim variorum coniunctione ex communi quodam fundamento explicabili, ponenda est perfectio (§. 190. s.). Posito vero ordine eiusmodi variorum coniunctio ponitur (§. 50. & §. 183.). Ergo ab ordine ad perfectionem potest concludi. Q. e. p.

Alterum propositionis membrum simili modo, ut membrum secundum propositionis §. 189. positae, si modo ea mutentur, quae natura obiecti mutari iubet, potest demonstrari.

Monitum.

SCH. Quando vero a perfectione ad ordinem possit concludi, ratio, qua ultimum propositionis membrum corroboravi, immediate docebit. Notare tamen & hic velis, quae sub fine Scholii §. 189. dicta.

§. CXCIII.

Perfectio est vel composita vel simplex.

Posita perfectione ponitur regula perfectionis (§. 191. Cor. 2.), sed regula perfectionis vel simplex vel complexa esse potest (§. 16. Cor.), ergo & eadem ex ratione, qua §. 185. ordinem in simplicem & compositum divisi, *perfectionem in simplicem* & *complexam* dividere possum.

COR. I. Ergo & eodem modo patet, 1.) perfectioni compositae competere quantitatem; atque adeo 2.) multitudinem regularum perfectionis partialium, regulam obviae perfectionis constituentium, determinare quantitatem perfectionis. vid. §. 186. cum Cor.

COR. II. In perfectione igitur composita regulae perfectionis partiales ex diversis rationibus perfectionis, atque adeo

ex diversis fundamentis fluunt (§. 190. & 191. Cor. 1.). Et simul nullo negotio intelligitur, quod a perfectione composita ad ordinem legitime possit concludi (§. 183.).

§. CXCIV.

Regularum collisio quid, eiusque possibilitas.

Fieri ergo potest, ut, dum perfectio quaedam composita constituenda, regularum partialium coniungendarum una poscat, quod altera vetat (§. 6. & §. 193. Cor. 2.). Eiusmodi regularum perfectionis dissensus vocatur *collisio regularum*. Si vero perfectio composita, non vero simplex vid. 31., constituenda, regularum collisio possibilis est.

§. CXCV.

Defectus atque exceptio quid.

Determinatio regulae contraria dicitur *defectus*, haec fit vel ob regularum simul observandarum collisionem vel non. Si posterius, vocatur *defectus verus*, seu *proprie sic dictus*, & si prius, *defectus apparens*, seu *nomine tantum talis*. Hic etiam vocatur *exceptio a regula*.

COR. Omnis itaque defectus est imperfectio (§. 190. seq.), ergo & posita exceptione quadam etiam imperfectio ponenda est.

§. CXCVI.

Exceptio a regula cur & quomodo instituenda.

Posita regularum collisione nulla obtineri potest perfectio, nisi facta determinatione regulae contrariae, quae, si ea obtinenda perfectio, quae illa in collisione obtineri potest, ita instituenda, ut fiat exceptio a regula. Posita enim regularum collisione, ponitur contradictio (§. 194.), adeoque impossibile (§. 11.). Sed impossibile fieri nequit (§. 70.), ergo & posita regularum collisione nulla existens fieri potest perfectio, nisi remota collisione (§. 1.). Removeri vero nequit contradictio, nisi determinatio regulae contrariae facta (§. 4. & 10.). Posita itaque regularum collisione nulla obtineri potest perfectio, nisi facta determinatione regulae contrariae. Q. e. p.

Haec

Haec determinatio fit vel ob regularum simul observandarum collisionem, vel non. Si posterius, non ea obtinetur perfectio, quae obvia in collisione obtineri potest (§. 195. & §. cit. cor. coll. §. 11.), si ergo ea sit obtinenda, priori modo contra regulam determinari debet. Necesse ergo est, ut fiat exceptio a regula (§. 195.). Q. e. a.

COR. I. Et ita intelligimus, quo sensu, *imperfectionem partis efficere perfectionem totius*, dicendum.

COR. II. Nec minus iam patet veritas propositionum, quae ita se habent: 1. Perfectum perfecto est perfectius, cum utrumque eiusdem est generis (rationem huius determinationis vide §. 49. coll. §. 56. Cor. & §. 35.), alterutrum vero plures perfectionis regulas partiales habeat, quae totius perfecti regulam constituunt (§. 193. Cor. 1.). 2. Illud, in quo pauciores sunt exceptiones seu determinationes regulae contrariae minus imperfectum est, altero eiusdem generis, in quo plures sunt determinationes regulae contrariae (§. 195. Cor.). 3. Ergo & minor est imperfectio, si determinatio regulae contraria est vera exceptio, quam si defectus proprie sic dictus (§. 196. & 195. Cor.).

§. CXCVII.

Quantitas ordinis & perfectionis qualis.

Ordo & perfectio sunt ipsius, cui competunt, qualitates. Quod enim sint ipsius, cui competunt, determinationes intrinsecae, definitiones ordinis, perfectionis atque determinationis intrinsecae immediate docent (§. 40. 183. 191.). Quod vero non sint quantitates nec minus definitiones ordinis, perfectionis atque quantitatis immediate indicabunt (§. 35. 40. 183. 191.). Quare, cum determinatio intrinseca non-quantitas sit qualitas (§. 42. Cor. 3.), ordo & perfectio inter qualitates ipsius, cui competunt, referri debeant, sequitur.

COR. Quantitas itaque ordinis vel perfectionis est ordi-

nis vel perfectionis gradus, si modo quantitas illa sit determinata, si vero in-determinata, ordinis vel perfectionis omnitudo dici debet (§. 44.). Quae itaque §. cit. Cor. de gradu dicta, hic applicari possunt.

SCH. Arduam tam de perfectione quam imperfectione essentiali atque accidentali, & quae inde ortum trahit, de essentiali generum atque specierum constitutione doctrinam, hic explicare possem, nisi partim paginae illud facere prohibuissent; partim etiam eiusmodi explicationes non distinctas solum de vi, sed & de substantiis earumque diversitatibus requirerent notiones. Quare, cum Ontologia altera Metaphysicae pars eas porrectura sit, generalissima principiorum consideratione missa, explicatorum ad specialiorem transeam applicationem, utilitatem, quam explicata adferunt, indicaturus. Et ita exposita permittunt, ut ponatur

PHILOSOPHIAE PRIMAE GENERATIM SIC DICTAE.

FINIS.



ELE-

ELEMENTA
ONTOLOGIAE
STRICTE SIC DICTAE

QVAE

NATVRAM ENTIS QVA TALIS EIVSQVE
AFFECTIONES EXPLICANT

ATQVE EX PRINCIPIIS ANTE EXPLI-
CATIS DEDVCVNT.

ONTOLOGIAE STRICTE SIC DICTAE

SECTIO I. DE ENTIS IN SE SPECTATI NATVRA ATQVE DETERMINATIONIBVS.

CAP. I. DE ENTIS QVA TALIS NOTIONE ATQVE CONSTITVTIONE.

§. I.

OMne possibile, quatenus ut subiectum spectatur, §. 121. Ph. pr. rem nominavi. Explicatum vero est §. cit. subiectum, possibile, quatenus consideratur, ut habens essentiam, & praeter eam aliarum determinationum capax est. Rem itaque in duas species generatim dividi posse, patet. Subiectum enim illud vel in se, id est, nemine cogitante, ita possibile est, ut non sit determinatio alterius, vel non. Si prius, rem post haec vocabo *Ens*, & si posterius, *accidens* scilicet *metaphysicum*. *Ens & accidens quid.*

COR. Omne itaque *Ens* est res seu possibile, non vero omnis res vel possibile est Ens. Idea itaque rei vel possibilis est idea Entis superior (§. 33. & 16. Cor. 1. P. Log.). Quae ergo de re atque possibili in superioribus dicta, ad Ens stricte sic dictum immediate facilique negotio applicari possunt (§. 33. Cor. 1. P. Log.). Has vero applicationes, differentiam Entis specificam in sequentibus modo evoluturus, meditationi Lectorum concedam.

SCH. I. Easdem cogitationes in Praelectionibus meis metaphysicis alias ita explicavi: Omne possibile conceptibile est. *Alia dicti explicatio.*

Con-

Concipitur vero ab illo, qui non-repugnantiam idearum cognoscit, hanc vero cognoscit vel usque ad ideas simplices, vel non. Si prius, *possibile complete*, si vero posterius, idem *incomplete concipere* dicitur. Omne itaque possibile est complete conceptibile. Concipi vero potest complete, vel per nudam idearum seu characterum analysin, vel non. Si prius, est *complete conceptibile per se*, & si tantummodo posterius, *complete conceptibile tantummodo per aliud*. Possibile, quod per se complete conceptibile *substantive*; & quod tantummodo per aliud complete conceptibile, *adiective* sumitur. Illud ex Philosophorum sententia est *Ens*, hoc vero *Accidens*, seu *Entis affectio generatim sumta*.

Cur illa huic praeferenda.

SCH. II. Hae terminorum explicationes eadem quidem, quae illae in commate datae, indicant atque exprimunt cogitata, nihilo tamen minus, in commate positas illis praeferendas esse, censeo. Non enim solum cogitata nostra magis determinant, quae per ideas, de quibus in illis dicitur, indeterminata relinquuntur, sed & magis foecundae sunt, ita, ut ope principiorum in Philosophia prima explicatorum atque demonstratorum inde veritates primariae, & maximi per caeteras scientias usus futurae, consequantur, ut infra pertractanda docebunt.

Monitum generale.

SCH. III. Ante vero, quam usum explicatorum loquendi probaturus sum, ut quaedam, quae semel dixisse sufficiant, hic admoneam necesse esse iudico. Dixi Sch. I. possibile sumi vel substantive vel adiective, quae distinctio non sine ratione notari debet, ne ambiguitate decipiamur. Generatim itaque notare velis, adiectiva in genere neutro posita a veteribus sumi vel *substantive* seu *absolute* vel *adiective* seu *cum determinatione quadam*, ita, ut, quae dicuntur, saepissime vera sint, si adiectiva adiective, non vero, si substantive sumuntur. E. gr. vera est propositio: *Deus pater aliud est quam Deus Filius*, si τὸ *aliud* adiective non vero si substantive sumatur, id est, *Deus pater aliud est scilicet suppositum quam Deus Filius*, non vero *aliud simpliciter* seu *substantive sumtum*, ita ut significaret aliud ens. vid. VELTHEMIVM l. c. p. 539. & HEBENSTREIT l. c. p. 619.

p. 619. Neceſſe ergo eſt, ut eiusmodi terminorum ſignificatus accurate determinentur, ne aequivocatio, quae alias latere poteſt, efficiat, ut ſyllogismi medius terminus in diverſo ſumatur ſignificatu, atque adeo quatuor ſyllogismum ingrediantur termini, qui omnino ſyllogismum reddunt vitioſum, conſequentiamque illegitimam producunt. *Exemplum vide in Sch. 1. §. 17. Part. I. Log.*

Varii termini Entis ſignificatus indicantur.

SCH. IV. Hiſce praemiſſis datarum definitionum facili negotio probari poteſt loquendi uſus. Hoc, quo fieri poſſit, *primo* varios termini *Entis* ſignificatus exponam, & *deinde* rationem determinati ſignificatus indicabo. Quod primum attinet, omnium fere veterum Philoſophorum Metaphyſicae explicationum intuitus docebit, terminum Entis varias admittere ſignificationes *inadaequatas*, unicamque *adaequatam*. Quod enim ſignificationes inadaequatas attinet, vel *latius* ſumitur hic terminus, quam par eſt, vel ſtrictius, ut loquar cum NICOL. BEN. PASCHA in *Ontologia thetico-axiomatica Part. Gener. Cap. I. praecept. II.* Latius vero accipitur tribus modis 1.) *latiſſime*, pro omni, quod eſt intelligibile; quo ſenſu etiam privationes, negationes omniaque poſſibilia entium acceperunt nomen. 2.) *Latius*, pro omni, cui τὸ exiſtere reſpective non repugnat, ſive actu ſit, ſive aliquando demum futurum; quo ſenſu de entibus in potentia dicitur. 3.) *Late*, pro omni, quod actu eſt; quo ſenſu etiam modi exiſtentes entia nominantur. Quod attinet ſignificationes *Entis* adaequatas, quibus ſtrictius, quam par eſt, ſumitur, earum rurſus duo occurrunt modi 1.) ſcilicet in *ſenſu imperfectionis*; quo ſenſu Mirandula &, qui eum ſequitur Keckermannus, Deum eſſe ens negarunt. 2.) in *ſenſu perfectionis*, quo ſenſu creaturae *non entia* dicuntur. *Adaequata* tandem Entis ſignificatio eſt, ſi ſumitur pro eo, quod habet eſſentiam realem & per ſe. conf. CHAUVINVM l. c. voce *ens*. HEBENSTREIT. l. c. VELTHEMIVM l. c. aliosque.

Tandem uſus loquendi datarum defini-

SCH. V. Adaequatam hanc entis ſignificationem eam eſſe, qua Ens in commate definivi, Philoſophi ſine probatione

tionem probatur 1.) ex Philosophia veteri.

concedent. vid. interim SVAREZ l. c. Tom. I. p. 56. seq. Meo itaque iudicio necesse tantummodo erit, ut rationem, cur hanc reliquis termini significationibus praetulerim, indicarem. In verbis quidem faciles sumus, post interpretationem habitam, ante tamen nos in iis curiosos esse oportet, ne ambiguitate decipiamur. Illam ergo rationem ita accipe. Omnes plerosque Philosophos determinata termino usos esse significatione, eorum scripta sufficienter docent. Opponi quidem posset sententia *Pythagoreorum*, *Platonicorum*, *Epicuri* atque *Aristotelis*, qua Ens in substantiam & accidens dividendum esse, statuerunt, atque adeo ex eorum sententia Ens sit genus, accidens vero atque substantia eiusdem species; sed vix fieri poterit, ut oppositа ex Philosophorum scriptis atque dogmatibus probentur. Explicabo modo eorum sententiam ex Aristotele. Nunquam vero ille accidens & substantiam Entis species nominavit, sed data potius divisione indicare atque explicare voluit termini aequivocationem, inde ortum trahentem, quia terminus *Ens*, uti generatim Sch. 3. admonui, alias ut participium verbi sui, alias ut nomen a Philosophis sumitur. Dicta hic modo ex lib. VII. Cap. I. Met. ARISTOTELIS probare sufficiet. Ita enim ille, substantiam cum accidente comparans docet: *Substantiam dici simpliciter ens*, *accidens vero non tam Ens quam Entis ens*, *seu aliquid eius*, *quod est vere Ens*, *atque adeo substantiam esse Accidente priorem.* Quare, cum, ut ex dictis patet, omnes plerique Veteres Philosophi termino *Entis* atque *Accidentis* eo usu sint significatu, quem indicavi, & optime terminorum aequivocationes hacce via evitari possint, rationes, cur illos sequutus sim, sufficientes esse, nemo forsan negabit.

2.) Recentiorum.

SCH. VI. Nec abhorrent datae Entis atque Accidentis definitiones ab explicationibus Recentiorum. Quoniam vero demonstrato de ente definitionis usu loquendi, quae de accidente dicenda immediate fluunt, illum modo, ut hic evolvam, necesse erit. Fiat id itaque sequenti ratione. Ens ex sententia Ill. WOLFII §. 134. Ont. lat. est, cui existentia non repugnat. Quoniam vero, si τὸ existere posse in significatu latiori sumatur, etiam facultates entis simplicis, entia dicenda, quod tamen

sine

sine dubio usui loquendi contrariatur, dum ex Philosophorum sententia, *a pluralitate facultatum ad pluralitatem entium non valeat consequentia;* facile patet, το existere posse hic sumi stricte, atque adeo pro τῳ ita existere posse, ut non sit determinatio alterius. Idem itaque significat, quam data definitio. Posset quidem & aliis argumentis probari, sed ne ambages fiant molestae, dicta sufficiant.

§. II.

Possibile est vel existens vel non (§. 72. Ph. pr.). Omne ens est possibile (§. 1.). Ergo & ens in *existens* seu *actuale*, quod etiam a quibus Philosophorum *ens participiale*, & *ens non-existens* seu *non-actuale*, quod etiam *ens nominale* dicitur, dividere licet. Ens non-actuale a non-nullis etiam vocatur *ens possibile*. Quoniam vero ens possibile a plerisque eo sumitur significatu, ut tam *ens mere possibile*, quam *ens actuale* contineat vid. §. 72. cit. studium aequivocationes evitandi requirit, ut ab eiusmodi terminorum usu abstineam. vid. HEBENSTREIT l. c. p. 80. Ens vero non-actuale in *ens mere possibile*, & *ens potentia* dividi posse, docet §. 75. Ph. pr. *Ens est vel actuale vel non-actuale &c.*

COR. I. Etiam accidens est possibile (§. 1.), atque adeo existere potest (§. 70. Cor. 2. Ph. pr.). Manifestum itaque est τὸ actu esse & entis actualis discrimen (§. 1.).

COR. II. Consequens itaque est, ut a τῳ actu esse, ad ens actuale esse, non valeat consequentia. Et simul patet, non sine ratione a Philosophis dici, *ens posse existere*, *accidens vero inexistere*.

SCH. Si nobis ut ens repraesentamus, quod ens non est, hoc fit vel ob similitudinem quandam vel non, si prius, vocatur *imaginarium*, quoniam *notio imaginaria* est, qua ob similitudinem quandam fingitur, quod non est. Si posterius, aut est possibile aut non; si hoc, dicitur *ens fictum*, si illud, aut ut ens actuale nobis repraesentamus, quod non est, aut ut ens non-actuale. Si prius, dicitur *ens rationis*, de ultimo forsan pluribus infra. Recte ergo dicitur: ens rationis esse tantum ob- *Ens rationis imaginarium & fictum quid.*

iective in intellectu. De differentia entis rationis effectivi, subiectivi atque obiectivi dicam in Praelectionibus. vid. interim CHAUVINVM l. c. *voce ens rationis.*

§. III.

Quomodo ens & accidens existere possit indicatur.

Quicquid est ens, id separatim ab aliis existere potest; quicquid vero est accidens, id non existere potest, nisi in Ente quodam. Quatenus enim aliquid possibile est, eatenus potest existere, quo vero respectu non possibile est, eo etiam existere nequit (§. 70. Cor. 2. Ph. pr.). Ergo & Ens ita existere potest, ut non sit determinatio alterius, accidens vero alia ratione existere nequit, quam ut determinatio alterius (§. 1.). Ens itaque ut ens separatim ab alio existere potest, accidens vero non, nisi in alio (§. 39. Ph. pr.). Q. e. p.

Aliud illud, sine quo accidens existere nequit, est vel Ens vel iterum accidens (§. 4. Ph. pr. & §. 1. Ont.). Si posterius, iterum existere nequit, nisi in alio (per. membr. 1.), necesse igitur est, ut inter entia sit referendum (§. 70. Ph. pr.). Q. e. a.

COR. Quibus ex principiis facile patet. 1.) Ens ab alio Ente essentialiter esse distinctum, non vero Ens ab accidente (§. 137. Ph. pr.). 2.) Omne accidens, cum Ente quodam esse connexum (§. 90. Ph. pr.), atque adeo, quae de nexu in superioribus dicta, hic applicari posse.

Monitum generale.

SCH. Cave tamen, ne principium in Logicis demonstratum, *quod a genere ad speciem valeat consequentia*, ut etiam saepissime ab illis, qui sibi soli sapiunt, cum multorum, nescio quo fato, applausu, fieri solet, ad obvia male accommodes, argumentando: *si Quicquid est Ens, separatim ab aliis existere potest, etiam hoc vel illud Ens obvium sub determinatione specifica spectatum ab aliis separatim existere potest.* Eiusmodi enim argumentationes me semper ad misericordiam allexerunt. Quoniam, quae de genere tantummodo modaliter, ut loquar cum Logicis, dicuntur, ad inferiora non nisi in conceptu generico spectata accommodari possunt, non vero ad ea, quatenus

nus specifice spectantur, necessario accommodanda. Fieri sane potest, ut respectu determinationum inferiorum specificarum sint impossibilia. vid. §. 12. Cor. 2. Ph. pr. Haec semel dixisse sufficiat.

§. IV.

Possibilitas separatim ab aliis existendi est Entis qua talis; & possibilitas non-existendi nisi in Ente quodam est accidentis essentia seu quidditas. Possibilis enim qua talis essentia est existendi possibilitas (§. 78. Ph. pr.). Iam vero tam Ens quam accidens in possibilium numerum referri debent (§. 1.), ergo & eorum qua talium essentia in possibilitate existendi consistere debet. Quoniam vero Ens non est accidens, & accidens non est ens (§. cit. Cor.), ut eorum differentia specifica ponatur, necesse est (§. 35. Cor. P. Log.). Quare, cum differentia specifica Entis sit το separatim existere posse ab aliis, & accidentis το non-existere posse nisi in Ente quodam (§. 1. & 3. conf. §. cit. Log.). Entis essentiam esse possibilitatem separatim ab aliis existendi, & accidentis possibilitatem non-existendi nisi in Ente quodam, patet (§. 15. & 106. Ph. pr.). *Entis & accidentis essentia generatim indicatur.*

COR. I. Entis itaque non-actualis, qua talis, essentia est nuda possibilitas separatim ab aliis existendi; & entis actualis, qua talis, essentia est ipsa haec existentia (§. 76. & 78. Ph. pr. conf. §. 2. Ont.).

COR. II. Et simul patet, accidentis generatim spectati essentiam esse το *inesse* seu το *inexistere* vid. §. 2. Cor. 2. HEBENSTREITIVM l. c. p. 79. cum permultis aliis Philosophis recte dixisse.

§. V.

Accidentia, quae enti insunt, insunt in eodem tanquam in subiecto. Si enim accidentia enti insunt, illi insunt praeter essentiam seu quidditatem suam (§. 4.), atque adeo ens, cui insunt, spectatur ut habens essentiam, & praeter eam aliarum determinationum capax est. Quare, cum eo respectu possibile dicatur subiectum (§. 26. Ph. pr.), ens eiusmodi accidentis *Illi accidentia insunt, ut in subiecto.*

dentis subiectum sit, sequitur, seu, ut cum Philosophis loquar, accidentia enti insunt tanquam in subiecto.

Varii subiecti indicantur significatus.

SCH. I. Varias subiecti significationes variasque eius species, quae vel ex omnibus Metaphysices compendiis atque systematibus constabunt, in transitu hic explicare iuvabit. Sumitur vero *subiectum* a Philosophis vel *generatim* vel *speciatim*. Generatim significat id, quod in Logicis dicitur subiectum, seu de quo aliquid dicitur, & hoc significatu, quo ab aliis distingui possit, nominatur *subiectum attributionis*. Quicquid vero de aliquo dicitur, pertinet vel ad ipsius essentiam vel non. Si prius, *subiectum* illud vocatur *praedicationis*, & speciatim *informationis*, si, quod de illo dicitur, ipsius differentiam specificam constituit; & si posterius, oritur significatus *subiecti speciatim sic dicti*, quem termini significatum §. 26. Ph. pr. posui.

Continuatio dicti.

SCH. II. Quicquid itaque ultimo significatu de subiecto dicitur, illi praeter quidditatem seu essentiam attribuitur, atque adeo, ut cum veteribus Philosophis loquar, est vel accidens vel operationis cuiusdam scopus, si prius, *subiectum* de illo accidente dicitur *inhaesionis*, & si posterius, vocatur *subiectum operationis*: Ex subiecto inhaesionis oritur *subiectum denominationis*, si scilicet subiectum de accidente, quod inest, denominatur.

Porro dicta continuantur.

SCH. III. Si subiecto accidens aliquod tribuitur, hoc illi competit vel ut totum spectato, vel quoad respectum solummodo partialem. Si posterius, totum illud subiectum eius vocatur *subiectum inhaesionis quod*, & quoad respectum illum partialem *subiectum inhaesionis quo*. Simili modo etiam subiectum operationis in *subiectum quod* & *quo* dividitur. Distinguitur etiam *subiectum quo* in *primarium* & *secundarium*, huius vero divisionis explicatio doctrinae de communicatione consectarium est, ergo de illa infra pluribus.

§. VI.

Praedicata accidentis quomodo de-

Si accidenti quaedam attribuuntur, ea sunt determinationes entis, cui accidens illud competit. Accidens enim existere nequit,

nequit, niſi in Ente quodam (§. 3.), ſi ergo accidenti quaedam attribuuntur, ea in eodem ente, in quo accidens ponitur, determinata ſumuntur (§. 16. P. Log. & §. 95. Ph. pr.), atque adeo ſunt determinationes entis, cui accidens illud competit (§. 39. Ph. pr.). vid. Cor. §. 3. Ont. *terminationes Entis.*

SCH. Incredibilem hocce principium adferet utilitatem in explicandis facultatibus operationibusque animae, in diiudicandis controverſiis de loco, tempore atque ſpatio a Philoſophis veteribus motis, in detegenda vis atque ſubſtantiae eſſentia atque notione. Notare ergo illud velint, infra uſum inductionis ope percepturi. *Vſus principii.*

§. VII.

Si A ita exiſtit, ut abſolute impoſſibile ſit, ut exiſtat, niſi extra aliud, ipſi A *impenetrabilitas* attribuitur. *Impenetrabile* itaque eſt, quod exiſtere nequit, niſi extra aliud. Qua ex ratione etiam impenetrabilitas unius in reſpectu ad impenetrabilitatem alterius a Philoſophis *extreitatis* accepit nomen. *Impenetrabile quid.*

COR. Quicquid abſolute impoſſibile eſt, id nullo reſpectu poſſibile eſſe poteſt (§. 8. & 12. Ph. pr.). Quicquid ergo ut impenetrabile exiſtit, id, non niſi ut impenetrabile, poſſibile eſſe poteſt. Ergo & impenetrabile in genere dici poteſt, quod non poſſibile eſt, niſi ita, ut extra aliud eſſe poſſit.

§. VIII.

Omne ens qua ens, ſeu (ut cum veteribus loquar) *entitative ſumtum, eſt impenetrabile; accidens vero qua accidens impenetrabile dici nequit.* Ponamus A & B eſſe entia, qua entia, quae exiſtunt. Ponamus porro B exiſtere in A. Ergo B erit entis A determinatio (§. 39. Ph. pr.), atque adeo non ens (§. 1.). Abſolute itaque impoſſibile eſt, ut ens exiſtat, niſi extra aliud (§. 40. & 12. Ph. pr.), ergo omne ens qua ens impenetrabile ſit, ſequitur (§. 7.). *Quod enti qua enti competit.*

Eandem propoſitionem etiam hoc modo evinco: Ens qua ens ſeparatim ab aliis exiſtere poteſt (§. 3.), & ſi exiſtit, ab

ab aliis seperatim existit (§. 4. Cor.). Fieri ergo non potest, ut Ens existat, nisi extra aliud (§. 40. & 12. & 70. Cor. 2. Ph. pr.), atque adeo omne ens est impenetrabile (§. 7.). Q. e. p.

Accidens qua accidens existere nequit, nisi in Ente quodam (§. 3. seq.). Fieri ergo nequit, ut extra aliud existat (§. 40. 12. & 70. Cor. 2. Ph. pr.), impenetrabile itaque nulla ratione dici potest (§. 7.).

COR. Sententiae itaque illorum subscribere debeo, qui impenetrabilitatem Entis, non-impenetrabilitatem vero accidentis essentiam nominarunt (§. 4.). Cave tamen, ne impenetrabilitati substituas extreitatem. Illam enim absolutam quandam, hanc vero relativam exprimere ideam, notiones earum immediate docent (§. 7.). Notare adhuc velis essentiam entis qua entis quibusdam etiam veterum Philosophorum nominari *entitatem.*

SCH. De Entis attributis aliisque affectionibus, ut hic dicam, non necesse erit. Quae enim de illis hic dicenda, ex principiis in Philosophia prima de illis explicatis, immediate inferri, magis vero ante non determinari possunt, quam substantiae atque subsistentiae verae notiones explicatae. Et ita, argumentationibus applicationibusque illis missis, aggredior resolutiones maiorum magisque controversarum quaestionum de substantia atque subsistentia quid sint, & quomodo ab essentia & a se invicem distinguantur. Resolvamus ergo problemata illa, quo vero successu, quo eventu, videamus. Praestabo, quae fieri possunt, ultra posse vero nemo obligatur.

CAP. II.

DE VI ATQVE SVBSTANTIA AGNATISQVE NONNVLLIS NOTIONIBVS GENERALIBVS.

§. IX.

Ratio instituti.

QVoties veteres atque recentiores evolvi Philosophos; quoties, quae existunt, ratione animoque lustravi; toties inter vera suo modo referre debui, quae SENECA Epist. 65. sequen-

sequentibus admonuit verbis: *Dicunt Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiunt, causam & materiam. Materia iacet iners; res ad omnia parata cessatura, si nemo moveat. Causa autem, id est ratio, materiam format & quocunque vult, versat. Ex illa varia opera prodeunt. Esse ergo debet aliquid unde fiat, deinde a quo fiat. Hoc causa est, illud materia. Omnis ars imitatio est naturae. Itaque, quod de universo dicebam, huc transfer. Statua & materiam habuit, quae pateretur, & Artificem, qui materiae daret faciem. Ergo in statua, Materia aes fuit, Causa Artifex. Eadem conditio rerum omnium est. Ex eo constat, quod sit, & ex eo, quod facit.* Conf. GASSENDI Tom. I. Oper. Lib. III. *de principio verum materiali;* atque etiam toties distinctae adaequataeque dictorum notitiae habui cupiditatem. Animadverti quidem totius huius doctrinae fundamentum esse vis atque substantiae explicationem. Sed *felix est, qui potest rerum cognoscere causas!* Quid est vis? quid est substantia? substantiam dicis, quod habet vim; & vim explicas conatum a potentia distinctum. Igitur quid sit conatus, quid sit potentia, ostendi debet. Et harum explicationem animo hic intendo, cogitationes LEIBNITII, in Act. Erud. 1694. positas, meditationibus meis prosequuturus. Qua via principia forsan stabilientur, quorum ope *scientia Dynamica*, de qua in Act. Erud. anno 1695., generalior infra condenda.

§. X.

Nominalem de principio fiendi §. 168. Ph. pr. formavi definitionem. Terminum *vis* in significatu latiori sumtum idem significare ac principium fiendi, ex iis, quae ex notione illa de vi explicabo, sufficienter patebit. Ergo & per definitionem nominalem intelligimus, *quid sit vis?* principium scilicet fiendi, seu, quod rationem actualitatis alicuius continet. *Definitio vis nominalis.*

COR. I. Quatenus aliquid existit, eatenus est plus quam possibile (§. 80. Ph. pr.). Quicquid itaque rationem continet, cur aliquid sit plus quam possibile, summa cum ratione vis nominatur.

COR. II. Principium fiendi non nisi existens esse potest (§. 168. Cor. Ph. pr.). Quicquid igitur sit vis, id etiam existere debet. Est igitur vis possibile, quod plus quam possibile, in quo ratio, cur aliquid plus quam possibile. Plura, ex iis, quae de principio fiendi atque existentia in Philosophia prima dixi, facili negotio hic inferri possunt.

§. XI.

Vis est vel sufficiens vel insufficiens.

Principium fiendi est vel sufficiens vel insufficiens (§. 100. Ph. pr.). Ergo & vim in *sufficientem* & *insufficientem* distinguere licet (§. 10.). Sufficiens scilicet est, si haud quiddam amplius requiritur, ut aliquid existat; & insufficiens, si plura adhuc, ut aliquid existat, desiderantur (§. 96. & §. 100. Ph. pr.).

SCH. Vis a quibusdam veterum Philosophorum dicitur *vita*, quam in vitam *in actu primo* & *in actu secundo* talem distinguunt. *Dum vero vitam in actu primo, ipsam naturam rei viventis, quatenus est vel esse potest principium operationis vitalis, & vitam in actu secundo actualem operationem viventis nominant*, vid. PAVLI SLEVOGTI Diss. Acad. Diss. Theor. 14. §. 9. facile patet, vitam in actu primo idem ac vim insufficientem, & vitam in actu secundo idem ac vim sufficientem significare. Qua ex ratione etiam ab aliis vis in actu primo spectata a vi in actu secundo spectata distinguitur.

§. XII.

Quid agere & effectus.

Agere seu operari idem est, ac rationem sufficientem actualitatis alicuius continere. Si τὸ agere abstractive spectatur, vocatur *actio*. Quicquid igitur agit, id efficit, ut aliquid existat (§. 96. Ph. pr.). Qua ex ratione etiam, quod per actionem fit existens, *effectus* dicitur.

COR. Posita itaque vi sufficiente, seu vi in actu secundo spectata ponitur actio, atque adeo effectus (§. 11. Ont. & Cor. 1. §. 96. Ph. pr.). Qui vero posita vi insufficiente seu in actu primo spectata nondum ponendus (§. 111. Ph. pr.).

§. XIII.

§. XIII.

Si vis A sit principium fiendi insufficiens possibilis B, hocce inter existentia potentialia referri debet. Si enim A sit principium fiendi, existere debet (§. 10. Cor. 2.). Ergo possibilitas existendi ipsius B ex iam existentibus concipitur (§. 100. Ph. pr.). Quoniam porro vis A sit principium fiendi insufficiens (per hypoth.), possibile B nondum existit (§. 12. Cor. 1.), atque adeo est nihilum privativum (§. 74. Ph. pr.). Quamobrem, cum nihilum privativum, cuius existendi possibilitas ex iam existentibus concipienda, sit existens potentiale (§. 75. Ph. pr.), si vis A sit principium fiendi insufficiens possibilis B, hocce inter existentia potentialia referri debeat, sequitur. *Quando possibilia inter existentia potentialia referri possint.*

COR. Vis igitur in actu primo spectata inter nudam agendi possibilitatem atque vim in actu secundo spectatam media est (§. 12. Cor. Ont. & §. 72. Ph. pr.).

§. XIV.

Omnis actio est vis, sed non vice versa. Quicquid enim rationem actualitatis alicuius continet, id est vis (§. 10.). Omnis vero actio continet rationem actualitatis alicuius (§. 12.). Ergo omnis actio est vis. Quod vero a vi ad actionem non valeat consequentia, immediate patet ex §. 11. & Cor. §. 12.). *Actio & vis quo respectu sibi possint substitui.*

COR. Patet ex demonstratione, omnem actionem esse vim in actu secundo spectatam. Ergo & effectus quidam rationem sui sufficientem in actione habere possint, sequitur (§. 12. Cor.).

§. XV.

Posita vi in actu primo spectata actio non ponitur, si vero haec sit ponenda, vis in actu secundo spectata poni debet (§. 12. Cor.). Si ergo actio illa ponenda, vis insufficiens sufficiens fieri debet (§. 11.). Fieri vero potest, ut vis insufficiens sufficiens fiat vel tantummodo per principium removens, vel tantummodo per principium efficiens, vel *Quid conatus & potentia.*

per principii efficientis atque removentis connexionem (§. 170. & 105. Cor. Ph. pr.). Quatenus vis sufficiens esse potest per principium removens, eo respectu vocatur *conatus*; & quatenus sufficiens esse potest per principium efficiens, eo respectu vocatur *potentia*. Ergo vim in conatum & potentiam dividere licet. Ille etiam *vis activa*, & haec *vis passiva* nominatur. Et quid sit *vis activo-passiva* simul facile intelligitur.

COR. Ergo conatus est medium inter potentiam actionemque ipsam.

SCH. Ne datae explicationes usui loquendi contrariari videantur, velim ut audias LEIBNITIVM in Act. Erud. anno 1694. dicentem: *Differt vis activa a potentia nuda vulgo scholis cognita, quod potentia viva* (illa) *Scholasticorum seu facultas, nihil aliud est, quam propinqua agendi possibilitas, quae tamen aliena excitatione, & velut stimulo indiget, ut in actum transferatur. Sed vis activa actum quendam seu ἐντελέχειαν continet, atque inter facultatem agendi actionemque ipsam media est, & conatum involvit, atque ita per se ipsam in operationem fertur; nec auxiliis indiget, sed sola sublatione impedimenti.* Rationem vero, cur hisce in meditationibus Leibnitianis quaedam mutaverim, atque infra forsan mutaturus sim, in sequentibus explicanda suppeditabunt.

§. XVI.

Conatus est vel efficax vel inefficax.

Conatus est vis, quatenus sufficiens esse potest per principium removens (§. 15.). Si ergo fiat sufficiens vel principium removens sufficit, vel aliud adhuc principium efficiens ut adsit, necesse est (§. cit.). Si prius *conatus* dicitur *efficax*, & si posterius *inefficax*.

COR. II. Posita vi in actu secundo spectata ponitur effectus, & vis in actu primo spectata ad effectus existentiam non sufficit (§ 12. Cor.). Ergo & illa vocatur *efficiens*, haec vero *inefficiens*. Remoto itaque impedimento conatus efficax fit vis efficiens, seu, ut alii dicunt, conatus efficiens; si vero conatus ille fuit inefficax, ut fiat efficiens, remotio impedimenti non sufficit.

COR.

COR. II. A conatu igitur efficace ad conatum efficientem non valet consequentia.

§. XVII.

Potentia est vel nuda vel activa.

Potentia est vis, quatenus sufficiens esse potest per principium efficiens (§. 15.). Si ergo fiat sufficiens, vel principium aliud efficiens sufficit, vel etiam principium aliquod removens adesse debet (§. cit.). Si prius, potentia vocatur *nuda*, & si posterius, *potentia cum conatu* coniungitur.

COR. Potentia itaque cum conatu coniuncta est conatus inefficax (§. 16.), quae ergo §. cit. Cor. de hoc dicta, etiam de illa valent. Et quando nuda potentia vis sufficiens fieri possit, immediate docent definitiones.

§. XVIII.

Aliarum specierum vis indicatur fundamentum.

Impedimentum esse potest vel sensu analytico vel metaphysico vel analytico-metaphysico tale (§. 104. Ph. pr.). Conatus ergo efficax sufficiens fieri potest vel per remotionem impedimenti analytici, vel per remotionem impedimenti metaphysici, vel per remotionem impedimenti analytico-metaphysici (§. 16.). Ergo & inde variae vis concipi possunt species (§. 15.). Quarum specierum nomina infra explicanda forsan suppeditabunt.

SCH. Plura ex rationum differentia in Ph. pr. explicata, facili negotio hic inferri possunt. Ergo & eiusmodi laborem meditationibus Lectorum concedam.

§. XIX.

Ens habet vim.

Omne Ens existens habet vim quandam. Omne enim ens est impenetrabile (§. 8.), atque adeo rationem continet, cur extra aliud existat (§. 7. Ont. conf. §. 96. Ph. pr.). Quare, cum ratio actualitatis alicuius sit ratio fiendi (§. 100. Ph. pr.), & quod rationem fiendi continet principium fiendi (§. 168. Ph. pr.), & consequenter vis dicatur (§. 10.), omne ens existens vim quandam habere patet.

COR. I. A genere ad speciem determinatam non valet consequen-

sequentia (§. 33. Cor. 1. & 2. Log. P.). Cave itaque, ne hocce ex principio inferas, quod omne Ens hanc vel illam habeat vis speciem.

COR. II. Non ergo solum notare velis demonstrationem, qua principium illud corroboravi; sed & vim, quae accidenti forsan tribuitur, non esse accidentis, sed potius Entis, cui accidens illud competit (§. 6.).

§. XX.

Entia sunt vel activa vel passiva.

Regulae interim in Part. I. Log. §. 123. sq. explicatae permittunt, ut variae entium species, ex virium diversitate concipiendae, hic ponantur. Poni enim possunt entia, quorum vis tantummodo passiva; poni etiam possunt, quorum vis tantummodo activa; poni etiam possunt, quorum vis activo-passiva (§. 15.). Ergo & ista post haec *entia mere activa*, illa vero mere *passiva*, & haec *activo-passiva* nominabo.

COR. I. Entia ergo mere passiva habent potentiam nudam, activa vero conatum efficacem, & entia passivo activa continent potentiam cum conatu coniunctam, atque adeo conatum inefficacem (§. 15. seqq.). Si ergo istorum vis sit sufficiens, principium fiendi requiritur; si illorum vis sit sufficiens, principium removens adesse debet; & si horum vis sit sufficiens, ut principium aliquod efficiens cum removente coniungatur, necesse est (§. §. cit. cit.).

COR. II. Et simul patet, entia, quatenus conatum continent, activa posse nominari.

§. XXI.

Vel immanenter vel transitive &c. agere possunt.

Vis est principium fiendi (§. 10.), principium fiendi continet rationem actualitatis alicuius (§. 168. Ph. pr.). Ergo & Ens ope vis aliquid existens reddere (§. 20.) seu agere potest (§. 12.). Quicquid vero existens reddere potest, seu, ut dicunt, terminus actionis, est vel ipsius entis, cuius est vis, intrinsecum vel extrinsecum vel tam intrinsecum quam extrinsecum (§. 40. Ph. pr.). Ergo & *actiones* in *immanentes* & *transeuntes* dividere licet. Atque adeo entia in ea, quae *immanenter*; quae *transitive*; & quae tam *immanenter* quam *transitive* agere possunt, distinguenda sunt.

COR.

COR. Distinguendum itaque est subiectum actionis a termino actionis, *illud* enim est agens seu quod agere potest, *hoc* vero quod agitur seu quod agi potest.

SCH. Tam actio immanens quam transiens dupliciter a Philosophis explicari solet. *Primo* enim actionem immanentem nominant, cuius terminus est in eadem vi, a qua manet, & *deinde*, cuius terminus est in eodem subiecto, cui vis, a qua manet, attribuenda. Et actionem transeuntem *primo* dicunt actionem, cuius terminus est in vi quadam ab illa, a qua actio haec manet, diversa; & *deinde* actionem, cuius terminus est in ente ab agente diverso. Quoniam vero omnis vis Enti attribuenda est (§. 19. Cor. 2.), hancce significationum differentiam a diversitate quadam Entium infra explicanda dependere, sufficienter patebit, & ita dati conceptus universales manebunt. *Usus loquendi probatur*

§. XXII.

Terminus itaque actionis est vel determinatio Entis intrinseca vel extrinseca (§. 21.). Et si prius vel quantitas vel qualitas (§. 42. Cor. 3. Ph. pr.). Variae ergo & inde virium denominationes oriri possunt, de quibus infra pluribus. *Aliud virium diversitatis fundamentum.*

SCH. Concipi inde potest, cur a veteribus actiones in *accretiones*, *decretiones*, *alterationes* & *lationes* distinguuntur. Si enim actionis, quae cogitatur ut mutatio quaedam vid. §. 157. Ph. pr., terminus est quantitas, hanc per actionem quantitas vel fit maius vel minus, si prius est *accretio* & si posterius *decretio*. Si vero eiusdem terminus est qualitas, *alterationis*, & si determinatio extrinseca *lationis* oritur idea atque conceptus. *Consensus veterum.*

§. XXIII.

Si Ens A absolute necessario existit, etiam vis illi absolute necessario competit. Si vero A tantummodo contingenter existit, etiam dicta vis tantummodo contingens est. Omne enim Ens existens habet vim (§. 19.); posita itaque entis existentia, etiam impossibile est, ut illi non competat vis (§. 11. Ph. pr.), si ergo absolute impossibile est, ut entis A existentia non ponatur, *Vis quando necessario quando contingenter competit.*

ponatur, etiam τὸ non habere vim respectu ipsius A absolute impossibile est (§. 2. Ph. pr.), atque adeo Enti A absolute necessario competit (§. 146. Ph. pr.). Prius vero est, si ens A absolute necessario existit (§. cit.); si ergo ens A absolute necessario existit, etiam absolute necessario vis illi attribuenda est. Q. e. p.

Alterum propositionis membrum eodem modo probari potest, si modo mutentur, quae natura obiecti mutari iubet.

COR. Si igitur Ens primi ordinis datur, illi absolute necessario vis quaedam competit; si vero ens secundi ordinis existit, illi etiam vis tantummodo contingenter competere potest (§. 152. Ph. pr.). Plura ex iis, quae de possibili primi & secundi ordinis in Ph. pr. dixi, facili negotio hic inferri possunt. Unicam modo notes velim conclusionem, quod a vi ad actionem determinate non statim valeat consequentia (§. 14.), vid. §. 155. ff. Ph. pr.

§. XXIV.

Fundamentum perfectionis atque imperfectionis vis.

Omnis vis, quatenus insufficiens est ad agendum, est imperfecta. Posita enim vi, ponitur principium fiendi (§. 10.), atque adeo ponitur, quod rationem actualitatis alicuius continet (§. 168. Ph. pr.). Quatenus vero insufficiens est ad agendum, rationem actualitatis illius non continet (§. 11. & 12.). Posita itaque vi, quae insufficiens ad agendum, coniunguntur ex oppositis fundamentis explicabilia (§. 5. sqq. P. Log.), atque adeo vi, quatenus insufficiens ad agendum, imperfectio quaedam tribuenda est (§. 190. sq. Ph. pr.).

COR. I. Quo igitur minor est insufficientia vis ad agendum, eo minor est imperfectio, atque adeo eo maior perfectio ipsius (§. 196. Cor. 2. Ph. pr.).

COR. II. Vis ergo, quatenus est potentia seu vis passiva, imperfectior est vi, quatenus est conatus seu vis activa (§. 15. Opt. & §. 96. coll. §. 104. seq. Ph. pr.). Consequenter & vis, quatenus est conatus seu vis activa, perfectior est vi, quatenus est potentia seu vis passiva.

COR.

COR III. Sequenti ergo serie vires, quatenus earum perfectionis habetur ratio, ponendae sunt. *Infimae* perfectionis vires sunt, quae potentiae nudae, seu vires mere passivae. *Deinde* sequuntur vires passivo-activae. Et *tandem* vires mere activae poni debent (§. 15.-17.). Pluribus de virium gradatione infra.

§. XXV.

Et inde variae entium perfectiones infe-runtur

Omne ens existens habet vim quandam (§. 19.). Sed variae virium perfectiones poni possunt (§. 24. Cor. Cor.). Ergo & varias entium species ex virium perfectione atque imperfectione concipiendas ponere licet. *Infimae* scilicet perfectionis sunt entia mere passiva; *deinde* sequuntur entia activo-passiva; & *tandem* entia mere activa ut ponantur, necesse est (§. 20. & §. 24. Cor. 3.).

§. XXVI.

Substantia quid.

Explicatis hactenus notione vis, variisque virium differentiis &, quae inde fluunt, proprietatibus generalibus, transeo ad notionis substantiae explicationem, specialiora infra indicaturus. Est vero ex omnium fere Philosophorum sententia *substantia*, quod ita existit, ut non sit in alio tanquam in subiecto, scilicet inhaesionis. Atque adeo ex eorum sententia substantia est existens, quod non est accidens (§. 5. Sch. 2.). Quamobrem, cum existens, quod non est accidens, sit ens (§. 1.), substantia idem significat ac ens existens. vid. Sch. 5. §. 1.

COR. Quae ergo de ente existente hactenus dicta, etiam valent de substantia; sequitur igitur 1.) ut substantia sit, quod habet vim (§. 19. & §. cit. Cor.). 2.) Ut variae substantiarum species, ex virium perfectione atque imperfectione concipiendae, poni possint (§. 25.) &c.

Vsus loquendi probatur.

SCH. I. Notionem de substantia datam non contrariari notioni, quam Scholastici aliique veteres Philosophi de eadem habuere, facile evinci potest. Non enim solum HEBENSTREIT. l. c. p. 227. seqq. VELTHEM. l. c. p. 1741. seq. aliique *substantiam*, omne, quod existit, nec tamen existit in

alio tanquam in subiecto definiverunt, το *esse in alio tanquam in subiecto* hic strictius sumi, ut illud in alio, tanquam in subiecto esse, asseratur, *quod actu & revera est in alio ente, ita ut de illo vere possit affirmari, nec ad illius essentiam spectet, neque insit ei tanquam pars, neque ab ipso separari possit positive*, atque adeo subiectum hic subiectum inhaesionis significare docentes, conf. ARISTOTELES Cap. II. *Lib. categ.* Sed & eadem termini significatio ex aliorum definitionibus legitime inferri potest. Provoco modo ob rationem quandam, quam infra explicanda docebunt, ad definitionem ab RODERICO de ARRIAGA Disp. Metaph. 4. Sect. 6. n. 33. de substantia datam, quod sit, *quicquid intrinsece constituit primam rem*, quae prima res, iuxta illius sententiam significat, quae per se existit, ita ut non sit in alio tanquam in subiecto.

Variae de voce substantiae controversiae unde oriantur.

SCH. II. Sunt quidem, qui hac in vocis sustantiae explicatione a dictis dissentiunt Philosophis, aequivocatio vero graecae vocis ουσια, tam essentiam seu quidditatem, quam quod substantiam dixi, significantis, omnem hancce controversiam inferre, mihi videtur. Inde enim factum est, ut vox substantiae quandoque pro essentia seu quidditate sumatur, quo sensu ICti testamentum *in testamentum quoad substantiam & quoad solennitates sumtum* distinguunt. vid. GROTIVM in I. B. & P. Lib. II. Cap. VI., eademque significatione illa utuntur Philosophi, *substantiam non suscipere magis & minus* docentes (§. 22. Sch. 1. Ph. pr.). Licet igitur, vocem substantiae non raro essentiam notare, concedere debeam; minime tamen dubito, fore, qui, Logicos atque Metaphysicos substantiam accidenti, cui essentia atque quidditas omnino attribuenda, saepissime, non dicam semper, opposuisse, atque adeo, quod indicavi, significare concedent. Neque vero mirum est, nomen illud eo sumi significatu: ab eo enim, *quod substat*, deflectitur, non vero, ut quidam volunt, quia substat accidentibus suis, & ita durabile est, quod mutationibus subiectum; sed quoniam constans atque satis firmum est ad producendas actiones. Eo vero sensu το *substare* saepissime ab autoribus sumi, variis argumentis facile

facile probari potest. Hic modo provoco ad PVBL. TERENTIVM, ita enim ille in Andria Act. V. Scen. IV. v. 11. *Perii! metuo, ut subsiet hospes.*

§. XXVII.

Successio unius determinationis intrinsecae in locum alterius a se diversae dicitur *variatio*. Ergo & *variabile* dicitur, quod successive aliarum determinationum intrinsecarum capax. *Variatio & variabile quid.*

COR. I. Posita itaque variatione, etiam mutatio quaedam ponenda est (§. 157. & 33. Ph. pr.). Quo ergo respectu aliquid non est mutabile, eo etiam variabile dici nequit. Sed mutabile non est, nisi quatenus est contingens (§. 159. Ph. pr.), ergo nec variabile dici potest, nisi quatenus contingens est.

COR. II. Mutabile in absolute & respective tale dividi debet (§. 158. Ph. pr.). Quicquid est variabile, id eodem respectu mutabile est, ergo & necesse est, ut τὸ *variabile esse* in *absolute* & *respective tale* dividamus.

§. XXVIII.

Quicquid variabile est, vel absolute vel respective tale, id debet esse existens. Quidquid enim variabile est, id successive alias determinationes intrinsecas admittere potest (§. 27.). Ergo fieri potest, ut, dum una determinationum intrinsecarum existere desinit, altera existere incipiat (§. 84. Ph. pr.). Quare, cum determinationes intrinsecae, cum re, cui insunt, sensu metaphysico connexae sint (§. 122. sqq. Ph. pr.), variabile esse nequit, nisi quod existat (§. 102. Ph. pr.). *Variabile debet esse existens.*

COR. Si igitur res A sit variabile, in A existente successio unius determinationis intrinsecae in locum alterius a se diversae possibilis est (§. 27.). Ergo & res A durabile, seu, ut alii dicunt, perdurabile esse debet, si est variabile (§. 81. Pr. pr.).

§. XXIX.

Determinationes intrinsecae, quae in re A variari possunt (τὸ posse sumitur tam absolute quam respective), *non esse possunt,* *Quo respectu variatio sit possibilis.*

possunt, nisi modi proprie sic dicti vel modi per analogiam. Determinationes enim illae intrinsecae rei A existenti, qua tali, contingenter competere debent (§. 27. Cor. 1. & §. 28.), sed rei existenti qua tali contingenter competere nequeunt, nisi modi proprie sic dicti vel modi per analogiam (§. 149.-156. Ph. pr.). Ergo & nullae determinationes in re quadam variari possunt, nisi quae sunt modi proprie sic dicti vel modi per analogiam.

COR. Summam ergo rationem habent Philosophi, cur omnem variationem *modificationem*, id est, variationem modorum vel proprie sic dictorum vel per analogiam talium nominaverint; atque adeo *modificabile* est, quod habet, cui absolute spectato non repugnat modificatio, id est, successio unius modi vel proprie sic dicti vel modi per analogiam in locum alterius a se diversi. Rationem, cur *absolute spectato* dixerim, vid. Cor. 2. §. 27.

§. XXX.

Omnis tandem variatio requirit vim.

Nulla modificatio fieri potest, nisi vis quaedam in actu secundo existat. Facta enim modificatione modi vel proprie sic dicti vel per analogiam tales existunt (§. 28. & §. 29. Cor.), sed hi existere nequeunt, nisi eorum principium fiendi sufficiens existat (§. 124. 125. & 168. Ph. pr.). Quare, cum principium fiendi sufficiens sit vis, in actu secundo spectata (§. 11. Sch.), ut nulla fieri possit modificatio, nisi vis quaedam in actu secundo existat, consequens est.

COR. Cave tamen, ne a vi in actu secundo spectata ad modificationem velis concludere (§. 11. 29. Cor. coll. §. 84. Ph. pr.).

§. XXXI.

Modificabile quid.

Quicquid modificabile est, id esse debet substantia. Quicquid enim modificabile est, existens esse debet (§. 28. & 29. Cor.). Ergo est vel ens, vel accidens (§. 70. Ph. pr. & §. 1. Ont.), sed accidens esse nequit. Si enim modificabile est, determinationes quaedam intrinsecae illi attribui possunt (§. 27. & 29. Cor.), determinationes vero intrinsecae accidentis sunt determinationes entis, cui accidens illud

illud competit (§. 6.). Consequens igitur est, ut sit ens. Quare, cum omne ens existens sit substantia (§. 26.), quicquid modificabile est, substantiam esse patet.

COR. I. Accidens non esse modificabile, patet ex demonstratione; & omne modificabile esse substantiam, demonstratum est. *Substantia* ergo per id, quod habet, cui absolute spectato non repugnat modificationis possibilitas, quae etiam *modificabilitas* a Recentioribus dicitur; & *accidens* per id, cui etiam absolute spectato modificabilitas repugnat, definiri potest. Cave tamen, ne *omnem substantiam esse modificabilem*, sine ulteriori probatione, velis admittere.

COR. II. Omne modificabile est perdurabile (§. 28. Cor.). Ergo & intelligimus, quo sensu substantia simpliciter perdurabile aliquid dici possit.

SCH. Et ita patet, non sine ratione ARISTOTELEM, substantias quasdam Εντελεχειας esse, affirmasse. Εντελεχειαν quid. enim CICERO Lib. I. Tuscul. q. 1. *quandam quasi continuatam motionem* (quae vox in Stoicorum Philosophia idem significat, ac actus) *& perennem* interpretatur. Quae vocis interpretatio caeteris merito anteponenda. Ciceronem enim tam graece quam latine optime intellexisse, notum est. Et ita, cum *Hermolao Barbaro*, εντελεχειαν idem significare ac *perfectihabiam*, dicere non necesse habemus. Plura, quae de substantia dicenda, partim ex iis, quae hactenus explicata, facili negotio inferri, partim vero infra faciliori quadam via detegi atque evolvi possunt. Ergo dicta hic sufficiant. Εντελεχεια

CAP. III.

DE SVBSISTENTIA ENTIS GENERATIM.

§. XXXII.

SVbstantiam esse ens existens, dixi §. 26. Omne existens esse singulare, probatum est §. 137. Cor. 2. P. Log. Ergo substantia proprie est ens singulare. Si ergo veteres substantiam *Omnis substantia est ens singulare.*

tiam in *singularem*, quam etiam *subſtantiam primam*, & *univerſalem*, quam etiam *subſtantiam ſecundam* nominant, dividunt, haec non eſt diviſio logica, ſed ſolummodo diſtinctio aequivoci in ſua aequivocata.

§. XXXIII.

Quae vel completa vel incompleta.

Poſita itaque entis ſubſtantialitate, ipſius exiſtentia atque vis ponenda eſt (§. 32. & §. 19.). Quatenus itaque ens ſpectatur ut ſubſtantia, plus quam poſſibile ſit, neceſſe eſt (§. 80.). Quoniam porro a vi ad actionem non valet conſequentia (§. 12. Cor.), fieri poteſt, ut ens exiſtat, licet non agat. Quare, cum vis completa ſit, quatenus agit (§. 12. Cor. coll. §. 11.), ſumma cum ratione ſubſtantiam in *completam* & *incompletam* dividimus. Quatenus itaque ens eſt ſubſtantia completa, eatenus etiam plus eſt, quam exiſtens. Atque adeo intelligitur, quid ſit *complementum ſubſtantiae* in abſtracto.

COR. Omnis ergo ſubſtantia ſingularis eſt vel completa vel incompleta. Quod vero ſubſtantia completa perfectior ſit incompleta, ex Cor. 2. §. 24. immediate fluit.

Vſus loquendi probatur.

SCH. Definitiones de incompleta atque completa ſubſtantia datas a recepto loquendi uſu recedere, videtur quidem, meae vero hac de re ſententiae probationem velim ut benigne accipias. Primo itaque audias veterum explicationes, & deinde meas cum illis convenire probabo. Eſt vero, ex veterum ſententia, *ſubſtantia completa*, quae per ſe & ex natura ſua non ordinatur ad alterius ſubſtantiae conſtitutionem; & *ſubſtantia incompleta*, quae per ſe & natura ſua ordinatur ad alterius ſubſtantiae conſtitutionem. Iam evolvas ideas, quae latent, & ita facili negotio patebit, quae per ſe & ex natura ſua ordinata ad alterius ſubſtantiae conſtitutionem non agere, ſed id agere, quod conſtituunt; atque adeo eandem explicationes veterum indicant ſignificationem, quam datae definitiones. Qua ex ratione etiam materiam qua talem & formam ſubſtantias incompletas nominarunt veteres. vid. SLEVOGT. l. c. *Diſp. theor. Diſp. XII. §. VIII.* conf. STALIVS *in Inſt. Metaph. Sect. II.*

Sect. II. Cap. II. p. 441. aliosque permultos ex Scholasticorum scholis.

§. XXXIV.

Si vis entis A a vi entis B determinatur ita, ut A per vim B hoc & non alio modo agat, A ab B *sustentari* dicitur. *Sustentari quid.*

COR. Ergo & substantiam completam in aliunde sustentatam & non-sustentatam dividere licet (§. 33.). Non sustentata scilicet agit, sed ita, ut non ab alio determinetur, ut hoc & non alio modo agat; si vero est sustentata, vi dictae determinationis ut agat, necesse est.

§. XXXV.

Substantia completa aliunde haud sustentata *subsistere* dicitur; Potest vero substantia illa, vel in abstracto vel in concreto spectari, si posterius, vocatur *suppositum*, seu ὑφιστάμενον, & si prius, *subsistentia* seu ὑπόστασις, & a Scholasticis *suppositalitas*. *Suppositum & substantia quid.*

COR. Ergo & ens, quatenus est suppositum, perfectius est ente, quatenus non est suppositum (Cor. 2. §. 24.). Et simul patet, quo sensu principium, quod *agere sit suppositorium*, verum dici possit.

SCH. Ad suppositi constitutionem omnium fere consensu requiritur, 1.) ut sit substantia singularis, 2.) incommunicabilis, 3.) completa, & 4.) aliunde haud sustentata. Omnia etiam data definitione ad suppositum requiri patet. Quod enim sit substantia completa aliunde haud sustentata, expresse indicatur; quod sit substantia singularis, fluit ex §. 32.; & quod sit incommunicabilis, ex §. 65. Ph. pr. nullo negotio inferri potest. Et idem est, quod sensus vocabuli subsistendi grammaticus, non ultra progredi denotantis, sufficienter docet. *Vsus loquendi probatur.*

§. XXXVI.

Existit ens A, si est substantia (§. 26.). Quatenus vero substantia est, nondum subsistit (§. 35. Cor.). Ergo a τῳ existere ad τὸ subsistere non valet consequentia. Quoniam vero, *A subsistentia ad existentiam non v. v. valet conclusio.*

vero, quod subsistit, etiam agit (§. 35.), & quicquid agit, vim habere (§. 12. & 10.), atque adeo substantia esse debet (§. 26.). Quicquid subsistit, etiam existat necesse est (§. 26.).

COR. I. Et ita intelligimus, cur omnis substantia agens subsistere a quibusdam dicatur. Eo ergo sensu substantia subsistens idem significat ac completa (§. 33.).

COR. II. Ex iisdem rationibus simul patet, ab existentia entis ad substantiam completam esse non valere consequentiam, licet substantia completa esse nequeat, nisi quod existens.

§. XXXVII.

Sed quaeritur quomodo.

Ex eo, quod substantia A contingenter sit completa, ut etiam contingenter existat, immediate inferri nequit. Substantia A existens cogitari potest, licet non sit completa (§. 36. Cor. 2.). Negatio ergo huius complementi negationem existentiae illius non immediate involvit (§. 127. P. Log.). Ergo & a non completum esse posse, ad non-existendi possibilitatem immediate concludere non licet. Quare, cum determinationes, quae rei obviae ita tribuuntur, ut etiam earum oppositae eidem inesse possint, rei illae contingenter competant (§. 145. Ph. pr.), ex eo, quod substantia A sit contingenter completa, existentiam ipsius contingentem esse ut immediate inferatur, vix legitime fieri potest.

Monitum.

SCH. Notare tamen velis, quod a negatione conclusionis immediatae, ad negationem omnis consequentiae non valeat consequentia. Quis enim Logicorum, ut a negatione unius speciei ad negationem cospeciei concludatur, permittet. Negavi modo, ex eo, quod substantia quaedam contingenter sit completa, ut etiam contingenter existat, *immediate* inferri posse, minime vero negavi ex illo principio hancce conclusionem legitime posse deduci. Ultimum forsan principium infra vel universaliter vel saltem particulariter corroborabo, ubi simul usus demonstrati sufficienter patebit. vide interim, quae §. 155. seq. Ph. pr. demonstrata atque explicata sunt.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Quicquid contingens, quatenus absolute spectatur, etiam mutabile est. Quicquid vero necessarium, illud, quatenus est tale, immutabile est (§. 159. Ph. pr.). Quoniam igitur a contingentia substantiae, qua completae, ad contingentiam substantiae, qua existentis, immediate concludere non licet (§. 37.), etiam non immediate valet conclusio a mutabilitate substantiae, qua completae, ad mutabilitatem substantiae, qua existentis. vid. §. 160. seqq. Ph. pr. *Continuatio prioris.*

§. XXXIX.

Et ita incidimus in status eiusque constitutionis explicationem. Est vero *status* nil aliud, quam collectio determinationum, quae in ente quodam existentes sumuntur. Ex diversitate itaque dictarum determinationum oritur diversitas statuum. Sunt vero determinationes illae vel *extrinsecae* vel *intrinsecae* vel *extrinseco-intrinsecae*, (§. 40. Ph. pr.) ergo & istae dant *statum externum*, illae *internum* & hae *externo-internum*, seu *mixtum*. *Status eiusque differentia unde.*

COR. I. Quatenus ergo in duobus entibus eaedem existunt determinationes, etiam status eorum idem est; quatenus vero determinationes illae sunt diversae, etiam status eorum diversus est. Si itaque determinationes, quae enti obvio inexistunt, eaedem non manent, etiam status eius mutatur (§. 157. Ph. pr.).

COR. II. Determinationes extrinsecae sunt relationes (§. 40. Ph. pr.), sed a mutatione relationum ad mutationem rerum, quibus dictae relationes attribuendae, non valet consequentia (§. 161. Cor. Ph. pr.), ergo nec a mutatione status externi ad mutationem entis, cuius est status, concludi potest. An vero a mutatione status interni ad mutationem entis, cuius status fuit, legitime possit concludi, universaliter vix potest decidi. Quaedam tamen principia, ex quibus in casu obvio responsio deduci possit, ut ponantur, necesse esse videtur. Fiat hoc itaque in sequentibus.

SCH. Ita grammaticus sensus vocabuli status, quo denotatur *Vsus loquendi probatur.*

tatur proprie *actus ſtandi*, conſentit cum Philoſophico. Quod vero datus ſit philoſophicus, veterum explicationes immediate indicant, *actum illum ſtandi* ſeu *ſtatum* eſſe *entis in eſſe debito perſeverantiam*, docentes. Cum Recentioribus quidem in Praecog. I. N. & G. §. 2. ſtatum, coexiſtentiam limitationum ſeu mutabilium cum rei fixis, nominavi, & hanc termini explicationem ibi ſufficientem eſſe iudico; in Ontologia vero notiones generatim, & non ad determinatam quandam determinationum ſpeciem accommodatas, explicante, ut notio illa etiam generalior fiat, meo quidem iudicio neceſſe eſt.

§. XL.

Status entis eſt vel abſolute neceſſarius vel contingens.

Determinationes, quae Enti attribuuntur, ſeu quae in Ente quodam exiſtentes ſumuntur, illi vel abſolute neceſſario vel contingenter competunt (§. 145. Cor. 3. Ph. pr.). Determinationes illae dant entis ſtatum (§. 39.). Ergo & *ſtatum entis* in *abſolute neceſſarium* & *contingentem* dividere licet.

COR. I. Status ergo entis abſolute neceſſarius eſt immutabilis; & ſtatus contingens, quatenus abſolute ſpectatur, mutabilis eſt (§. 159. Ph. pr.).

COR. II. Et ſimul patet 1.) Quod ſtatus, qui modis proprie ſic dictis, vel modis per analogiam ſic dictis conſtituitur, ſit contingens (§. 155. Ph. pr.); 2.) Quod a contingentia ſtatus ad contingentiam entis, cui ſtatus ille attribuitur, immediate non poſſit concludi (§. 161. Ph. pr.). Plura ex iis, quae de neceſſitate atque contingentia in Philoſophia prima explicata, facili negotio hic inferri poſſunt conſectaria. Ea itaque hic mittam.

§. XLI.

Quae de ſtatu dicta adplicantur ad ens, quatenus eſt ſubſtantia, & quatenus eſt ſubſiſtentia.

Tam ſubſtantialitas quam ſubſiſtentia certum entis ſtatum conſtituit, quorum ille ab hoc diverſus. Si enim ens eſt ſubſtantia, in eodem vis (§. 26. Cor. 1.), & ſi enti ſubſiſtentia attribuitur, in eodem vis completa atque aliunde haud ſuſtentata exiſtens ſumitur (l. c. & §. 35.). Poſita itaque ſubſtantialitate atque poſita ſubſiſtentia, determinationes quaedam

dam in ente existentes sumuntur (§. 39. Ph. pr.). Quare, cum determinationes illae dent quendam entis statum (§. 39.), tam substantialitas quam subsistentia certum entis statum constituunt. Quod vero ille ab hoc sit diversus, ex §. 36. Ont. coll. §. 33. Ph. pr. immediate inferri potest.

COR. I. Status itaque substantialitatis in statum substantialitatis completae atque incompletae dividi potest (§. 33.).

COR. II. Et simul sequitur, ut ens, in statu subsistentiae spectatum, sit ente eiusdem generis perfectius, quatenus in statu substantialitatis completae, sed non subsistentiae spectari potest; & ens, in statu substantialitatis completae existens, sit ente ejusdem generis perfectius, si in statu substantialitatis incompletae solummodo existit, (§. 35. Cor. & §. 33. Cor.).

COR. III. Iisdem ex principiis immediate patet. Ens, in statu substantialitatis spectatum, perfectius esse ente eiusdem generis, quod in statu substantialitatis spectari nequit. vide rationem, qua principium in Cor. 2. §. 24. positum corroboravi. Sed ens in statu substantialitatis spectari debet, quatenus est existens, quatenus vero non existens est, in eodem statu spectari nequit (§. 26.). Ens ergo existens perfectius est ente eiusdem generis, quod non existit.

§. XLII.

Si Ens primi ordinis possibile est, illud est absolute necessario in statu substantialitatis; Entia vero secundi ordinis in eodem statu tantummodo contingenter existere possunt. Illud enim, si possibile est, absolute necessario, haec vero, si existunt, solummodo contingenter existunt (§. 152. Ph. pr.); posita vero entis existentia, ponitur etiam eiusdem status substantialitatis (§. 26.); ergo & status substantialitatis illi absolute necessario, his vero tantummodo contingenter competit. Continuatio dicti.

COR. I. Patet vero ex demonstratis, statum substantialitatis entibus secundi ordinis existentibus contingenter competere, quatenus sunt entia, hypothetice vero necessario, quatenus sunt existentia (§. 146. Ph. pr.).

COR. II. Quicquid enti A contingenter tantummodo competit, salva eiusdem essentia abesse potest (§. 145. & 149. Ph. pr.). Ergo & ens primi ordinis perfectius est, ente secundi ordinis (§. 41. Cor. 2. & 3.); seu ens necessarium perfectius est ente contingente (§. 153. Ph. pr.).

§. XLIII.

Dependentiae & independentiae definitio.

Si in A aliquid est, quod rationem sui in altero B habet, A ab B eo respectu *dependere* dicitur. Quo itaque respectu *A sit independens ab B*, facile intelligitur. Ratio est vel sensu analytico vel metaphysico talis (§. 98. Ph. pr.), ergo & duplex inde ortum trahere potest dependentiae species. Si vero in sequentibus de dependentia simpliciter dicam, *dependentia metaphysice talis* intelligenda erit. Quoniam dependentia analytice talis, tantummodo involvit dependentiam cognitionis.

§. XLIV.

Dependentia Entis contingentis a necessario.

Si ens contingens seu ens secundi ordinis existit, status substantialitatis ipsius dependet ab ente necessario, seu primi ordinis, quatenus est substantia completa. Si enim ens contingens existit, ratio huius existentiae sufficiens fiendi est in ente necessario (§. 120. & 153. Ph. pr.). Quatenus itaque existit, dependet a vi entis necessarii (§. 43. & §. 10.) agente seu in actu secundo spectata (§. 11. seq.). Sed quatenus existit, est in statu substantialitatis (§. 26.). Ergo entis contingentis, si existit, status substantialitatis dependet a vi agente entis necessarii. Atque adeo dependet ab ente necessario, quatenus hocce necessarium ens est substantia completa (§. 33.).

§. XLV.

Et independentia Entis necessarii demonstratur.

Status substantialitatis entis necessarii seu possibilis primi ordinis est independens, metaphysice scilicet. Quicquid enim rationem sufficientem metaphysice talem habere nequit, id eodem sensu independens esse debet (§. 43.). Ergo & ens necessarium, quatenus existit, metaphysice independens est

(§. 109.

(§. 109. Ph. pr.). Quatenus vero existit, est in statu substantialitatis (§. 26.). Ergo & status substantialitatis entis necessarii dicto sensu est independens.

COR. I. Hac ex ratione ens contingens seu ens secundi ordinis simpliciter ens dependens, & ens necessarium seu primi ordinis simpliciter ens independens dicitur.

COR. II. Et ita patet veritas principii, quod dependentia quoad existentiam sit imperfectio, quoniam ens independens perfectius est ente dependente (§. 42. Cor. 2.).

SCH. De subsistentia entis necessarii atque contingentis hic etiam dici posse concedo, quoniam vero principia, ex quibus illa legitime inferri possunt, nondum explicata, sed ex specialioribus infra deducenda sunt, de ente in se spectato, de substantia atque subsistentia generatim hactenus dicta, sufficiant. Vtilitatem vero, quam explicata adferent, specialiora, quae ex illis deducentur, indicabunt. Hac itaque ex ratione in sequentibus *primo* de regulis actionum atque operationum generalibus, *deinde* generatim de entim nexu; & *tandem* de non nullis, quae ex hocce nexu fluunt consectariis, brevissimis pro ratione tamen instituti sufficienter agam.

ONTOLOGIAE

SECTIO II.

DE GENERALIBVS OPERATIONVM SVBSTANTIARVM IN SE SPECTATARVM LEGIBVS ATQVE REGVLIS.

§. XLVI.

Ratio instituti.

HActenus theoremata de vi, substantia atque subsistentia, & quae exinde consequuntur corrollaria, brevissimis, pro ratione tamen instituti sufficienter, demonstrata dedi; ante ergo quam specialiora, atque substantiarum in nexu quodam spectatarum considerationem aggrediar, ut illae explicentur

Leges, quas omnia entia omnisque generis vires operando constanter observare debent, necesse esse iudicaverim. Has igitur eo ordine atque ea ratione explicabo, ut Leges Naturae, a NEWTONE propositae, Leges appetitus atque Intellectus ut specialiores ex illis inferri possint. Sunt vero *regulae* generatim sumtae propositiones, iuxta quas varia coniunguntur (§. 184. Ph. pr.). Ergo eiusmodi propositiones, ex quibus, quae per vim quandam fieri possunt, explicari debent, summa cum ratione *regulae operationum* dicuntur. Quarum principia generalia *Legum operationum* a Philosophis acceperunt nomen. Atque adeo hic explicandae sunt propositiones, iuxta quas fieri possunt, quae per vim vel substantiam qua talem possibilia sunt.

§. XLVII.

Effectus est vel plenus vel minus plenus.

Quicquid per actionem quandam fit existens, dixi effectum (§. 12.). Actio illa spectari potest vel qua tota vel quoad partem (§. 18. Ph. pr.); ergo & effectus dividi potest in effectum, qui per totam actionem, & qui per partem quandam datae actionis existens factus. Si prius, *effectus* vocatur *plenus* seu *totalis*, & si posterius, *minus plenus* seu *partialis*.

COR. Ratio itaque effectus minus pleni sufficiens est pars quaedam datae actionis (§. 12.), tota itaque illa actio in relatione ad effectum illum minus plenum est plus quam sufficiens. Ergo & in effectu illius actionis totali plus esse debet, quam quod dictus effectus minus plenus continet (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.).

§. XLVIII.

Porro est actioni vel aequalis vel inaequalis.

Si in effectu non plus nec minus continetur, quam per actionem, a qua dependet, fieri potuit, tum *effectus actioni aequalis* dicitur; si vero in effectu illo plus aut minus continetur, quam per dictam actionem fieri potuit, *effectus actioni inaequalis* dicitur. Inaequalium unum altero maius, & alterum illo minus est (§. 49. Ph. pr.), ergo & effectus, qui actioni inaequalis, actione illa est vel maior vel minor.

Quo-

Quorum definitiones ex §. cit. immediate fluunt. Si pro actione velis substituere vim agentem, eodem modo patebit, quid sit *effectus vi agenti aequalis & inaequalis* &c. &c.

COR. Effectus ergo minus plenus minor est actione, cuius effectus minus plenus dici potest (§. 47.). Atque adeo effectum minus plenum effectu pleno minorem nominare licet.

§. XLIX.

Effectus plenus quomodo se ad vim agentem habet.

Omnis effectus plenus vi agenti, a qua dependet, aequalis esse debet. Effectus enim existere nequit, nisi quatenus rationem sufficientem habeat in vi agente (§. 12. 10. coll. §. 111. Ph. pr.). Est ergo effectus plenus vi agenti vel aequalis vel inaequalis (§. 48.). Sed posterius esse nequit. Si enim hoc, aut est vi illa agente maior aut minor (§. cit.). Sed maior esse nequit (vi principii antea dicti), nec minor esse potest (alias enim esset effectus minus plenus §. 47. seq.). Necesse ergo est, ut vi agenti sit aequalis.

COR. I. A vi ad vim in casu obvio agentem non valet consequentia (§. 12. Cor.). Si ergo principium in commate positum vi demonstrationis, qua illud corroboravi, hoc modo velis exprimere: *omnis effectus vi subjecti, a quo ille dependet, aequalis est*, veritatem ipsius nondum evictam esse concedere debes.

COR. II. Et ita patet, quo sensu ab identitate virium ad identitatem effectus possit concludi, si scilicet vires in eodem statu spectari possunt (§. 12. coll. §. 96. Cor. 1. Ph. pr.). Ex eadem itaque vi eodem statu spectata idem oritur effectus plenus. Si vero effectus pleni sint diversi, aut vires sunt diversae, aut eaedem vires in diverso sunt statu, aut tam vires quam status eorum differunt.

COR. III. Si ergo ex iisdem viribus diversi sequuntur effectus pleni, differentia haec dependet a diversitate statuum, qui viribus illis tribuendi (§. 43.).

§. L.

Substantia quando in eadem statu perseverat.

Omnis substantia perseverat in eodem statu agendi vel non agendi, donec ab alia quadam ratione status ille mutatur.

Posita

Posita enim eadem vi in eodem statu, idem oritur effectus (§. 49. Cor. 2.), poni vero debet eadem vis in eodem statu, donec ab alia quadam ratione status ille mutatur (§. 111. Ph. pr.), omnis ergo vis in eodem statu agendi vel non-agendi perseverat, donec ab alia quadam ratione status ille mutatur (§. 12.). Quare, cum, quod vim habet, substantia nominetur (§. 26. Cor.), omnis substantia perseverat in eodem statu agendi vel non-agendi, donec ab alia quadam ratione status ille mutatur.

COR. I. Ratio est vel intrinseca, vel extrinseca vel intrinseco-extrinseca (§. 103. Ph. pr.). Si ergo substantia A non in eodem statu agendi vel non-agendi perseveraret, necesse erit, ut haec mutatio vel a ratione intrinseca, vel extrinseca, vel intrinseco-extrinseca dependeat.

COR. II. Quod vero, si ratio haec sit sufficiens, status ille substantiae A mutetur, patet ex Cor. 1. §. 96. Ph. pr. Plura ex iis, quae §. 97. seqq. Ph. pr. de rationum differentia explicavi, facili negotio inferri possunt consectaria, ea ergo hic mittam.

§. LI.

Si ad substantiam agentem accedit impedimentum quod actione minus, quid inde.

Si substantia A in agendo impeditur, sed ita, ut impedimentum illud sit minus actione ipsius A, status agendi ipsius A in alium quendam agendi statum mutatur. Si enim substantia A in agendo impeditur, aliquid adest, quod efficit, ut ratio, quae ad determinatam actionem sufficiens erat, fiat insufficiens (§. 11. & 12. Cor. Ont. coll. §. 104. Ph. pr.), ergo ut status ille agendi cesset, necesse est (§. 111. Ph. pr.). Ergo vel omnis substantiae A agendi status cessat vel non. Prius esse nequit, quoniam impedimentum illud sit minus actione ipsius A (§. 49.). Ergo posterius esse debet. Et ita patet, statum agendi ipsius A sub dictis determinationibus in alium quendam agendi statum mutari (§. 157. & 45. Ph. pr.).

§. LII.

Si impedimentum illud actioni

Si substantia A agit, in agendi statu perseverat, donec impedimento quodam sufficiente ad non-agendi statum redigatur. Etenim,

Etenim, cum omnis ſubſtantia in eodem ſtatu agendi perſeveret, donec ab alia quadam ratione ſtatus ille mutatur (§. 50.), omnis etiam ſubſtantia in ſtatu agendi perſeverat, donec alia quaedam ratio ſtatum huncce mutat in ſtatum non-agendi. Si vero ſtatus ſubſtantiae agendi in ſtatum ſubſtantiae non-agendi mutatur, ut ratio in ſe ſufficiens inſufficiens efficiatur, conſequens eſt (§. 12.). Neceſſe ergo eſt, ut adſit impedimentum (§. 104. Ph. pr.). Hoc vero vel eſt ſufficiens vel non. Si poſterius, ſtatus ille agendi in alium agendi ſtatum tantummodo mutatur (§. 51.), ergo ſubſtantia in ſtatu agendi adhuc perſeverat; ſi ergo in illo non perſeveret, prius adeſſe debet, ſeu ab impedimento quodam ſufficiente ad non-agendi ſtatum redigatur, neceſſe eſt. *aequale, & ſi nullum adſit impedimentum quid inde.*

COR. I. Entibus mere paſſivis qua talibus non ineſt vis, niſi potentia nuda (§. 25.). Ergo agere nequeunt, niſi per aliud principium efficiens ad agendum ſint determinata (§. 17. 12.). Ante ergo, quam dicta haec determinatio facta, in eodem ſtatu non-agendi perſeverant (§. 50.); facta vero illa determinatione; 1.) in eodem ſtatu agendi perſeverant, donec ab alia quadam ratione ſtatus ille mutatur (§. 50.), & 2.) in agendi ſtatu perſeverant, donec impedimento quodam ſufficiente ad non-agendi ſtatum rediguntur.

COR. II. Et ita intelligimus modum, quo fieri poſſit, ut vis entis mere paſſivi, in ſe ſpectata inefficiens, efficiens fiat (Cor. §. 12 & Cor. 1. §. 16.).

§. LIII.

Si ſubſtantia A in agendo impeditur, ſed ita, ut impedimentum illud ſit maius actione ipſius A, impedimentum illud in ſubſtantia A plus efficere debet, quam nudam ſtatus prioris agendi conceſſationem. Quod enim, poſito illo impedimento, ſtatus prior ſubſtantiae A ceſſare debeat, patet ex demonſtratione propoſitionis §. 51. poſitae. Et quod impedimentum illud, quoniam eſt actione ipſius A maius, in eadem ſubſtantia plus efficere debeat, quam dicti ſtatus agendi conceſſationem, *Si impedimentum illud eſt maius actione dicta, quid inde.*

immediate fluit ex §. 49. coll. §. 10. Ont. §. 104. Cor. & 100. Ph. pr.

COR. Hoc ex principio intelligi potest, quomodo possibile sit, ut enti passivo non agenti tribuatur conatus, vid. §. 24. Cor. 2. coll. §. 33. & 16. Cor. 2. Sed pluribus de his infra.

§. LIV.

Vires quo sensu vel aequales vel inaequales.

Effectum plenum vi agenti, a qua dependet, aequalem esse debere, demonstravi §. 49. Quo maior igitur est effectus ille, eo maior esse debet vis qua agens. Ergo in viribus, dictis sub determinationibus, quantitatem quandam concipere licet (§. 49. Ph. pr.), atque adeo vires substantiarum in aequales & inaequales summa cum ratione dividi possunt (§. 48. Ph. pr.).

COR. Si ergo A & B sint vires inaequales, ita ut A sit maior altera B, non effectus solum per illas qua tales possibiles inaequales sunt, sed qui per vim A qua talem possibilis maior esse debet, quam qui per vim B qua talem possibilis. Plura ex dictis inferri possunt consectaria, ope principiorum cor. 2. & 3. §. 49. positorum.

§. LV.

Actio est vel simplex vel composita.

Omnè cogitabile est vel simplex vel complexum seu compositum (§. 16. Cor. Ph. pr.), actio est cogitabile, ergo & actiones in simplices & compositas dividere licet. *Illae* scilicet sunt, quae in alias resolvi nequeunt, *hae* vero, quae in alias resolvi possunt (§. cit.).

COR. Varia, quae unum constituunt, sunt vel eadem vel diversa. Ergo & actio composita, in simpliciores vel easdem vel diversas resolvi potest. Et ita intelligimus, quo sensu fieri possit, ut actioni compositae tribuamus quantitatem (§. 35. Ph. pr.).

§. LVI.

Quae vel successiva vel permanens.

Si, quod variis constituitur, existat, quae illud constituunt, aut coexistunt aut sibi succedunt (§. 85. Ph. pr.). Ergo & actio composita est vel successiva vel permanens (§. 55.).

COR.

COR. Actio, quae non successiva, permanens esse debet (§. 85. Ph. pr.), sed actio simplex successiva esse nequit (§. cit. Cor. 2. & §. 55. Ont.), ut ergo & actio simplex permanens sit, consequens est.

§. LVII.

Quicquid ita fit existens, ut, dum existens fit, series successionum continua cogitari possit, idem fit existens in tempore (§. 87. Ph. pr.). Si vero substantia quaedam ita agit, ut actio ipsius sit successiva, eiusmodi successionum series, dum agit, cogitari potest (§. 86. Ph. pr. coll. §. 56. & 12. Ont.). *Omnis itaque actio successiva qua talis fit in tempore quodam.* *Illa fit in tempore.*

COR. Ab actione ad actionem successivam non valet consequentia (§. 56.). Vix itaque fieri potest, ut propositio: *actio fit in tempore*, universaliter vera possit nominari.

§. LVIII.

Et ita incidimus in justam celeritatis notionem. Si enim duae substantiae aequalem actionem inaequali tempore producunt, illud dicitur *celerius agi*, quod minore temporis intervallo actionem illam producit; *tardius* autem, quod eandem actionem maiore temporis intervallo producit. Est adeo *celeritas* determinatio actionis datae ex quanto temporis, qua absolvitur, desumta; seu, ut cum acutissimo CANZIO loquar, *celeritas* est id, quo ens, certo tempore, certum operationis suae scopum attingit. *Inde celeritas.*

COR. I. Omnis itaque substantia successive agens, agit celeritate quadam (§. 57.). Atque adeo vi successive agenti non sine ratione celeritas tribuitur. (§. 14. & 26. Cor.).

COR. II. Et simul patet, celeritates esse aequales, si tempora sunt aequalia, quibus eadem absolvitur actio; & inaequales, si tempora illa sunt inaequalia. vid. §. 48. Ph. pr.

SCH. Celeritas vulgo motui tantummodo tribuitur. Quoniam vero etiam usui loquendi conveniens est, cogitationi- *Vsus loquendi probatur.*

bus celeritatem attribuere, quae tamen, ut infra docebo, motus, locales scilicet, minime nominari possunt, celeritatem ita definire, atque de eadem eo agere modo, quo eiusdem requisita ad omnis generis operationes successivas accommodari possint, ut usui loquendi etiam conveniens sit, sufficienter sequitur.

§. LIX.

Ex dictis differentia quaedam virium & substantiarum deducitur.

Quicquid agit, id vim habere debet (§. 12. 11.). Quicquid vim habet, est substantia (§. 26. Cor.). Ergo & omnis substantia agere potest. Duplici igitur ratione vi differentiae actionum, §. 56. explicatae, substantiae spectari possunt, *alia* nimirum, quatenus successive; *alia* quatenus simultanee agere possunt. Et eodem ex fundamento vires, in vires, per quas actiones successivae; & vires, per quas actiones simultaneae possibiles, dividere licet.

SCH. Quae de viribus, quatenus per eas actiones simultaneae possibiles, generatim dicenda, ex hactenus explicatis immediate inferri possunt; ne ergo ambages fiant molestae, de viribus, quatenus actiones successivae per illas possibiles, quaedam speciatim adponam, atque ex explicatis brevissimis satis tamen sufficienter deducam, de illis solummodo generatim quaedam adhuc dicendo.

§. LX.

Vis quando ad diversas actiones indifferens.

Vis A indifferens dicitur *ad actiones B & C*, si ratio, vi cuius B per illam possibilis, aequalis est rationi, vi cuius C per illam possibilis.

COR. Si ergo vis illa A, ad B & C non sit indifferens, ut rationes dictae fiant inaequales, consequens est.

§. LXI.

Vis mere passiva ad omnes actiones per illas possibiles est indifferens.

Vis A, quae nuda potentia, quatenus in se spectatur, ad omnes actiones, quae per illam possibiles, indifferens est. Vis enim illa A sufficiens fieri nequit, nisi per principium aliquod sufficiens efficiens (§. 17.), in se itaque spectata non est insufficiens solum ad agendum (§. 104. seq. Ph. pr.), sed

sed & non magis determinata est ad actionem B quam ad actionem C per illam possibiles (§. 96. Ph. pr.). Ergo & in se spectata ad omnes actiones per illam possibiles indifferens est (§. 60. Ont. & §. 48. Ph. pr.).

COR. I. Sit A vis, per quam actiones successivae possibiles, ergo & in se spectata ad quamcunque in agendo celeritatem per illam possibilem indifferens esse debet (§. 58.).

COR. II. Si ergo agat, non ratio solum sufficiens, cur agat, sed & cur hac & non alia agat celeritate, in principio illo efficiente, a quo in agendo dependet, continetur (§. 111. Ph. pr.). Quod vero principium illud sit vis in actu secundo spectata seu agens, patet ex §. 12. coll. §. 11.

COR. III. Est ergo actio vis A, quae ante in nuda erat potentia, alterius vis in actu secundo spectatae effectus (§. 12.), atque adeo huic qua agenti aequalis esse debet (§. 49.).

§. LXII.

Vis quando derivativa, quando primitiva.

Omne ens existens habet vim (§. 19.), patet ergo ex dictis, necesse esse, ut vim distinguamus in vim, quae enti existenti qua tali, & quae enti existenti, in hoc vel illo statu spectato, competit. Priori respectu vim illam *primitivam*, & posteriori *derivativam* nominare licet.

COR. I. Entia sunt vel activa vel passiva (§. 20.). Ergo tam vis primitiva quam derivativa alia est, quae enti activo, alia quae passivo tribuenda: vid. §. cit. coll. §. 15. conf. Acta Erudit. anno 1615. p. 146. seq.

COR. II. Et ita patet, vim primitivam entis passivi qua talis esse nudam potentiam, si vero ab alia quadam vi agente ad agendum determinatur, vim agentem dictis sub determinationibus illi tribuendam, esse eiusdem vim derivativam (§. 61. 15. 20. 41.). vid. §. 50.

§. LXIII.

Vis passiva quomodo fiat maior.

Si A, quod in se spectatum nunquam sufficiens est ad producendum B, ut hocce producat, fiat sufficiens, necessarium est,

ut maius sit factum. Si enim A in se spectatum nunquam sufficiens est ad producendum B, plura adhuc in A desiderantur, si per illud B fiat existens (§. 96. Ph. pr.). Si vero sit sufficiens, plura in illo ad producendum B non desiderantur (§. cit.). Vltimo itaque respectu plura in A observare licet, quae sunt eadem, quam priori respectu fieri potest (§. 33.), ut itaque A illud maius factum sit, consequens est (§. 49. & 35. Ph. pr.).

COR. I. Sit A vis, quae nuda potentia, ergo in se spectata nunquam sufficiens est ad agendum (§. 15.), si ergo agit, maior ut facta sit, consequens est (§. 12.). Agit vero, si ab alia quadam vi agente ad agendum determinatur (§. 61. Cor. 2. Ont. coll. §. 96. Cor. 1. Ph. pr.), ergo & dictis sub determinationibus hac in vi ratio est, cur illa facta sit maior.

COR. II. Sequitur itaque, 1.) ut vis entis passivi sit maior, quatenus in actu secundo spectatur, quam quatenus tantummodo in actu primo spectari potest (§. 11. Sch.). 2.) Vt primo respectu sit eo maior, quo maior sit actio ipsius. vid. 61. Cor. 3. 3.) Vt vis eiusdem entis passivi derivativa sit primitiva ipsius maior (§. 62. Cor. 2.). &c.

§. LXIV.

Mensura vis agentis entis passivi.

Vis entis passivi A, si est agens, aequalis est facto ex quantitate vis primitivae ipsius A in quantitatem actionis ipsius. Vis enim primitiva ipsius A maior fit, si ens illud A in actu secundo spectatur seu si agens (§. 63.), & quidem ita, ut quantitas illius a quantitate actionis determinetur (§. cit. Cor. 2.). Multitudo itaque unitatum, quae dictam actionem ingrediuntur atque constituunt, quantum factum sit illius vis primitivae augmentum, indicat (§. 35. Ph. pr.). Si ergo quantitas vis primitivae dicti A per quantitatem actionis ipsius multiplicatur, oritur factum, quod vi ipsius agenti aequale (per princ. Arith.).

COR. I. Effectus plenus aequalis est vi agenti, a qua dependet, (§. 49.), sed vis illa agens Entis passivi A est aequalis facto

facto ex vi primitiva ipsius A in quantitatem actionis. Ergo & effectus, in se scilicet spectati, entis passivi agentis aequalis est facto ex vi illius primitiva in quantitatem actionis (§. 19. Pr. Log.).

COR. II. Vi entis passivi primitivae impenetrabilitatem ipsius substitui posse §. 62. 20. 15. & dem. §. 19. sufficienter docent; non ergo solum quantitas effectus pleni, sed et vis agentis entis passivi aequalis est facto ex ipsius impenetrabilitate in quantitatem actionis (Cor. 1.).

§. LXV.

Quae ad entia passiva successive agentia applicatur.

Si actio, in se scilicet spectata, sit successiva, aequalis est celeritati, qua ens illud agit. Si enim actio illa sit successiva, partes illam constituentes sunt successiones (§. 59.), atque adeo quantitas dictae actionis eadem est cum multitudine successionum (§. 35. Ph. pr.), consequenter cum quantitate temporis, quo absolvitur (§. 87. Ph. pr.). Quare, cum haec quantitas det celeritatem (§. 58.), actionem in se scilicet spectatam, si sit successiva, aequalem esse celeritati, qua ens illud agit, patet (§. 48. Ph. pr.).

COR. Quatenus itaque per vim entis passivi A possibiles tantummodo sunt actiones successivae, quantitas illius, si est agens, est aequalis facto ex dicti entis vi primitiva, seu impenetrabilitate in datam celeritatem (§. 64. Cor. 1. & 2.). Et quoniam effectus plenus aequalis est vi agenti (§. 49.), effectum plenum entis passivi successive agentis esse aequalem facto ex ipsius entis impenetrabilitate in datam celeritatem, immediate patet.

§. LXVI.

Variae ex dictis inferuntur propositiones.

Sequentes itaque ex principiis §. 64. Cor. 1. & 2. & §. 65. Cor. positis, immediate fluunt conclusiones:

I. *Si duorum entium passivorum A & B, (quatenus scilicet actiones successivae per illa tantummodo possibiles), impenetrabilitates seu vires primitivae sunt aequales, & in actu secundo spectatae eadem agunt celeritate: etiam effectus, qui inde oriuntur, aequales esse debent.*

COR.

COR. Ergo ex aequalitate dictorum effectuum, si aequalitas impenetrabilitatum data, aequalitas celeritatum; & si aequalitas celeritatum data, aequalitas impenetrabilitatum ipsius A & B inferri potest.

II. *Si duorum entium passivorum eiusdem generis A & C impenetrabilitates seu vires primitivae sint aequales, A vero in actu secundo spectatum maiori agat celeritate, quam C: etiam effectus, quem A producit, maior erit effectu, a C producto.*

COR. Illi ergo effectus se ad se invicem habent, ut dictae celeritates (§. 56. 57. Ph. pr.).

III. *Si duorum entium passivorum dicti generis M & N impenetrabilitates seu vires primitivae sint inaequales, ita ut impenetrabilitas ipsius M sit maior impenetrabilitate alterius N, & in actu secundo spectatae eadem agant celeritate: effectus, quem M producit, maior est effectu, ab N producto.*

COR. Ergo & effectus illi se ad se invicem habent, ut dictae impenetrabilitates (§. 56. 57. Ph. pr.).

IV. *Si tandem duorum entium passivorum O & P (eius scilicet, quod ante dixi, generis) impenetrabilitates seu vires primitivae sint inaequales, & in actu secundo spectatae diversa agant celeritate: effectus, qui inde oriuntur, se ad se invicem habent, ut facta ex impenetrabilitate dati entis in celeritatem, qua idem agit* (§. 56. 57. Ph. pr.).

COR. Si ergo factum ex impenetrabilitate entis O in celeritatem, qua agit, aequale facto ex impenetrabilitate entis P in celeritatem, qua agit: effectus etiam, qui inde oriuntur, aequales esse debent.

SCH. Substituas pro celeritate, de qua hisce in principiis dixi, actionem, in se scilicet spectatam, generatim, & ita ope principii §. 64. demonstrati propositiones, hoc in commate determinatae, facili negotio generaliores evadere possunt. Sed sufficienter hactenus de vi, quatenus est potentia, atque de entibus passivis dictum. Aggrediamur itaque considerationem vis, quatenus est conatus, atque determinemus eiusdem quantitatem in entibus

entibus activis qua talibus. Primo itaque de conatu generatim, & deinde de conatu efficaci atque inefficaci agam.

§. LXVII.

Vis activa qua talis sufficiens est ad agendum.

Vis, quatenus est conatus (seu activa), in se spectata, sufficiens est ad agendum. Vis enim, quatenus est conatus, sufficiens esse potest per principium removens (§. 15.), atque adeo per id, quod rationem removentem continet (§. 170. Ph. pr.), consequenter per remotionem impedimenti (§. 105. Ph. pr.). Quare, cum impedimentum sit, quod rationem continet, cur ratio in se sufficiens fiat insufficiens (§. 104. Ph. pr.), vis, quatenus est conatus, in se spectata, sufficiens est, ad id producendum, quod per eam fieri potest, id est, ad agendum (§. 10. seqq.).

COR. I. Entia, quibus vis activa tribuitur, §. 20. entia activa dixi. Ergo vis entis activi qua talis in se spectata ad agendum sufficiens est.

COR. II. Sit ens A ens activo-passivum, ergo continet potentiam cum conatu coniunctam (§. 20.), atque ideo in ipso A est impedimentum conatus (§. 67. 15. Ont. coll. §. 104. Ph. pr.). Quae itaque §. 50.-104. dicta sunt, hic applicari possunt.

§. LXVIII.

Et post remotionem impedimenti manet tantummodo ut ante sufficiens.

Si ens activum A qua tale tantummodo per impedimenti remotionem agit, non aliam producere potest actionem, quam eam, ad quam ante sufficiens erat. Omnis enim substantia in eodem agendi vel non agendi perseverat statu, donec ab alia quadam ratione status ille mutatur (§. 50.). Ergo & ens activum A in eodem perseverare debet statu, donec ab alia quadam ratione mutatur. Sed ens illud A est in eo statu, quo vis illius tantummodo sit sufficiens ad producendam actionem e. g. B (per hypoth.), ergo & in eodem statu, quo vis ipsius ad actionem B producendam tantummodo sufficiens, perseverat, donec ille ab alia quadam ratione mutatur. Quare, cum remoto impedimento tantummodo efficiatur, ut ratio sufficiens alterius sufficiens maneat

neat (§. 105. Cor.), si ens activum A qua tale tantummodo per impedimenti remotionem agit, aliam producere nequit actionem, quam eam, ad quam ante sufficiens erat (§. 12. Ont. & §. 111. Ph. pr.).

COR. I. Si igitur dictum ens activum A eo, quem dixi, modo agit, ille tantummodo existens fieri potest effectus, cuius antea vis ipsius A fuit ratio sufficiens (§. §. cit. cit.).

COR. II. Ergo & effectus illi pleni sibi aequales sunt (§. 48. Cor. 3. Ph. pr. & 47. Ont.).

§. LXIX.

Ergo & post remotionem impedimenti sibi manet aequalis.

Vis agens entis activi A aequalis est conatui ipsius, ad determinatam hanc actionem ante actum spectato, efficaci. Effectus enim plenus, qui per vim illam agentem fit existens, aequalis esse debet effectui pleno, cuius ratio sufficiens ante fuit vis ipsius A, ad actionem hanc determinata, & qua per nudam impedimenti remotionem agit (§. 68. cum Cor. Cor.). Sed eiusmodi vis est conatus ipsius A ad determinatam hanc actionem ante actum spectatus, efficax (§. 16.). Ergo & effectus plenus vis agentis ipsius A aequalis est effectui pleno, cuius conatus ille fuit ratio sufficiens. Quare, cum effectus plenus aequalis esse debeat vi agenti, a qua dependet (§. 49.), vis agens entis activi A etiam aequalis esse debet conatui ipsius A, ad determinatam actionem ante actum spectato, efficaci (§. 19. P. Log.).

COR. Conatus efficax ante actum spectatus dicitur inefficiens (§. 16. Cor.), demonstrata ergo propositio etiam ita exprimi potest: vis agens entis activi A aequalis est conatui ipsius ad determinatam hanc actionem efficaci, licet inefficienti.

Monitum.

SCH. Sunt quidem, qui provocantes ad experientiam contrarium corroborare conantur, si vero sibi caveant, ne vitium subreptionis in experiundo committatur, principia mea hactenus explicata principiis scientiae Dynamicae LEIBNITII nondum repugnare concedent. Omnino enim entia activa agentia ab entibus activo-passivis agentibus distinguenda sunt.

§. LXX.

§. LXX.

Quo maior est actio, in se scilicet spectata, vis agentis entis activi A, eo maior etiam vis illa esse debet (§. 49. 48.), sed vis haec agens semper aequalis est conatui ipsius A, ad determinatam actionem efficaci, licet inefficienti (§. 69. Cor.), ergo & eo maior est ille conatus, quo maior est dicta actio, ad quam determinata. Eodem itaque modo, ut §. 64. factum, demonstrari potest,

Inde mensura conatus efficacis & vis agentis entis activi deducitur.

I. *Quod vis agens entis activi A qua talis sit aequalis facto ex quantitate vis ipsius entis primitivae in quantitatem actionis ipsius.*

II. *Quod conatus efficax sed inefficiens ipsius A sit aequalis facto ex quantitate vis ipsius entis primitivae in quantitatem actionis, ad quam ut efficax determinata.*

COR. Ergo & effectus plenus, cuius conatus ille entis A efficax, sed inefficiens, est ratio sufficiens, aequalis est facto ex quantitate vis illius entis primitivae in quantitatem actionis, ad quam ut efficax determinata &c, &c. (§. 49.).

SCH. Pro vi primitiva entis passivi §. 64. Cor. 2. eiusdem impenetrabilitatem substitui, quod vi medii termini ibi positi ratione cum sufficiente fieri potuit. Cave vero, ne etiam hic pro vi primitiva entis activi nudam impenetrabilitatem velis substituere. Solus enim ille medius terminus hancce non permittet substitutionem. Dubito itaque, utrum eiusmodi substitutio hic fieri possit, cuius cogitationis demonstrationem etiam infra forsan, si modo in potestate mea eam habuero, suppeditabo.

Monitum.

§. LXXI.

Actio, in se scilicet spectata, si successiva, aequalis est celeritati, qua ens illud agit (§. 65.). Si ergo per conatum efficacem vel efficientem vel inefficientem entis activi A successiva tantummodo fieri potest actio: *quantitas illius conatus seu vis est aequalis facto ex quantitate vis eiusdem entis primitivae in datam celeritatem* (§. 70.) (a).

Quae ad entia activa successive agentia applicatur.

COR. Omnes itaque propositiones, §. 66. positae, etiam hic valent, si modo pro entibus passivis entia activa, & pro impenetrabilitate generatim vis primitiva, vid. Sch. §. 70. ponantur.

Resolutio dubii.

SCH. (a) Contrarium hic prima fronte verum esse videtur, ob sequentia dubia. *Vbi nec successio nec actio, ibi etiam nulla est celeritas (§. 58.), posito vero conatu adhuc inefficiente, nec successio nec actio quaedam in actu scilicet secundo, de quo sermo est, poni potest (§. 16. Cor. 1.), fieri ergo nequit, ut eiusmodi conatui celeritas tribuatur. Ergo nec dici potest, illum conatum esse aequalem facto ex quantitate vis primitivae entis in celeritatem datam.* Sed distinguenda hic confunduntur. Celeritatem, quae dicto conatui tribuitur, non esse nisi determinationem actionis futurae, ex isto conatu oriundae, patet ex demonstrationibus, quibus principia, §. 70. posita, corroboravi; & idem etiam valet de eiusmodi conatus actione. Atque adeo argumentationes, quibus, quae opponuntur, corroborare voluerunt dissentientes, in forma peccare, satis evictum est. Eadem ratione propositiones, §. 70. demonstratae, ab obiectionibus liberari possunt. Conf. Ill. HAMBERGERVM *in Elem. Phys. Sch. §. 20. Edit. tert.*

§. LXXII.

Vis entis activo-passivi quando sit maior.

Vis entis activo-passivi A, si agit, maior facta est, quam antea fuit. Vis enim entis activo-passivi A est conatus cum potentia conjunctus (§. 20.), atque adeo sufficiens esse nequit ad agendum, nisi principium aliquod efficiens illam ad agendum determinet (§. cit. cor.); consequenter in se spectata dictam ad actionem insufficiens est (§. 105. Ph. pr.). Iam ponamus, vim illam agere, ergo dictam ad actionem est sufficiens (§. 12.); ut ergo maior sit facta, quam antea fuit, consequens est (§. 63.).

COR. Vis illa maior facta est, quatenus antea fuit potentia (per dem.). Sed potentia fuit, quatenus ens illud, cui competit, est passivum (§. 20.). Ergo hoc respectu vis agens ipsius A est aequalis facto ex impenetrabilitate ipsius A in datam actionem in se spe-

se spectatam (§. 64. Cor. 2.); & speciatim, si actio illa sit successiva, aequalis est facto ex impenetrabilitate ipsius A in datam celeritatem (§. 65. Cor.).

§. LXXIII.

Quantitas huius generationis indicatur.

Vis entis activo-passivi A agens maior est facto ex impenetrabilitate ipsius A in datam actionem in se spectatam. Factum enim illud aequale est vi agenti ipsius A, quatenus est ens passivum (§. 72. Cor.). Quoniam vero est ens activo-passivum, factum illud tantummodo aequale est parti vis agentis ipsius A (§. 20. & 15. Ont. coll. §. 18. Ph. pr.). Atque adeo vis entis activo-passivi A maior esse debet eiusmodi facto (§. 49. Cor. Ph. pr.).

COR. Vis igitur illa agens entis activo-passivi A, si actio, quae inde oritur, successiva, maior est facto ex impenetrabilitate ipsius A in datam celeritatem (§. 72. Cor.).

SCH. I. Et ita probabiliter, pro mensura vis agentis entis activo-passivi A habenda est *summa facti ex impenetrabilitate ipsius A in datae actionis quantitatem*, seu speciatim in datam celeritatem, & *conatus, qui ipsi A inest*, cuius quantitas ope §. 70. seq. invenienda. An vero certe pro dicta mensura haberi possit, a priori ut confirmarem, hactenus non est in potestate mea. Quomodo vero hocce principium, atque quae antea explicavi, cum principiis LEIBNITII l. c., vim agentem corporis esse aequalem *facto ex massa in quadratum celeritatis* affirmantis, conveniant, in Prae-Lectionibus meis sufficienter docebo. Hic, quae dicta, sufficere posse non sine ratione videtur.

Conclusio sectionis.

SCH. II. Entia activo-passiva vel aequalem habent impenetrabilitatem vel inaequalem, & in utroque casu vel eadem agunt celeritate vel diversa. Posita itaque illa virium entium activo-passivorum mensura, quantitates effectuum ab illis producendorum facili negotio determinari possunt. Quoniam vero illa, quam posui, mensura nondum certa, sed modo probabilis est, uberiorem huius explicationem hic mittam. Quod vero

hactenus explicata non inania sint, nec in logomachiis, vel nuda entium multiplicatione consistant, sed in explicandis operationibus tam corporum quam spirituum atque animarum maximum habeant usum, infra inductionis ope sufficienter docebo.

ONTOLOGIAE
SECTIO III.
DE
ENTIVM QVA TALIVM NEXV.
CAP. I.
DE
VARIIS ENTIA CONNECTENDI MODIS GENERATIM.
§. LXXIV.

Nexus entium species generatim indicantur.

QVodlibet ens spectari potest vel quatenus est ens vel quatenus in specie est substantia (§. 26.). Entia itaque, inter quae nexus quidam datur, spectari debent vel quatenus sunt entia; vel quatenus sunt substantiae; vel quatenus eorum unum est ens & alterum substantia. Ergo & triplicem entium nexum inde ortum trahere summa cum ratione affirmare licet. Vt ergo & istum *nexum entitativum*, illum *nexum substantialem*, & hunc *nexum entitativo-substantialem* nominem, permittere velis Lector Philosophe!

COR. Si ens, quatenus est ens, spectatur, ut possibile, quod non determinatio alterius (§. 1.), atque adeo, ut impenetrabile tantummodo cogitatur (§. 8.). Si vero ens spectatur, quatenus est substantia, ens illud in specie spectatur, ut existens, seu quatenus habet vim (§. 26. cum Cor.). Quare, cum connexa dicantur, quorum unum determinationem continet sine altero non possibilem (§. 90. Ph. pr.), *entitative connexa sunt entia, si impenetrabilitati unius qua tali determinatio quaedam tribuitur sine impenetrabilitate alterius qua tali non possibilis; & substantia-*

ſtantialiter connexa ſunt, ſi vi unius determinatio quaedam tribuitur, ſine vi alterius non poſſibilis. Ex quibus nexus entitativo-ſubſtantialis idea facili negotio magis evolvi poteſt.

§. LXXV.

Nexus entitativus qua talis.

Omnis nexus entitativus plurium entium eſt extrinſecus. Entitative enim entia connectuntur, quatenus impenetrabilitati unius qua tali determinatio quaedam tribuitur ſine impenetrabilitate alterius qua tali non poſſibilis (§. 74. Cor.). Dicta vero determinatio eſt vel intrinſeca vel extrinſeca entis, cum altero per illam connexi (§. 40. Ph. pr.). Sed intrinſeca eſſe nequit. Quoniam impenetrabilitati unius qua tali determinatio ſine impenetrabilitate alterius qua tali impoſſibilis tribui nequit, niſi extreitas (§. 7.), quae vero illius determinatio intrinſeca nominari nequit (§. 40. Ph. pr.). Neceſſe ergo eſt, ut determinatio illa ſit dicti entis extrinſeca. Atque adeo nexus ille entitativus, qui inde oritur, non eſt niſi extrinſecus (§. 92. Ph. pr.).

COR. I. Quae ergo de nexu extrinſeco §. cit. ſeq. cum Cor. Cor. Ph. pr. dicta ſunt, omnia hic applicari poſſunt.

COR. II. Speciatim vero velim, ut concluſio ex Cor. 3. §. 162. Ph. pr. inferenda hic notetur, *quod ſcilicet omnis nexus entitativus plurium entium ſit contingens.* Quae itaque Sect. II. Cap. III. Tit. II. Ph. pr. de nexu contingente dicta atque demonſtrata invenies, omnia hic accommodari poſſunt.

§. LXXVI.

Et in ſpecie quatenus eſt talis quoad coexiſtentiam.

Nexus ille eſſe poteſt nexus quoad coexiſtentiam, vel ſaltem nexus quoad coexiſtentiam poſſibilis (§. 93. & 84. Ph. pr.). Si entia A & B coexiſtunt, vel tertium ens illis interponi poteſt, vel non. Si prius, A & B *proxime coexiſtere*, & ſi poſterius, *remote coexiſtere* dicuntur. Ergo & nexus entitativus plurium entium quoad coexiſtentiam eſſe poteſt nexus *quoad coexiſtentiam* vel *remotam* vel *proximam.* Sed de his infra pluribus.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Nexus entitativus dat unum contingens.

Omne unum, cuius fundamentum est nexus plurium entitativus, est contingens. Quod enim plura entia entitative connexa unum constituant, ex §. 175. Ph. pr. immediate fluit. Quod vero unum illud sit contingens, ita evinco: Omnis nexus entitativus plurium entium est contingens (§. 75. Cor. 2.). Si vero varia contingenter connexa sunt, unum, quod inde oritur, contingens est (§. 178. Ph. pr.). Ergo & unum, cuius fundamentum est nexus plurium entitativus, non nisi contingens est.

COR. I. Si ergo eiusmodi unum existat, illud inter possibilia secundi ordinis atque adeo contingentia referri debet (§. 152. & 153. Ph. pr.). Consequenter, quatenus existit, a possibili primi ordinis, atque adeo ab ente necessario (§. 153. Ph. pr.) dependet (§. 120. Ph. pr. & §. 43. Ont.). Quod vero ab Ente necessario, quatenus hocce est substantia completa, dependeat, eodem modo, quo principium §. 44. corroboratum, probari potest. Quae ergo de ente atque possibili primi ordinis in superioribus demonstrata sunt, omnia hic applicari possunt.

COR. II. Posita itaque existentia unius, cuius fundamentum est nexus plurium entitativus, poni etiam debet existentia entis necessarii, in statu sustantialitatis completae spectati (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.).

§. LXXVIII.

Fundamentum differentiae nexus substantialis indicatur.

Entibus A & B nexus substantialis intercedit, quatenus substantialitati unius determinatio quaedam competit sine substantialitate alterius non possibilis, seu si vi unius determinatio quaedam tribuitur, sine vi alterius non possibilis (§. 174. Cor.). Vis est principium fiendi, seu quod rationem actualitatis alterius continet (§. 10.). A & B ergo substantialiter connexa sunt, si in vi ipsius A aliquid actuale est, quod in vi alterius B suam habet actualitatis rationem, seu quod a vi alterius B dependet.

COR.

COR. Ex diversitate ergo dictae determinationis, & ex diversitate dependentiae variae nexus substantialis concipi possunt differentiae, quas in sequentibus, sed generatim modo, explicabo.

§. LXXIX.

Species illae magis determinantur.

Si enti vim tribuimus, illud vel generatim spectamus qua existens, vel speciatim in idea substantialitatis (§. 26.). Et ultimo respectu est vel in statu substantialitatis completae, vel in statu substantialitatis incompletae (§. 33.). Et si hoc, aut est in se insufficiens ad agendum, aut insufficiens est ad agendum propter impedimentum (§. 12. Cor. Ont. & 104. Ph. pr.). Si ergo ens A cum ente B substantialiter connexum est, *terminus huius nexus aut est ipsius A existentia, aut speciatim ipsius status substantialitatis completae, aut status substantialitatis incompletae; & hoc respectu, aut est ipsius A status substantialitatis in se incompletae, aut incompletae propter impedimentum.*

§. LXXX.

Et quae ex illis impossibiles removentur.

Vt Ens A existens, in se spectatum, sit insufficiens ad agendum, ab altero Ente B dependere nequit. Si enim ab altero quodam ente B dependeat, ut ens A existens sit insufficiens ad agendum, ut ad agendum insufficiens sit, in illo B rationem habet (§. 43.). Ergo sine Ente illo B, seu in se spectatum, non insufficiens ad agendum esse potest (§. 111. Ph. pr.), atque adeo A in se spectatum, aut nullam ad agendum continet rationem, aut rationem ad agendum continet sufficientem. Sed prius esse nequit, quoniam sit ens existens (§. 19. & 10.), ergo posterius esse debet. Vt ergo ens A existens, in se spectatum, sit insufficiens ad agendum, ab altero ente non posse dependere, patet.

COR. I. Ab altero itaque ente B dependere nequit, ut ens existens A sit in statu substantialitatis incompletae, nisi alterum illud B ipsi A inferat impedimentum (§. 33. Ont. & §. 104. Ph. pr.).

COR. II. Consequens itaque est, ut eiusmodi nexus substantialis entium, vi cuius unius status substantialitatis in se incompletae ab altero dependet, sit impossibilis. Termini ergo nexus

substantialis entium esse nequeunt, nisi existentia entis qua talis; aut speciatim status substantialitatis completae; aut status substantialitatis incompletae propter impedimentum.

§. LXXXI.

Contingentia nexus substantialis demonstratur.

Omnis entium nexus substantialis est contingens. Si enim entia sunt substantialiter connexa, eorum unum dependet ab altero, vel quatenus existit, vel quatenus existit ut substantia completa, vel quatenus existit ut substantia incompleta propter impedimentum (§. 80. Cor. 2.). Si istud, ens, quod quoad existentiam ab altero dependet, est ens secundi ordinis (§. 44. seq.), atque adeo contingenter existit (§. 152. Ph. pr.). Ergo & nexus, quem cum altero ente sub dictis determinationibus habet, inter contingentes referri debet (§. 162. Ph. pr.). Q. e. p.

Si illud, Ens A rationem, cur ut substantia completa existat, continet in alio quodam ente (§. 43.), consequenter rationem huius continet in aliquo, quod extra illud A existit (§. 7. 8.). Atque adeo status ille substantialitatis incompletae nec est de essentia ipsius A (§. 108. Ph. pr.), nec vi essentiae illi tribui potest (§. 40. Cor. Ph. pr. & §. 96. Ph. pr.). Consequenter ipsi A competit contingenter (§. 151. Ph. pr.). Ergo & nexus entium substantialis, qui inde oritur, contingens esse debet (§. 162. Ph. pr.). Q. e. a.

Si tandem ultimum, ita argumentor: ens A ab altero quodam ente dependet, quatenus ut substantia quaedam incompleta propter impedimentum existit (per hypoth.). Ergo in se spectatum sufficiens est ad agendum (per dem. ad §. 80.). Atque adeo illi determinatio quaedam tribuitur, quam intrinsece spectatum non habet. Ergo eodem modo, ut ante, patet, determinationem hancce dicto A tantummodo contingenter competere. Consequenter & nexus, qui inde concipitur, contingens est (§. 162. Ph. pr.). Q. e. t.

COR. I. Nexum entium entitativum contingentem esse demonstra-

monstravi §. 75. Cor. 2. Et nexum entium substantialem contingentem esse, hoc in commate sufficienter corroboravi. Ergo & nexus entium entitativo-substantialis contingens esse debet (§. 162. Ph. pr. & §. 74. Ont.).

COR. II. Quaecunque contingenter connexa sunt, unum contingens constituunt (§. 179. Ph. pr.). Ergo & unum, quod nexu entium substantiali, & nexu entium entitativo-substantiali constituitur, contingens esse debet.

§. LXXXII.

Ex quibus omnis entium nexus contingentia deducitur.

Omnes entium nexus sunt vel entitativi, vel substantiales, vel entitativo-substantiales (§. 74.). Omnes vero illi nexus sunt contingentes (§. 81. Cor. 1.). Vt ergo *Omnis entium nexus contingens sit*, consequens est.

COR. Ergo & omne unum, quod ex entium nexu constituitur, est contingenter unum (§. 178. Ph. pr.).

§. LXXXIII.

Inde infertur existentia entis necessarii.

Si entium nexus existit, etiam ens primi ordinis, seu ens necessarium agens, existere debet, a quo nexus ille dependet, & quod a nexu illo diversum. Nexus enim ille contingenter existit (§. 82.). Ergo inter possibilia secundi ordinis referri debet (§. 153. Cor. 2. Ph. pr.), atque adeo possibile primi ordinis seu necessarium (§. 153. Ph. pr.) existere debet, quod est dicti nexus ratio fiendi sufficiens (§. 120. Ph. pr.). Quare, cum, quod rationem fiendi alterius continet, vim habere (§. 20.), atque adeo ens existens esse debeat (§. 19. Cor. 2.): & quatenus rationem fiendi sufficientem alterius continet, inter agentia referendum sit (§. 12. Ont. & §. 100. Ph. pr.), si entium nexus existit, etiam ens primi ordinis agens existere debet, a quo nexus ille dependet (§. 43.). Quod vero ens illud necessarium a dicto entium nexu sit diversum, ex §. 32. Ph. pr. immediate deduci potest.

COR. I. Posito itaque entium nexu, qui existit, etiam ens agens existere debet, quod absolute necessario est in statu substantiali-

tialitatis (§. 42.), consequenter cuius status substantialitatis est independens (§. 45.). Plura ex iis, quae de ente necessario seu primi ordinis in superioribus demonstrata, facili negotio hic inferri possunt.

COR. II. Hanc, modo velim, ut hic notes conclusionem. Quicquid absolute necessario existit, id contingenter existere nequit, & vice versa (§.145 & 10. Ph.pr.). Quicquid ergo absolute necessario existere debet, si est possibile, unum esse nequit, quod ex entium nexu constituitur; & quicquid est unum, quod ex entium nexu constituitur, absolute necessario existere nequit (§. 82. Cor.). Ergo nec ens illud necessarium, seu possibile primi ordinis, unum esse potest, quod ex entium nexu constituitur; nec unum, quod ex entium nexu constituitur, ens necessarium seu possibile primi ordinis esse potest (§. 152. Ph. pr.). Sed pluribus de his infra. Hic modo de actione entis in alia entia generatim quaedam addenda esse, videntur.

§. LXXXIV.

Actio entis in aliud ens explicatur.

Agit ens A, quatenus rationem sufficientem actualitatis alterius continet (§. 12.). Dum itaque A rationem sufficientem actualitatis eius, quod alteri enti B competit, continet, *A in B agere*, recte dicitur. Atque adeo *A agit in B*, dum illud efficit, ut huic aliquod actuale competat (§. 96. Ph. pr.).

COR. I. Si ergo ens A in ens B agit, enti B determinatio quaedam tribuitur, sine vi entis A non possibilis (§. 10.). Consequenter B cum A connexum est, quatenus hocce A est substantia (§. 26. Cor. Ont. coll. §. 90. Ph. pr.), atque adeo nexus ille est vel substantialis, vel entitativo-substantialis (§. 74.).

COR. II. Ergo & nexus ille, cuius fundamentum est actio entis in aliud ens, inter contingentes referri debet (§. 82.). Actio itaque entis in aliud ens est contingens &c. &c.

§. LXXXV.

Eius species.

Ratio illa sufficiens est vel efficiens, vel removens (§. 105. Ph. pr.). Si ergo ens A in aliud ens B agit, in illud agit

agit vel efficienter vel remotive (§. 84.). Quatenus nimirum ideae abstractive spectantur.

§. LXXXVI.

Si in B determinatio quaedam existens est, cuius existentiae ratio sufficiens est extrinseca, ens illud B *pati* dicitur. Si τὸ pati abstractive spectatur, vocatur *passio*. *Passio quid.*

COR. Ens itaque B non patitur, nisi quatenus aliud in idem agat (§. 84.). Ergo & omnes passiones qua tales sunt contingentes (§. 84. Cor. 2. Ont. coll. §. 145. Ph. pr.).

§. LXXXVII.

Substantia A, dum efficit, ut aliud ens passivum B agat, in hocce agit efficienter. Si enim substantia A efficit, ut aliud ens passivum B agat, vis ipsius B fit maior, cuius augmenti ratio sufficiens efficiens est in substantia illa A (§. 63. cum Cor. 1. & §. 20. Cor. 1.). Existit itaque in B determinatio quaedam, cuius actualitatis ratio sufficiens efficiens in substantia A continetur, atque adeo substantia A efficiens, ut ens passivum B agat, in hocce ens B efficienter agit (§. 84. & 85.). *Actio entis in aliud passivum, qualis.*

COR. I. Dum itaque ens passivum B a substantia A ad agendum determinatur, eadem ab substantia patitur (§. 86. coll. §. 7. seq.). Consequens ergo est, ut ens passivum, si agit, contingenter sit agens (§. 85. Cor.) &c. &c.

COR. II. Eadem ex ratione sufficiente idem sequitur rationatum (§ 96. Cor. 1. Ph. pr.). Respectu entium activo-passivorum eadem adest ratio, ex qua, quae de passivis hic dicta sunt, deduxi (§. 72.). Ergo & hic posita de entibus activo-passivis valere debent. Plura ex iis, quae de quantitate vis agentis atque actionum in superioribus explicavi, facili negotio hic inferri possunt.

§. LXXXVIII.

Si ens activum A tantummodo per impedimenti remotionem fit agens, ut ab eo, quod impedimentum removet, patiatur, ea ex ratione dici nequit. In quo enim determinatio quaedam *Passiones quando ab entibus activis removendae.*

non existens est, cuius existentiae ratio sufficiens extrinseca, id eo etiam respectu ab alio non patitur (§. 86.). Quatenus vero ens, intrinsece spectatum, idem manet, ut ante, eo etiam respectu in eodem nulla determinatio fit existens, cuius existentiae ratio sufficiens extrinseca (§. 40. 33. & 96. Cor. 1. Ph. pr.). Ergo & eo respectu ab alio non patitur. Si vero ens activum A tantummodo per impedimenti remotionem fit agens, intrinsece spectatum, idem manet, ut ante (§. 68. seq.). Ut ergo ea ex ratione ab illo, quod impedimentum removet, patiatur, dici nequit. vid. §. 105. Cor. 1. Ph. pr.

COR. Si ens activum fit agens, e statu substantialitatis incompletae in statum substantialitatis completae transiit (§. 33.). Dum ergo ens activum A tantummodo per impedimenti remotionem e statu substantialitatis incompletae in statum substantialitatis completae transiit, ab illo, quod impedimentum removet, non patitur. Atque adeo ens illud A etiam hisce sub determinationibus se habet active.

§. LXXXIX.

Notio passionis inde magis evolvitur.

Si ens A ab ente B patitur, necesse est, ut in A determinatio quaedam existens fiat, cuius ratio sufficiens efficiens est in alio ente B. Si enim A ab ente B patitur, in A determinatio quaedam fit existens, cuius sufficiens ratio est in B (§. 86.). Haec vero ratio, quam B continet, aut est removens, aut efficiens (§. 105. Ph. pr.). Sed quatenus est removens, A ab B pati, dici nequit (§. 88.), ergo posterius esse debet.

COR. Ratio ergo, de qua in definitione passionis §. 86. data dictum, non esse potest, nisi efficiens.

§. XC.

An impedimenti remotio fit actio entis in ens.

Si ens activum A solummodo per impedimenti remotionem, ab altero quodam ente B factam, fit agens, ens hocce B in illud A agere, proprie vix dici potest. Quicquid enim non continet rationem sufficientem actualitatis eius, quod alteri competit, illud etiam in hoc proprie non agit (§. 84.). Si vero ens B per impedimenti remotionem solummodo efficit, ut alterum

alterum ens activum A agat, ea ex ratione non continet sufficientem rationem actualitatis eius, quod alteri competit (per dem. ad §. 88.). Ens ergo B in ens A agere, hac ex ratione vix dici potest.

COR. I. Si ens B in ens A agit, in illud agit vel efficienter, vel remotive (§. 85.). Sed ultimum esse nequit (per demonstr. coll. §. 105. Ph. pr.). Ergo prius esse debet. Atque adeo Ens B in aliud A remotive agere, alio non dici potest significatu, quam quem impedimenti remotionis notio indicat. Consequenter eiusmodi remotio abusive atque improprie actio entis in aliud ens dicitur.

COR. II. Et ita patet, quod a nexu entium substantiali ad actionem entis in aliud ens non valeat consequentia (§. 78. seq.).

SCH. Si eiusmodi relationem vis entis A ad vim entis B velis actionem entis A in B nominare, per me licet. Cave tamen, ne hic sine ulteriori determinatione ea applices, quae ex actione entis in aliud ens proprie sic dicta fluunt atque legitime deducuntur. Quod notio illa, quoad motum corporum atque entium passivorum universalis sit, infra docebo. Sed ab eiusmodi motu ad actionem in genere non valere conclusionem, notare velis. *Monitum.*

§. XCI.

Si substantia A impedit, quo minus altera B agere possit, illa in hanc agere, & haec ab illa pati recte dicitur. Si enim substantia A impedit, quo minus altera B agere possit, A sufficientem continet rationem, cur B ad agendum in se sufficiens, fiat insufficiens (§. 104. & 111. Ph. pr.). Competit ergo B determinatio quaedam, cuius actualitatis ratio sufficiens est in altero ente A. Atque adeo ens A in aliud ens B dictis sub determinationibus agit, (§. 84.), & B ab illo A patitur (§. 86. coll. §. 7. seq.). *An impediens in aliud ens agat.*

COR. Consequens itaque est, 1.) ut dictum A in B agat efficienter (§. 85. Ont. coll. §. 105. Ph. pr.). 2.) Ut, quae §. 51.-53. de impedimentis dicta, omnia hic applicari possint.

§. XCII.

§. XCII.

Actio in distans quid.

Ens A agit in distans B, si, dum efficit, ut in B aliquid fiat existens, remote cum eodem coexistit; ex quibus facile intelligitur, quid *actio in distans* in abstracto.

§. XCIII.

Actionis in distans impossibilitas indicatur.

Nullum ens in distans agere potest. Si enim ens A agit, aut agit immanenter aut transitive (§. 21.). Si prius, ut in distans agat, dici nequit (§. 21. 76. & 92.); & si posterius, terminus actionis, seu quod per actionem illam existens fieri potest, est ipsius A extrinsecum (§. 21.). Si ergo per hanc actionem aliquid fit existens, existens fieri debet in aliquo, quod ab ente illo, quod agit, diversum (§. 40. & 23. Ph. pr.). Ergo vel in alio quodam ente vel accidente (§. 1.). Sed posterius esse nequit (§. 6.). Ergo prius esse debet. Et hocce ens, dum determinatio dicta in eodem sit existens, aut est existens, aut non. Sed posterius contradictionem involvit (§. 80. & 6. Ph. pr.), ergo prius, ut concedamus, necesse est. His itaque sub determinationibus cum ente illo agente vel proxime coexistens est, vel non (§. 84. Phil. pr. coll. §. 76. Ont.). Si posterius, inter ens illud agens, atque hocce, in quo determinatio illa fiat existens, tertium interponi potest (§. 76.), atque adeo determinatio dicta, quoniam ab ente A transitive agente producitur (per demonstr.) ante, quam in ente dicto existens fiat, in non-existente existens esse debet (§. 21.). Quare, cum hocce antea dictis repugnet, prius esse debet. Si vero A efficere nequit, ut in alio, quod remote cum eodem coexistit, determinatio quaedam existens fiat: nec in distans agere potest (§. 92.), atque adeo nullum ens in distans agere posse, sufficienter probatum est.

COR. I. Si ergo ens A in aliud B remote cum illo coexistens agat, necesse est, ut hocce, mediantibus aliis entibus, quae illis interposita sunt, efficiatur.

COR. II. Si ens A efficit, ut aliud ens passivum agat, illud in

in hoc agere, demonstratum est §. 87. Et si impedit, quo minus alterum agere possit, etiam vi §. 91. ut in hoc agat, necesse est. Ergo tam illo quam hoc casu ens illud A ita existere debet, ut non agat in distans.

§. XCIV.

Inde explicatur relatio patientis ad agens.

Si ens B ab alio ente A patitur, necesse est, ut A in B agat (§. 86. Cor.); sed A in distans agere nequit (§. 93.), ut ergo ens, quod ab alio patitur, cum eodem proxime coexistat, sequitur (§. 92.).

§. XCV.

Reactionis possibilitas.

Si ens B cum altero A proxime coexistit, illud in hoc agere potest (§. 93.). Si vero ens B ab altero A patitur, cum eodem proxime coexistit (§. 94.). In se igitur spectatum possibile est, ut patiens in agens agat. Eiusmodi actio vocatur *reactio*. Ergo & reactio in abstracto spectata est possibilis. De eo vero, an etiam hypothetice possibilis sit, infra inquiramus.

§. XCVI.

Eiusque quantitas hypothetice indicatur.

Actio entis a vi agente alterius dependere potest (§. 12. Cor. & 84. sqq.). Ergo & in se spectatum fieri potest, ut reactio a vi agente eius, quod in ens illud agit, dependeat (§. 95.). Ergo & reactio hisce sub determinationibus erit dictae vis agentis effectus (§. 12.). Quare, cum effectus plenus vi agenti, a qua dependet, aequalis esse debeat (§. 49.), dictis sub determinationibus, *reactionem vi agenti aequalem esse*, dici potest. Sed, quoniam de reactione hic modo hypothetice disputare licet, uberiorem huius explicationem hic, infra eam eiusque quantitatem magis evoluturus, mittam.

CAP. II.

DE NEXV CAVSSAE ATQVE CAVSSATI.

§. XCVII.

Ratio instituti.

DOctrinam de causis, quae in omnibus fere eruditionis partibus incredibilem adfert utilitatem, ita, ut omnium

fere interſit, ſive philoſophum quis agat, ſive iuri ſtudeat, ſive ſacris incumbat, ut nobiliſſimam hancce doctrinam in promptu habeat ſciatque, hic exponendam eſſe ea ex ratione iudico, quoniam non cauſſarum ſolum ſpecies, ſi ſtrictiſſime ſumuntur, nexum entium hactenus explicatum magis determinant, ſed & quae deinde explicanda ex iis quoad maximas determinationes inferri debent. Commodum vero, de quo dixi, quo obtineri poſſit, hancce doctrinam ita explicare neceſſe eſt, ut quae de cauſſis, tam ſtrictiſſime, quam generatim ſumtis, a Philoſophis dicuntur, intelligi atque perſpici poſſint. Hoc modo antea velim, ut, quae Sect. II. Cap. III. Tit. III. *Phil. primae* de principiis atque principiatis, & Cap. II. l. c. de ratione ſufficiente explicavi, ſedulo in memoriam hic revocentur, cum alias non liceat feliciter in doctrina de cauſſis progredi.

§. XCVIII.

Cauſſae atque cauſſati definitio.

Eſt vero *cauſſa*, generatim ſumta, ex omnium fere Philoſophorum conſenſu ſubiectum, quod principium fiendi, atque adeo quod rationem actualitatis alterius continet (§. 168. Ph. pr.). Quare & ſubiectum, quod rationem actualitatis ſuae in altero continet, huius *cauſſatum* dicitur.

COR. Omnia itaque neceſſaria principii requiſita ſunt etiam requiſita cauſſae; & omnia neceſſaria principiali requiſita, etiam inter requiſita neceſſaria cauſſati referri debent. Omnis ergo cauſſa prior eſt ſuo cauſſato; & omne cauſſatum ſua cauſſa poſterius eſſe debet. &c. &c. (§. 168. Cor. Cor. Ph. pr.).

§. XCIX.

Requiſita cauſſae atque cauſſati primaria indicantur.

Poſita itaque cauſſa, poni debet 1.) ſubiectum, quod dictam rationem continet, in ſe ſpectatum, quod dicitur *materiale cauſſae*; 2.) ratio, ex qua poſſibilitas exiſtentiae potentialis, vid. §. 75. Ph. pr. cauſſati concipi poteſt, quae dicitur *ratio cauſſandi*, item a Scholaſticis *potentia cauſativa*, *formale primum cauſſae*, *actus primus*, *cauſativitas* &c. 3.) ratio, ex qua actualitas cauſſati concipienda, quae dicitur *cauſſalitas*,

salitas, item a Scholasticis *formale secundum causſae*, *causſatio activa*, *actus secundus*, *actus causſandi* &c. Et vi oppositionis patet, posito causſato, etiam poni debere 1.) subiectum, quod rationem actualitatis suae in altero continet, in se spectatum, quod dicitur *materiale causſati*; 2.) id, quo possibile est, ut sit causſatum, quod dicitur *ratio causſandi passiva*; 3.) quo actu causſatum est, seu fieri possit, quod *causſalitatis passivae* accepit nomen.

COR. Quae ergo de materiali causſae dicuntur, non de causſa qua causſa; & quae solummodo de materiali causſati affirmari possunt, non ea ex ratione de causſato qua tali valere, notare velis. Quare nec, quae de nexu causſae atque causſati demonstrantur, ad materiale illorum immediate applicari possunt. Qua ex ratione etiam veteres, *efficientem non ingredi essentiam effectus*, affirmarunt.

§. C.

Causſa ratione subiecti vel materialiter vel formaliter spectatur.

His itaque praemissis, evolvamus varias causſarum species, ope regularum §. 123. P. I. Log. optime detegendas. Est vero causſa subjectum, quod actualitatis alterius rationem continet (§. 98.). Species ergo causſarum, si *primo* idea subiecti, *deinde* idea actualitatis, *tum* idea rationis, & *tandem* relatio dicti alterius magis determinabuntur, investigari possunt. Quod itaque *primo* ideam dicti subiecti attinet, ita argumentor: Si obvium subiectum rationem actualitatis alterius continet, rationem illam continet vel *quatenus* est *tale* subiectum, quod ponitur, vel *non*. Si prius *causſa formaliter*, & si posterius *materialiter spectari* dicitur.

COR. I. Differt itaque materiale causſae a causſa materialiter spectata (§. 99.).

COR. II. Et quoniam subiectum obvium, si materialiter spectatum sit causſa, quatenus qua tale spectatur dati causſati causſa dici nequit (§. 98.): non sine ratione, si qua tale spectatur, *causſa per accidens ex parte causſae* dicitur; uti si formaliter spectatum, dati causſati causſa sit, *causſa ipsius per se ex parte causſae* nominatur. Vide VELTHEMIVM l. c. p. 557. seq.

§. CI.

Ergo & causſatum vel materialiter vel formaliter ſpectatur.

Eodem modo patet, ſubiectum obvium, quod alterius cauſſatum, rationem actualitatis ſuae in altero continere vel *quatenus* eſt *tale*, vel *non*. Si prius cauſſatum etiam *formaliter*, & ſi poſterius *materialiter ſpectari* dicitur.

COR. I. Ergo & materiale cauſſati a cauſſato materialiter ſpectato diſtinguendum eſſe, patet (§. 99.).

COR. II. Et quoniam obvium ſubiectum, ſi materialiter ſpectatum ſit datae cauſſae cauſſatum, quatenus qua tale ſpectatur, ipſius cauſſatum nominari nequit (§. 98.): ſumma etiam cum ratione, ſi qua tale ſpectatur, dicta cauſſa ipſius *cauſſa per accidens ex parte cauſſati* dicitur, uti *cauſſa per ſe ex parte cauſſati* nominatur, ſi eſt obvii cauſſati formaliter ſpectati cauſſa.

Reſolutio dubii.

SCH. In veterum quidem Philoſophorum ſchola a nonnullis, *cauſſam per accidens ex parte cauſſati* duplici ſumendam eſſe ſignificatu, affirmatur. *Primo* nimirum cauſſam per accidens ex parte cauſſati eo ſumunt ſignificatu, quem Cor. 2. indicavi; & *deinde* cauſſam illam ſignificare, quae non eſt vera cauſſa eius, cuius cauſſa per accidens dicitur, ſed quae eſt vera cauſſa alterius, quod iungitur cum eo, cuius eſt cauſa per accidens, docent. Quoniam vero ultimo ſignificatu cauſſa alicuius dicitur, quae non vera eius cauſſa eſt, terminum hic minus proprie ſumi patet; & quoniam porro eiusmodi termini ſignificatus permagnam inferendi controverſiam occaſionem dedit, non ſine ratione eum termini ſignificatum mittendum eſſe cum HEBENSTREITIO in Phil. prima p. 680. judico, atque pro neceſſario pono.

§. CII.

Cauſſa, ſi rationis idea magis determinatur, eſt vel metaphyſica vel analytica.

Si characterem *rationis actualitatis*, qui cauſſae definitionem ingreditur, ſpectamus, ex variis eius ſpeciebus, §. 96. ſeqq. Ph. pr. indicatis, varias etiam cauſſarum ſpecies deduci poſſe, ex §. cit. Log. ſufficienter patet. Breviſſimis itaque eas indicabo. Ratio enim illa vel metaphyſice vel analytice ſumi poteſt (§. 98. Ph. pr.). Ergo & priori reſpectu cauſſa voca-

vocatur *metaphysica*, & posteriori *analytica*. Est itaque *caussa metaphysica* subiectum, quod rationem actualitatis alterius in se spectati continet; & *analytica* subiectum, cui ratio actualitatis alterius quoad cognitionem, quam de illo habemus, inest. Ex quibus simul, quid sit *caussatum metaphysice* & *analytice* sumtum, intelligi potest.

COR. Quae itaque §. 167. cum Cor. & Sch. Sch. Ph. pr. dicta, etiam hic applicari possunt (§. 98.).

§. CIII.

Subiectum illud, quod rationem actualitatis alterius in se spectati continet, vel eius rationem efficientem vel removentem continet. Si prius, vocatur causa *efficiens;* & si posterius, *removens*. Removens itaque caussa rationem actualitatis alterius tantummodo continet per remotionem impedimenti, non vero caussa efficiens (§. 105. Ph. pr.). *Illa est vel removens vel efficiens.*

COR. I. Recte itaque a Philosophis dicitur, caussam efficientem esse, quae in actione sua rationem actualitatis alterius continet (§. 12. coll. §. 90.). An vero propositio haec positive reciprocari possit, infra determinabo. Et ita intelligimus, quo sensu caussae efficientis caussatum effectus dicendum (§. 12.).

COR. II. Simul patet, omnia, quae §. 170. Ph. pr. de principio removente atque efficiente, & §. 87. seqq. de τω remotive & efficienter agere dicta, hic non applicari solum, sed & permulta ex illis consectaria inferri posse.

§. CIV.

Caussa ergo efficiens est, quae in actione sua continet rationem efficientem actualitatis alterius (§. 103. cum Cor. 1.). Quicquid vero agit, vim habere, (§. 10. & 12.), ergo substantia (§. 26. Cor.), atque adeo ens existens esse debet (§. 26.). *Nulla igitur caussa efficiens esse potest, nisi subiectum, quod sit ens existens.* Quae itaque de ente existente in superioribus demonstrata, hic applicanda sunt. *Caussa efficiens debet esse ens existens.*

COR. I. Et ita patet, caussae efficientis materiale esse ens

existens, ut ens consideratum; rationem ipsius caussandi esse vim eius in actu primo spectatam (Qua ex ratione etiam a permultis veterum Philosophorum ratio haec caussandi caussae efficientis *virtutis* accepit nomen); & caussalitatem dictae caussae esse vim eius in actu secundo spectatam (§. 99. 33. & 11. Sch.).

COR. II. Caussa ergo efficiens dici nequit, nisi quod est substantia completa, seu ens, ut agens, spectatum.

SCH. Nulla ergo adest ratio, cur cum Scholasticis de quaestione, *utrum actio, per quam caussa efficiens est caussa efficiens, dici possit effectus*, disputantibus, *effectus QVI* ab *effectu QVO* distinguatur. Quoniam enim actio illa est caussae efficientis constituens, sine dicta actione caussa dici nequit efficiens, atque adeo secundum regulas Logices fieri non potest, ut actio illa dictae caussae *effectus QVO* nominetur.

§. CV.

Caussa efficiens est vel principalis vel instrumentalis.

Ens existens caussa efficiens esse nequit, nisi quatenus agat (§. 104.), hanc itaque ad actionem, vi cuius caussae efficientis nomen meretur, vel se ipsum determinavit, vel non. Si prius, caussa illa efficiens *principalis*; & si posterius, *instrumentalis*, ab aliis etiam *caussa minus principalis* dicitur.

COR. Quatenus itaque ens A est caussa instrumentalis, eatenus ab alia quadam caussa in agendo dependet (§. 43. Ont. & §. 96. Ph. pr.). Quicquid itaque in agendo ab alia quadam caussa dependere nequit, nec inter caussas instrumentales referri potest.

Consensus veterum.

SCH. Hac ex ratione a veteribus Philosophis dicitur, *caussam principalem elevare caussam instrumentalem ultra nativam suam virtutem*, atque adeo, *caussam instrumentalem non agere, nisi coniungatur cum caussa quadam principali.* Quare etiam a permultis *instrumenti coniuncti* accepit nomen. Inde etiam principium: quod *instrumentum* seu *caussa instrumentalis extra usum nulla sit.*

§. CVI.

Nexus caussae principalis atque instrumen-

Caussa principalis & instrumentalis, quam illa ad agendum determinat, unam constituunt caussam, seu ut cum veteribus loquar,

loquar, ſtant pro una cauſſa. Quoniam enim cauſſa illa inſtrumentalis a dicta principali in agendo dependet (§. 105. Cor.), cauſſa inſtrumentalis, ut agens, cum principali connexa eſt (§. 96. Cor. 1. Ph. pr. & §. 43. Ont.). Quatenus vero ens obvium, ut cauſſa principalis ſpectatur, eatenus etiam ut agens ſpectari debet (§. 104. Cor. 1.), ergo & conſequens eſt: ut cauſſae illae, qua agentes ſint connexae. Atque adeo qua agentes conſtituunt unum (§. 175. Ph. pr.). Sed quatenus ſpectantur ut agentes, etiam ut cauſſae ſpectari debent (§. 104. cum Cor. Cor. coll. §. 99.). ut ergo cauſſa principalis & inſtrumentalis, quam illa ad agendum determinat, unam conſtituant cauſſam, conſequens eſt. *talis explicatur.*

COR. Et ita patet, 1.) quo ſenſu dicendum, quod cauſſae inſtrumentalis atque principalis idem ſit, cauſſatum, id eſt, quod cauſſatum cauſſae inſtrumentalis qua talis, idem ſit cum cauſſato cauſſae principalis, quatenus haec illam ad agendum determinat (§. 98. Ont. coll. §. 96. Cor. 1. Ph. pr.); et quod effectus potius cauſſae principali quam inſtrumentali tribuendus. 2.) Quod, quae de nexu entium ſubſtantiali Cap. I. hui. Sect. demonſtrata, hic applicari poſſint.

§. CVII.

Dixi de cauſſa inſtrumentali, ergo & neceſſe eſt, ut idea inſtrumenti evolvatur, quo ſimul hujus atque illius differentia perſpici atque intelligi poſſit. Eſt vero *inſtrumentum* generatim ſumtum, quod ea inſtructum eſt potentia, ut agens eius ope effectum ſuum producere poſſit. *Inſtrumentum generatim ſumtum quid.*

SCH. Sunt quidem ex veterum ſcholis quidam, qui ad inſtrumenti notionem requirunt, ut ad dictum effectum natura ſua ordinatum atque determinatum ſit. Quoniam vero etiam lapis, quo clavum parieti impingimus, vi uſus loquendi huius operationis inſtrumentum dici poteſt, rationem intelliges, cur definitionem inſtrumenti generaliorem effecerim. *Vſus loquendi probatur.*

§. CVIII.

Dum itaque agens inſtrumenti ope dictum effectum producit, aut per actionem inſtrumenti, ad quam hocce determ- *Inſtrumentum eſt vel activum vel paſſivum.*

determinavit, dictum effectum producit, aut per eius passionem. Si prius, instrumentum vocatur *activum*, & si posterius, *passivum*.

COR. I. Instrumentum itaque activum est caussa instrumentalis, non vero passivum (§. 105.). Atque adeo patet, omnem caussam instrumentalem esse instrumentum, sed non omne instrumentum esse caussam instrumentalem.

COR. II. Minus ergo accurate caussa instrumentalis generatim dicitur, in cuius passione ratio effectus sita.

§. CIX.

Illud est vel vivum vel non.

Ponamus A esse instrumentum activum, ergo a caussa principali ad eam determinatur actionem, qua datus effectus producitur (§. 108.). Consequenter vel alio quodam respectu se ipsum ad agendum determinare potest, vel non. Si prius, vocatur *instrumentum vivum*; & si posterius, *non-vivum* seu *mortuum*.

COR. I. Prioris itaque generis caussa instrumentalis (§. 108. Cor. 1.) alio quodam respectu inter caussas principales referri potest (§. 105.). Qua ex ratione tam caussa efficiens principalis quam instrumentalis *in absolute* & *relative tales* dividuntur.

COR. II. Et quoniam ens A caussa instrumentalis esse nequit, nisi quatenus sit agens (§. 105.). Ens vero, quatenus est agens, in actu secundo spectari dicitur (§. 12. Cor. & 11. Sch.): vera est Philosophorum veterum sententia, quod caussa instrumentalis, in actu primo spectata, instrumentum nominari debeat (§. 107.).

Monitum.

SCH. Instrumentum vivum a quibusdam etiam Philosophorum *instrumentum coniunctum*, & instrumentum non-vivum *instrumentum separatum* nominatur. Quoniam vero omnis caussa instrumentalis qua talis cum caussa efficiente coniuncta esse debet (§. 105. Sch.), ne termini fiant ambigui, eiusmodi notionum denominationes ut hic mittam, necessarium esse iudico. Vide HEBENSTREIT l. c. pag. 735. seqq.

§. CX.

§. CX.

Causſae in adaequatam & inadaequatam diviſio.

Hactenus varias cauſſae ſpecies ex eo deduxi modo, quo ſubiectum cauſſam conſtituens rationem actualitatis alterius continet. Iam eas evolvendas eſſe iudico, quae ex rationis idea, magis determinata, ortum trahere poſſunt. Eſt vero, ut cauſſae definitio, §. 98. data, docet, ratio haec, ſi generatim ſpectatur, fiendi. Quare, cum rationem fiendi etiam in ſufficientem & inſufficientem dividere poſſimus (§. 96. & 100. P. pr.), cauſſam hoc ex fundamento eſſe vel *ſufficientem*, ſeu ut alii dicunt *adaequatam*, vel *inſufficientem* ſeu *inadaequatam* patet. Ergo & vi oppoſitionis cauſſatum in *adaequatum* & *inadaequatum*, ſeu *plenum* & *minus plenum* dividere licet.

COR. Poſita itaque cauſſa ſufficiente ſeu adaequata, etiam cauſſatum plenum poni debet; & poſito cauſſato pleno, ut etiam cauſſa eius ſufficiens adaequata ponatur, neceſſe eſt (§. 96. Cor. 1. Ph. pr. & per dem. §. 49. Ont.). Eo ergo ſenſu vera ſunt Philoſophorum principia: *poſita cauſſa ponitur cauſſatum & vice verſa*, ſeu *nihil fieri poteſt ſine cauſſa*. Sed plura conſectaria ex iis, quae de effectu pleno atque minus pleno §. 47. ſeqq. demonſtrata, facili negotio hic inferri poſſunt.

§. CXI.

Inde concipiuntur concauſſae.

Patet itaque ex diſcurſu hactenus continuato, fieri poſſe, ut plures cauſſae ad cauſſandum idem cauſſatum concurrant, quae etiam hac ex ratione dicuntur *concauſſae*. Quare & eo reſpectu cauſſa, quae ſine aliarum concurſu cauſatum producit, *non-concauſſa* nominatur.

COR. Altera itaque concauſſarum non continet rationem actualitatis cauſſati ſufficientem (§. 110. Cor.). Atque adeo concauſſae in reſpectu ad cauſſatum, cuius ſunt concauſſae, connexae ſunt, (§. cit. Coll. §. 90. Ph. pr.) conſequenter unum conſtituunt (§. 175. Ph. pr.) &c. &c.

§. CXII.

Quae vel ſubordinatae vel coordinatae.

Concauſarum una vel ab altera dependet vel non, id eſt, vel una alterius continet rationem vel non (§. 43.).

Quare, cum efficere, ut unum fiat alterius ratio, obiecta *subordinare* dicatur, concauſſae in *ſubordinatas* & *non-ſubordinatas* dividuntur. Concauſſae non-ſubordinatae a Philoſophis etiam dicuntur *coordinatae*.

§. CXIII.

Hae ſunt vel ſociae vel non. Concauſſae coordinatae ſunt concauſſae (§. 112.), ergo ad cauſſandum idem cauſſatum concurrunt (§. 111.). Hocce itaque cauſſatum vel eiusmodi eſt, ut pars ipſius ab una & altera pars ab altera concauſſarum dependeat; vel eiusmodi diviſio fieri nequit. Si prius concauſſae coordinatae vocantur *cauſſae ſociae*, & ſi poſterius, ſunt *concauſſae coordinatae in ſpecie*.

COR Sociarum itaque cauſſarum quaelibet eſt determinatae cuiusdem obvii cauſſati partis cauſſa, qua ex ratione etiam a nonnullis *cauſſae partiales* dicuntur. Ergo & earum rationes cauſſandi ſaltem numero, ut diſtinguantur, neceſſe eſt (§. 99. Ont. coll. §. 130. & 45. Ph. pr.).

§. CXIV.

Sociae ſunt vel auxiliares vel non. Si cauſſae ſociae A & B ad cauſſandum idem cauſſatum. C coniunguntur, hoc fit vel ea ex ratione, quoniam cauſſa A in ſe ſpectata inſufficiens eſt ad cauſſandum C, vel non. Si prius, A & B vocantur *cauſſae auxiliares*; & ſi poſterius, *cauſſae ſociae in ſpecie tales*.

COR. Cauſſarum itaque auxiliarium unam ſupplere defectum virium ceterarum, recte a Philoſophis dicitur.

§. CXV.

Cauſſae ſubordinatae ſunt vel eſſentialiter vel accidentaliter tales. Hactenus de cauſſis coordinatis generatim. Iam de ſubordinatis. Sunt vero ſubordinatae cauſſae, quarum una ab altera dependet (§. 112.). Quare, cum cauſſam conſiderantes ipſius materiale a cauſſalitate diſtinguere debeant (§. 99.), fieri poteſt, ut una cauſſa ab altera dependeat, vel quatenus ut *cauſſa*, vel quatenus tantummodo materiale ipſius ſpectatur (§. cit. cor.), ſeu, ut alii dicunt, cauſſarum ſubordina-

ordinatarum una ab altera dependet vel in operando vel in existendo. Si caussarum subordinatarum una ab altera dependet, quatenus est caussa, seu quoad caussalitatem, seu in operando, *caussae* illae dicuntur *essentialiter subordinatae*; si vero earum una ab altera tantummodo dependet quoad materiale spectatum seu in existendo, *caussarum accidentaliter subordinatarum* acceperunt nomen.

COR. Caussa itaque principalis atque instrumentalis eiusdem caussati sunt caussae essentialiter subordinatae (§. 105. Cor. & 104. Cor. 1.).

§. CXVI.

Caussati caussae A aliud quoddam subiectum caussa dici nequit, nisi a quo caussa A in caussalitate sua dependet; &, si caussa A in caussalitate sua ab alio quodam subiecto dependeat, hocce illius A caussati caussa summa cum ratione nominatur. Quicquid enim non continet rationem actualitatis alicuius, nec ipsius caussa dici meretur (§. 98.). Quicquid vero non continet rationem caussalitatis caussae A, a qua obvium caussatum dependet, nec continet rationem actualitatis caussati obvii (§. 99. Ont. & §. 96. Ph. pr.). Ergo nec caussa eius, cuius A caussa est, dici meretur. Q. e. p.

Ex illis caussa caussae est caussa caussati.

Alterum propositionis membrum ita evinco: caussa A est obvii caussati caussa vi caussalitatis suae (§. 99.). In quo itaque est huius caussalitatis ratio, in eo etiam continetur ratio actualitatis eius, cuius obvium A vi dictae caussalitatis caussa nominatur atque est (§. 98.). Ergo & illud subiectum, a quo caussalitas ipsius A dependet, rationem actualitatis caussati dictae A continet (§. 43.). Atque adeo eiusdem caussati caussa est (§. 98.). Q. e. a.

COR. I. Caussa itaque B caussati caussae A caussa dici nequit, nisi sint caussae essentialiter subordinatae (§. 115.). Qua ex ratione etiam principium: *caussa caussae est caussa caussati*, a Philosophis ita explicatur: *Quando prima res causat, ut secunda res causset rem tertiam, tunc tertia quoque res primae rei causatum recte dicitur.*

COR. II. Causſa ergo principalis eſt etiam causſa causſati, a causſa inſtrumentali qua tali dependentis (§. 115. Cor.). Et ſi A eſt causſa alterius B, quod eſt causſa alterius C, ſubiectum A ipſius C causſa dici nequit, ſi A & B modo ſint causſae accidentaliter ſubordinatae, id eſt, ſi B ab A quoad exiſtentiam modo non quoad causſalitatem obviam dependeat (§. 115.) &c. &c.

SCH. Poſſem hic etiam de impulſiva atque morali causſa dicere, ſi modo ſpontaneitatis idea eſſet explicata. Sed principia hactenus evoluta eam non ſufficienter ſuppeditare poſſunt, ut ergo illarum causſae ſpecierum explicationes in evolvenda infra differam, neceſſe eſt.

§. CXVII.

Causſa proxima & remota quid.

Concipi ex dictis poteſt, quid ſit proxima & remota, mediata, immediata & media causſa. Si enim ſeriem causſarum ſubordinatarum atque efficientium ponamus, causſae illae vel eſſentialiter vel accidentaliter ſubordinatae ſunt. Si poſterius, proxime ſequens causſa a praecedente in exiſtendo dependet (§. 115.), atque adeo hac in ſerie causſa dati causſati eius *causſa proxima*, & dictae causſae causſa in reſpectu ad datum causſatum *causſa remota in gradu primo* dicitur; & ita porro quid causſa remota in gradu ſecundo, tertio, quarto &c. intelligi atque concipi poteſt. Si nimirum A B C D dicta causſarum efficientium ſeries, & ipſius D causſatum E, in reſpectu ad E causſa A dicitur causſa proxima; C causſa remota in gradu primo; B remota in gradu ſecundo; A remota in gradu tertio.

COR. Dictae itaque causſae remotae qua tales causſati E causſae proprie dici nequeunt, (§. 116. Cor. 2.). Causſae ergo remotae ea ex ratione tantummodo ita dicuntur, quoniam dicta in causſarum ſerie a determinato quodam causſato, ut ita loquar, diſtant.

§. CXVIII.

Causſa media & efficiens ſtricte ſic dicta quid.

Si prius, ſeu ſi in ſerie causſarum efficientium causſae illae eſſentialiter ſubordinatae, proxime ſequens causſa a praecedente in operando ſeu in causſalitate dependet (§. 115.).

Ergo

Ergo haec, mediante illa, effectum producit. vid. §. 116. Cor. 1. Atque adeo proxime sequens causſa *causſae mediae*, & praecedens *causſae efficientis ſtricte ſic dictae* accepit nomen. Si ergo A & B ſint causſae efficientes eſſentialiter ſubordinatae, ita ut C effectus ipſius B, causſa haec B erit dicti C causſa media, & causſa A causſa efficiens ſtricte ſic dicta.

COR. Causſa itaque media eſt causſa inſtrumentalis & efficiens illa causſa inter principales referri debet (§. 105. ſeq.).

§. CXIX.

Causſa mediata & immediata quid.

Si tandem causſa quaedam principalis A effectum B, interveniente alia quadam causſa principali C, producit, causſa illa, quae, interveniente alia quadam causſa efficiente principali, effectum B producit, huius effectus *causſa mediata*; & quae illum effectum absque interventu alterius causſae efficientis principalis producit, illius effectus *causſa immediata* dicitur.

COR. I. Patet itaque causſarum coordinatarum unam causſam mediatam, & alteram immediatam eſſe poſſe (§. 112.). A ſerie ergo causſarum, in qua altera mediata & altera immediata, ad ſeriem causſarum ſubordinatarum non valet conſequentia.

COR. II. Et quaecunque causſa non eſt efficiens principalis nec causſa mediata eſſe poteſt. Sed causſa inſtrumentalis non eſt principalis (§. 105.). Causſam itaque inſtrumentalem causſam mediatam aut immediatam nominare, Metaphyſicorum uſui loquendi repugnat.

COR. III. Si ergo in ſerie causſarum ſubordinatarum altera eſt mediata & altera immediata, ut ſubordinatio haec ſit accidentalis, conſequens eſt (§. 115.).

§. CXX.

Causſa rationis relationis causſati ad causſam eſt vel virtualiter vel formaliter causſans.

Causſarum eſſentialis atque accidentalis ſubordinatio dat causſarum ſpecies ex determinatione characteris *actualitatis* definitionem causſae ingredientis concipiendas. Iam itaque evolvendae ſunt ſpecies ex determinatione relationis dicti

dicti alterius deducendae (§. 100.). Differt vero hocce alterum, quod rationem actualitatis suae in subiecto, quod illius caussa dicitur, continet, a subiecto illo vel essentialiter vel non. Si prius, caussa illa vocatur *formalis*, seu, ut alii dicunt, *formaliter caussans*, & caussatum *caussati formalis* accepit nomen; si vero posterius, *caussa* dicitur *virtualis* seu *virtualiter caussans*, & caussatum ipsius *caussatum virtuale* appellatur. vid. STALIVM *in Inst. Metaph. cap. III. Concl. 2.*

COR. Quae essentialiter distincta eorum unum sine altero & vice versa separatim existere potest (§. 157. Ph. pr.). Ergo & subiectum, quod est alterius caussa formaliter caussans, sine altero hocce & vice versa separatim existere potest. Et ita patet, quo sensu a positione vel negatione caussae formalis ad positionem vel negationem caussati formalis; & a positione vel negatione caussati formalis ad positionem vel negationem caussae formalis immediata valeat conclusio. vid. §. 110. Cor. Plura ex iis, quae §. 130.-142. Ph. pr. de distinctionibus dicta, facili negotio hic inferri possunt consectaria.

§. CXXI.

Et haec est vel univoca vel aequivoca.

Si caussa & caussatum essentialiter diversa sunt, diversitas haec vel tantummodo numerica, vel etiam specifica est (§. 64. seq. Ph. pr.) si prius, caussa *univoca*, & caussatum *univocum*; & si posterius, caussa *aequivoca*, & caussatum *aequivocum* dicitur.

COR. Entia eiusdem speciei easdem determinationes essentiales, atque adeo eadem attributa continent (§. 32. cum C.C. Pr. Log.). Ergo & hoc significatu dici potest, *quod praedicata caussae univocae etiam sint praedicata caussati vel effectus univoci.* Eo itaque sensu universaliter verae sunt Metaphysicorum propositiones: *Quicquid praedicatur de caussa, etiam praedicatur de effectu*; seu *nihil est in effectu, quod non antea fuerit in caussa*; seu *Qualis caussa talis effectus.*

§. CXXII.

Modus species hactenus explicatas com-

Cospecies, quae inde ortum trahunt, si ad diversos characteres definitionem quandam ingredientes, aut ad eiusdem cha-

characteris diversos respectus, diversae adiungantur determinationes, combinari atque componi possunt (§. 122. Cor. 2. P. I. Log.). Ergo & caussarum species hactenus explicatae dicto modo combinari possunt. Et ita intelligimus, quid sit *caussa efficiens adaequata* seu *sufficiens; caussa efficiens inadaequata* seu *insufficiens* (§. 103. & 110.). Quid sit *caussa efficiens formaliter* vel *virtualiter caussans* (§. 103. & 120.). Et quando caussae illae sint vel *sufficientes* vel *insufficientes* (§. 110.). Et ita porro. *binandi indicatur.*

SCH. I. Sed sufficienter hactenus de differentiis caussarum generatim. Quod vero, quae de iis dicta, cum usu loquendi Philosophorum conveniant, ex omnibus fere veterum Metaphysicorum compendiis immediate patet. Inter alios vero velim ut legantur, HEBENSTREIT in Phil. prima p. 618. seqq. VELTHEMIVS in Inst. Met. p. 524. seqq. STALIVS in Inst. Met. Cap. III. SVAREZIVS in Disp. Met. Vol. I. Disp. XII. seqq. & DONATI Metaph. usualis Cap. 27. seqq. &c. &c. Quos in explicanda de caussis doctrina maxime sequutus sum. *Fontes ex quibus usus loquendi probandus, indicantur.*

SCH. II. Possem itaque huius obiecti explicationes hic mittere, nisi quaedam adhuc de Philosophorum controversia, caussarum genera spectante, ut dicam, necesse esse iudicavissem. Leviter ergo hancce controversiam hic adhuc tangam. Aristotelici vulgo quatuor caussarum genera statuunt, quorum *primum* est *caussae efficientis*, seu, ut alii dicunt, *caussae a qua; secundum caussae finalis*, seu *caussae cuius gratia; tertium caussae materialis*, seu *caussae ex qua*; & *quartum caussae formalis*, seu *caussae per quam.* Quoniam vero eiusmodi divisio minime adaequata, atque adeo fundamento destituta, fieri non potuit, quin alii numerum huncce caussarum generum augendum, alii eum minuendum esse docuerint. Illi adhuc addunt *genus caussae materialis in qua seu subiectivae; caussae materialis circa quam* seu *obiectivae*; *genus caussae exemplaris &c.* Hi vero partim cum Stoicis omnes caussas praeter efficientem reiiciunt; partim binarium caussarum numerum defendunt, omnes caussas in internas & externas dividendas esse docentes. *Controversia de generibus caussarum indicatur.*

Sed

Sed meo quidem iudicio omnes illae disceptationes a logomachiis dependent, & inter controversias, quae non magni momenti, referendae sunt. Ergo & de his dicta sufficiant.

§. CXXIII.

Demonstratio nexus inter caussam & caussatum.

Quae de principio qua tali dicta etiam de caussa qua caussa, & quae de principiato qua tali demonstrata etiam de caussato qua caussato valere debent (§. 98. Cor.). Sed inter principium qua tale & principiatum qua tale datur nexus (§. 172. Ph. pr.). Ergo & inter caussam qua caussam & caussatum qua caussatum nexum concedere debemus. Idem principum etiam ex evolutione ideae nexus, caussae atque caussati facili negotio inferri potest.

COR. I. Ergo & ex caussarum diversitate variae nexus species ortum trahere possunt. Intelligimus itaque, quid sit nexus per caussas efficientes atque removentes (§. 103.); nexus per subordinationem vel coordinationem caussarum (§. 112.) &c. &c.

COR. II. Et simul patet, omnia, quae §. 173. de nexu principii atque principiati dicta, hic applicari posse. Quaedam ob principia infra explicanda brevissimis modo hic adponam.

§. CXXIV.

Caussati contingentia demonstratur.

Omne ens existens, quod est alterius caussatum, est ens contingens seu secundi ordinis. Si enim ens illud existens est alterius caussatum, quoad existentiam ab altero dependet (§. 98. & 43.), atque adeo ens contingens seu secundi ordinis esse debet (§. 44. seqq.).

COR. Quae itaque de ente contingente in superioribus demonstrata, etiam hic applicari possunt.

§. CXXV.

Et contingentia nexus caussae formalis atque caussati formalis probatur.

Omnis nexus, qui inter caussam formalem qua talem & caussatum formale qua tale datur, est nexus entium. Caussa enim formalis a caussato suo formali essentialiter diversum est (§. 121.). Atque adeo illa sine hoc & vice versa separatim existere potest (§. 137. Ph. pr.). Consequenter tam dicta

dicta cauſſa, quam dictum cauſſatum inter entia referri debet (§. 1.). Quare, cum inter cauſſam qua cauſſam & cauſſatum qua cauſſatum nexus detur (§. 123.), nexus, qui inter cauſſam formalem & cauſſatum formale datur, nexus entium ſumma cum ratione dicitur.

COR. Ex iis itaque, quae de nexu entium Cap. I. hui. Sect. & de cauſſis hoc in capite dicta, non-nulla hic inferri poſſunt conſectaria, quorum evolutionem meditationibus Lectorum concedens, ad maioris momenti principiorum explicationem tranſibo.

ONTOLOGIAE

SECTIO IV.

DE VARIIS NEXVS ENTIVM CONSECTARIIS GENERATIM.

CAP. I.

DE CONSECTARIIS NEXVS ENTITATIVI DE LOCO SCILICET SITV SPATIO ATQVE EXTENSO GENERATIM.

§. CXXVI.

Ratio inſtituti.

NExum, qui enti cum alio quodam ente intercedit, eſſe vel entitativum, vel ſubſtantialem, vel entitativo-ſubſtantialem, §. 74. indicavi, & deinde varias dictorum nexuum explicavi affectiones, ergo & ordo poſtulat, ut de eorum conſectariis breviſſimis dicam. Quoniam vero inter conceptus ex praejudiciis infantiae, a qua rebus corporeis aſſueti ſumus, ortos, quos etiam nunc non-nulli veros exiſtimant, nulli periculoſiores Philoſophantibus videntur, quam qui huc pertinent, ut conceptus illi omni, qua fieri poteſt, cura ab obſcuritatibus atque confuſionibus liberentur, neceſſe eſt. Quoad maximam quidem partem immor-

talis LEIBNITIVS Illustrisque WOLFIVS id fecit, superesse tamen quaedam adhuc mihi videntur. Qua ex ratione eam, qua hactenus usus sum, methodum sequuturus, *primo* de consectariis nexus entium entitativi, & *deinde* de consectariis nexus entium subsistantialis atque entitativo-subsistantialis systematice agam. Quo vero commodo atque usu eventus docebit.

§. CXXVII.

Locus generatim sumtus quid.

Entitative connectuntur entia, quatenus impenetrabilitati unius qua tali determinatio quaedam tribuitur sine impenetrabilitate alterius qua tali non possibilis (§. 74. Cor.). Quae ergo eiusmodi ex nexu deducenda, fluere debent ex impenetrabilitate, omni enti qua tali tribuenda (§. 8.). Vocatur vero ens impenetrabile, quatenus existere nequit, nisi extra alia (§. 7.), atque adeo quatenus ita existit, ut, ubi existit, alia entia simul existere nequeant (§. 40. Ph. pr.). Posito itaque ente A existente, etiam ubi aliquod poni debet, quo ens A ita existit, ut eodem modo alia entia cum illo simul existere nequeant. Et haec est cogitatio, quam Philosophi per *Locum* exprimere volunt.

Vsus loquendi probatur.

SCH. Patet itaque, το ubi hic generaliter sumi, & eo sensu, quo ABRAHAMVS CALOVIVS in *Metaph. div. Cap. de Vbietate* p. 278. illud *negative explicandum esse*, affirmat, *quod* nimirum *sit talis Entis modus, quo non esse nullibi dicitur*, & videtur CICERO exstitisse in eadem sententia: nam *si quid est nusquam, esse non possit, & si nusquam sit, ne sit quidem,* inquit ille *Tusc. 1.*

§. CXXVIII.

Locus an sit ens.

Locus in se spectatus non est ens. Quicquid enim locum in se spectatum constituit, est penetrabile (§. 127. 7. coll. ex Ph. pr. §. 40.). Quicquid vero est penetrabile, non est ens (§. 8.), atque adeo locus in se spectatus non est ens.

COR. I. Quicquid est, & tamen non est ens, accidens esse debet (§. 1.). Posito vero ente etiam locus ipsius poni debet

bet (§. 127.). Dictis itaque sub determinationibus locus inter accidentia metaphysica scilicet referri debet.

COR. II. Si ergo & locus in se spectatus nec inter accidentia referri potest, qua talis nihil est. Sed inter accidentia referri nequit, nisi enti cuidam tribuendus (§. 6.). Tribui vero enti nequit, nisi ens ut in eodem existens concipiatur (§. 127.). Atque adeo locus, ab ente quodam non occupatus, quatenus in se spectatur, nihil est. Aut, ut cum IOHANNE REGIO in *Elementis scientiae naturalis* loquar, locus ex parte sui nihil reale est.

COR. III. Et ita patet, quae de ente qua ente dicenda non valere de loco. Atque adeo nec dici potest, quod locus [illegible] substantia, nec quod [illegible] habeat &c. &c.

SCH. I. Quae ergo de loco dicenda non sufficiunt, ut cum GASSENDO Sect. I. Lib. II. Cap. I. *Physicae* divisionem entis generatim sumti seu possibilis in *substantiam* & *accidens* inadaequatam velimus nominare. Cum sufficiente quidem ratione, locum esse substantiam, negat, (Cor. 3.) ratio vero minime sufficit, cur etiam, locum non esse accidens, profiteatur, locum & tempus esse incorporea genere diversa ab iis, quae substantiae aut accidentia dici solent, affirmans. Si enim locus ut ab ente occupatus spectatur, inter accidentia referri debet (Cor. 1.). Si vero spectatur, ut non occupatus ab ente quodam, si ab ideis nostris velimus abstrahere, revera nihil est (Cor. 2.). Qua ex ratione etiam ipse GASSENDVS l. c. p. 179. non negat, locum in se scilicet spectatum inter ea referendum esse, quae nullam, nisi per intellectum, & dum cogitantur, existentiam habent. *Sententia Gassendi de loco refutatur.*

SCH. II. Locus ab ente non occupatus vocatur *inanis*. Non itaque solum patet, inane in se spectatum nihil esse (Cor. 2.), sed &, cur ARISTOTELES in Phys. *locum, cui plenum esse & inane competit, nominaverit.* Ergo nec fieri potest, ut cum LVCRETIO, EPICVRO aliisque Philosophis, *naturam duabus consistere rebus, quae corpora sunt & inane*, velimus affirmare, licet aliquo respectu fieri possit, ut cum illis, *locum esse inane intactibile, atque incorporeum*, concedamus. *Sententia Aristotelis aliorumque de loco explicatur.*

Respondetur dubiis quibusdam.

SCH. III. Vnicum adhuc supersse videtur dissentientium argumentum, cuius resolutio principia porriget, ex quibus cetera, quae de loco a Philosophis disputata sunt, iudicari possunt. Explicato itaque hocce argumento respondebo. Est vero argumentum illud: *Si locus inanis seu ab ente non occupatus, quatenus in se spectatur, est nihil, fieri nequit, ut loco tribuamus magnitudinem, figuram* &c. *Vltimum vero fieri potest, vi usus loquendi. Ergo & prius esse nequit.* Si usum loquendi vulgarem spectamus, non quidem nego, figuram, magnitudinem &c. loco tribui, optime vero monuit WYERVS GVILIELMVS MUYS in *Elementis Physices*, locum eiusmodi sub denominationibus confundi cum locato, quoniam figura atque magnitudo, quae [illegible] comperum[illegible] loco tribuunt. Qua ex ratione etiam IOHANNES KEIL *in Intr. ad veram Physicam* Lect. VI. *locum in internum & externum* dividendum esse, docuit, *internum*, qui a corpore locato repletur, *externum* vero cum ARISTOTELE superficiem concavam corporis ambientis & locatum continentem, nominans. Sed examina quaeso, quid in loco illo externo, cui magnitudinem & figuram tribuis, cogites, si ab iis cogitando discesseris, quae imaginatio porrigit: profecto nihil aliud quam un ie ne sai quoi. Nego itaque ea, quae in argumento illo sumuntur, & ita falsitas inde illati sufficienter patebit.

§. CXXIX.

Locus est vel absolutus vel relativus.

Locus, ab ente occupatus, spectari potest vel in relatione ad ens, quod eundem occupat, vel in relatione ad alia entia, quae cum illo simul existunt (§. 127.), si prius, locus ille nominatur *absolutus* seu *primarius*, & si posterius, *relativus* seu *secundarius* vid. KEIL. l. c. Quoad Locum itaque relativum valet definitio Ill. WOLFII, quod sit determinatus modus, quo unum ens simultaneis coexistit, qua recte generatim exprimitur, quod a IOHANNE REGIO l. c. speciatim dictum, *quod nimirum locus sit denominatio externa, ex relatione existentiae corporum iuxta se invicem.* Veritas vero dicti ex §. cit. immediate deduci potest.

COR.

COR. Notio identitatis atque diversitatis sufficienter §. 45. Ph. pr. evoluta est. Quando itaque ens locum suum vel absolutum vel relativum mutet, vel non mutet, inde immediate inferri potest.

§. CXXX.

Nexus localis natura explicatur.

Locus relativus involvit nexum quendam entium entitativum. Locus enim relativus est determinatus modus, quo unum ens simultaneis coexistit (§. 129.). Atque adeo involvit coexistentiam entium. Quare, cum inde oriatur nexus quoad coexistentiam (§. 93. Ph. pr.), locus relativus involvit nexum quendam entium. Quod vero nexus ille sit entitativus docet §. 74. coll. §. 127.

COR. Ergo & hanc nexus entium entitativi speciem *nexum localem* nominare possumus. Quae itaque de nexu entitativo §. 75. seqq. dicta, etiam hic valent. Est ergo nexus ille localis extrinsecus (§. 75.), contingens (§. cit. Cor.). Et quoniam est nexus, etiam unum aliquod inde oriri debet (§. 175. Ph. pr.), &c. &c.

§. CXXXI.

Eius mutabilitas defenditur.

Omnis nexus localis entium est mutabilis, seu locus entis relativus mutari potest. Est enim nexus ille contingens (§. 130. Cor.). Quicquid vero contingens est, etiam, quatenus absolute spectatur, mutabile dici meretur (§. 159. Ph. pr.), atque adeo & nexus ille localis est mutabilis. Mutato vero hocce nexu, etiam locus entis relativus mutari debet (§. 157. Ph. pr. coll. §. 129. Cor. Ont.). Ergo propositio: locus entis relativus mutabilis est, illi substitui potest.

COR. I. Mutato loco entis relativo, etiam locus entis cuiusdam absolutus ut mutatus sit, necesse est (§. 129.). Quorundam itaque entium loca absoluta mutari posse, inde patet. In universalitatem vero huius principii infra inquiramus.

COR. II. Et ita patet, fieri posse, ut ens aliquod eum occupet locum, quem antea aliud quoddam ens occupavit.

§. CXXXII.

Ex qua mutatio intrinsecorum entis inferri nequit.

A mutatione nexus localis qua tali ad mutationem in entibus, quorum loca mutata sunt, factam non valet consequentia; seu *locus qua locus nihil mutat in intrinsecis entis, quod locum illum occupat.* E mutatione enim nexus localis qua tali non inferri potest, nisi mutatus quidam modus cum ceteris coexistendi (§. 129. 130. Cor.). Atque adeo inde inferri nequit, nisi mutatio quaedam relationis unius entis ad aliud ens (§. 93. & 40. Ph. pr.). Quare, cum a mutatione relationum ad mutationem intrinsecorum rerum, quibus dictae relationes attribuendae, non valeat consequentia, (§. 161. Cor. Ph. pr.) e mutatione nexus localis qua tali mutationem intrinsecorum entium, quorum loca mutata sunt, inferre minime licet. Quoniam itaque a mutatione loci entis ad mutationem intrinseci eius non valet consequentia (per dem.), principio illi substitui potest propositio: Locus qua talis nil mutat in entis, quod illum occupat, intrinsecis (§. 111. Ph. pr.).

COR. I. Cuius mutatio non involvit mutationem intrinseci entis, id salva entis essentia mutari potest (§. 40. Cor. Ph. pr.), universalitas itaque principii Cor. 1. §. 131. particulariter positi, legitime inde inferri potest. Idem etiam immediate patet ex §. 161. Cor. Ph. pr.

COR. II. Si ergo intrinsecorum entis quaedam, facta loci mutatione, simul mutata sint, effectus ille a mutatione loci qua talis dependere nequit, sed rationem suam in aliis quibusdam determinationibus ut habeat, necesse est.

Monitum.

SCH. Et hac ex ratione in commate etiam de mutatione nexus localis qua tali dixi, quoniam nihil hic spectari debet, nisi nuda mutatio loci. Atque adeo hocce principium obverti potest obiectionibus Clar. STRAEHLERI in den sogenannden Prüfungen, quibus principii, quod a mutatione loci ad mutationem rei non valeat consequentia, falsitatem corrobarare voluit.

§. CXXXIII.

§. CXXXIII.

Patet ex discursu, quem hucusque continuavi, nexum entium localem esse nexum entium quoad coexistentiam. Eiusmodi vero nexus est vel nexus quoad coexistentiam remotam, vel nexus quoad coexistentiam proximam (§. 76.). Ergo & localiter entia connexa esse possunt, tam quae remote, quam quae proxime coexistunt. Ex illo oritur respectus entium ad se invicem, quo plura ut remote coexistentia cogitari possunt, qui constituit notionem *distantiae abstractive sumtae;* & ex hoc oritur respectus entium ad se invicem, quo plura ut proxime coexistentia cogitari possunt, qui dat notionem *spatii.* *Distantia & spatium quid.*

COR. Tam itaque idea distantiae abstractive sumtae, quam idea spatii involvunt ideam loci relativi. Quae ergo de hoc §. 129. seqq. dicta, etiam de illis valent, patet v. g. quid sit nexus plurium *quoad spatium*, quod ex hoc nexu etiam unum oriatur &c. &c. Sed necesse modo est, ut ideae evolvantur, & quae inde in specie fluunt, notentur.

SCH. Dixi de *distantia abstractive sumta*, quatenus enim concretive atque determinate spectatur, valet Mathematicorum definitio, quod sit linea brevissima inter duo. Qua ex definitione etiam data per abstractionem deduci, eiusque ope loquendi usus probari potest. Qua ex ratione notare velis definitionem, quam citatus Dn. MUYS l. c. de distantia dedit, *quod nimirum sit negatus terminorum utriusque contactus.* De spatio infra speciatim dicam. *Definitio distantiae explicatur.*

§. CXXXIV.

Si duo entia ut distantia ponuntur, concipiuntur loca relativa remote coexistentium (§. 133. 139.). Locus relativus in relatione ad remote coexistens vocatur *situs.* Ergo & situs est determinatus modus, quo ens simultaneis remote coexistit (§. 129.), atque adeo locus, quo unum ab altero distat. *Situs quid.*

COR. I.

COR. I. Quae itaque de loco relativo §. 129. seqq. dicta, etiam de situ valent.

COR. II. Et quoniam distantia determinate spectata est linea brevissima inter duo (Sch. §. 133.). Lineae vero quantitas seu magnitudo tribui potest, atque adeo lineae vel aequales vel inaequales sunt (§. 48. Ph. pr.). Etiam distantiae determinatae in aequales & inaequales dividi possunt. Qua ex ratione etiam *situm eundem* habere dicuntur, quae aequali distantia a se invicem removentur. *diversum* vero *situm*, quae distantiis inaequalibus a se invicem removentur.

Ex quo idea plagae deducitur.

SCH. In transitu quaedam de plaga. Situs plurium entium ad unum aliquod commune referri posse, definitio situs immediate docebit. Qui eiusmodi relationem determinat, plagam entis determinare dicitur. Est itaque *plaga* respectus seu relatio situs plurium entium ad unum aliquod commune. Quae ergo de situ dicta, etiam ad plagam applicari possunt, si modo ea magis determinentur, quae notio plagae determinari, iubet. Sed non est, ut de hac pluribus hic dicatur.

§. CXXXV.

Spatium quando in concreto & quando in abstracto sumitur.

Iam etiam de spatio speciatim. *Spatium* generatim sumtum non esse nisi respectum entium ad se invicem, quo ut proxime coexistentia cogitari possunt, dixi §. 133. Eiusmodi respectus vel actu adest, vel tantummodo adesse potest. Si prius, *spatium in concreto*, & si posterius, *in abstracto sumi* dicitur.

COR. I. Vbi itaque non respectus plurium entium in coexistentia proxima cogitare licet, ibi nec idea spatii locum habet. Ubi ergo non sunt plura entia, ibi nec spatium concedere possumus.

COR. II. Si ergo ens quoddam non ex plurium entium nexu constat, illud spatium aliquod occupare dici nequit. Patet enim ex dictis, ens aliquod *occupare spatium*, si in illo plurium entium proximam coexistentiam cogitare licet.

COR. III. Et simul patet, quod, si Philosophi cum IOHANNE REGIO

REGIO l. c. spatium non repugnantiam existendi inter alia nominent, illud tantummodo valere de spatio in abstracto sumto.

COR. IV. Vnicum modo adhuc velim, ut hic notes consectarium, spatium scilicet in coexistentia entium idem esse, quod in successionibus tempus (§. 87. Ph. pr.). Ope ergo illius hoc, & ope huius illud magis magisque intelligi potest.

SCH. Distinguit etiam KEIL l. c. cum Philosophis Anglis spatium in *absolutum* & *relativum*, *illud*, quod sua natura absque relatione ad externum quodvis, semper manet similare & immobile; atque *hoc*, quod ad corpora quaedam refertur, per quae determinatur atque mensuratur, ita ut hocce cum illo semper idem sit magnitudine atque figura, licet non necesse sit, ut idem semper numero maneat cum eodem. Sed quae de loco §. 128. Sch. dixi, etiam hic valent, atque adeo patet, notiones illas non esse, nisi imaginarias. *Distinctio spatii in absolutum & relativum explicatur.*

§. CXXXVI.

Spatium qua spatium non est ens. Spatium enim qua spatium non est nisi respectus entium ad se invicem (§. 133.). Ergo ita possibile esse nequit, ut non sit determinatio alterius (§. 40. Ph. pr.). Atque adeo inter entia illud referri haut licet (§. 1.). *Spatium an sit ens.*

COR. I. Quae ergo de ente ut ente valent, de spatio minus accurate dicuntur. Absonum itaque est, spatium substantiam &c. &c. nominare.

COR. II. Et simul patet, quae §. 128. Cor. Cor. de loco dicta, etiam hic applicari posse.

SCH. Ita etiam IOHANNES REGIVS l. c. docet, spatia non esse entia realia, sed existere tantummodo in conceptu nostro ab rerum corporearum (generatim entium) ad se mutuo relationem, vide tamen, quae Cor. 3. §. 135. dicta; & ERHARDVS WEIGELIVS in *Philosophia mathematica*, spatium quod ubicativum dicitur, atque spatium temporis (ergo & spatium a Philosophis sumitur pro continuo, de quo in sequentibus) de se nihil esse &c. &c. *Fundamenta probandi usum loquendi indicantur.*

§. CXXXVII.

Fundamentum notionis de extenso.

Posito spatio ponendum etiam est continuum aliquod permanens, in quo unum est extra aliud. Posito enim spatio, poni debet coexistentia plurium entium proxima saltem possibilis (§. 135.). Sed plura entia non sunt possibilia, nisi ita, ut unum sit extra aliud (§. 7. & 8.). Posito itaque spatio, poni debet proxima coexistentia saltem possibilis plurium, quorum unum est extra aliud. Sed proxima plurium coexistentia involvit ideam continui permanentis (§. 76. Ont. & §. 86. coll. §. 87. Ph. pr.). Posito itaque spatio, etiam continuum aliquod permanens, in quo unum est extra aliud, poni debet.

COR. Quod vero spatium non sit hocce continuum in commate determinatum, non demonstratio solum, quo principium corroboratum, sed & notio spatii §. 133. data sufficienter docet.

§. CXXXVIII.

Extensum atque extensio quid.

Posito hocce continuo, ponitur unum (§. 93. & 175. Ph. pr.), atque adeo inde oritur notio *extensi*. Est enim *extensum* unum continuum permanens, in quo unum est extra alterum. Et eiusmodi continui abstractum dicitur *extensio*.

COR. I. Continuum itaque exprimit ideam extensi superiorem (§. 86. Ph. pr. coll. §. 33. Pr. Log.). Quae ergo de illo dicuntur, etiam de hoc valere debent, sed non vice versa (Cor. 1. §. cit. Log.). Et ita intelligimus, cur non in vita solum communi, sed & saepissime in scientiis continuitatis termino extensionis terminus substituatur. Ergo caveas, ne, si de extenso dicitur, datam extensi notionem statim substituas.

COR. II. Simul consequens est, 1.) ut, posito spatio, etiam extensum aliquod poni debeat (§. 137.). 2.) Vt extensum pro data definitione sit unum, quod pluribus entibus constituitur (§. 7. seqq.), 3.) ut entia, quatenus extensum constituunt, spectari tantummodo debeant, ut extra se existentia, atque adeo tantummodo ut numero diversa (§. 65. Ph. pr.). 4.) ut spatium occupare nequeat, nisi, quod sit extensum (§. 135. Cor. 2.). Sed de extenso pluribus infra.

SCH.

Notio spatii imaginaria explicatur.

SCH. Intelligimus inde originem notionis imaginariae, qua GASSENDVS l. c. aliique v. g. KEIL l. c. &c. spatium explicare voluerunt, quod scilicet sit extensum immobile ac incorporeum, ita ut eius dimensiones penetrabiles, in partes tamen divisibiles sint. Qua ex ratione etiam a citato KEIL speciatim dicitur ens similare & uniforme. Non sine commodo hac de notione imaginaria legi possunt Dn. BERNIER *Doutes sur quelques uns de principaux Chapitres de son Abrege de la Philosophie de Gassendi.*

§. CXXXIX.

Species extensi generatim indicantur.

Quicquid ut extensum spectatur, vel unico modo tale est, vel duplici modo, vel triplici. Istud dat *longitudinem* seu, ut cum Mathematicis loquar, *lineam*, illud *latitudinem* seu *superficiem*, atque hoc *profunditatem*. Omne itaque extensum aut est *longum*, aut *latum*, aut *profundum*.

COR. I. Extensi itaque idea est superior, cuius inferiores sunt longitudinis, latitudinis atque profunditatis ideae (§. 33. Pr. Log.), ab extenso ergo ad longitudinem, latitudinem atque profunditatem determinate non valet conclusio. Sed & de his infra pluribus.

§. CXL.

Contingentia extensi demonstratur.

Omne extensum est unum contingens. Extensum enim est nexus entium (§. 138. Cor.). Quare, cum omne unum, quod nexu entium constituitur, contingenter tale sit (§. 82. Cor.), omne extensum unum contingens sit, consequens est.

COR. I. Eodem modo patet, plura entia contingenter extensum constituere. Atque adeo omnem proximam entium coexistentiam in se spectatam esse mutabilem (§. 159. Ph. pr.). En! principium, ex quo etiam illud, quod §. 25. Ph. pr. de divisibilitate cogitabilis categorematice infinita dixi, deduci potest, si modo ens pro cogitabili ponatur.

COR. II. Plura hic facili negotio ex iis inferri possunt, quae de contingente in superioribus demonstrata. Sed sapienti sat.

§. CXLI.

Circumscriptive in loco esse quid.

Sufficienter hactenus de loco, situ, spatio atque extenso dictum

dictum esse videtur. Ante vero, quam huic capiti finem imponam, ut quid sit *repletive*, *circumscriptive* atque *definitive* in ubi seu loco esse, de quibus Philosophi dicunt, explicem, necesse esse iudicarent Lectores. Quoniam vero repletive atque definitive in loco esse ideam praesentiae, de qua in sequentibus, involvit, hic modo ideam τῶ circumscriptive in loco esse explicare possum. Et hanc ita accipe. Ens, quod locum occupat, aut simul occupat spatium, aut non vid. §. 135. Cor. 2. Si prius, *circumscriptive in loco esse* dicitur, si vero posterius, *circumscriptive in loco esse nequit*. Et huius species sunt τὸ repletive & τὸ definitive in loco esse, de quibus infra. Vid. ABRAHAMVM CALOVIVM *in Metaph. cit. l. c. p.* 288.

COR. I. Quicquid itaque spatium occupare nequit, nec circumscriptive in loco esse potest. Quicquid ergo non est extensum, ut circumscriptive sit in loco, impossibile est (§. 138. Cor. 2.). Ergo nec, quod ex pluribus entibus constat, locum quendam circumscriptive occupare potest (l. c.).

COR. II. Quicquid circumscriptive est in loco, id est extensum (Cor. 1.). Quicquid est extensum, pro definitione §. 138. data, est contingens (§. 140.). Ex eo ergo, quod quid sit circumscriptive in loco, legitime inferri potest, quod sit contingens. Quare, quae de contingente in superioribus explicata atque demonstrata sunt, etiam hic applicari possunt &c. &c.

CAP. II.

DE CONSECTARIIS NEXVS SVBSTANTIALIS ATQVE ENTITATIVO-SVBSTANTIALIS ET SPECIATIM DE PRAESENTIA ATQVE VNIONE.

§. CXLII.

Praesentia quid.

POsito entium nexu subsantiali vel entitativo-subsantiali, ut eorum unum in alterum agat, necesse est (§. 84. & 74. Cor. conf. §. 84. Cor. 1.). Si ens A in aliud ens B agit, *illud huic*

huic praesens esse dicitur. Posito itaque eiusmodi entium nexu, necesse est, ut unum alteri sit praesens. Atque adeo *praesentia* est relatio entis ad ens ex actione unius in alterum concipienda. Et ita generatim illud *enti A praesens* est, quod in hocce agit.

COR. I. Quicquid itaque non involvit nexum entium substantialem, nec nexum entium entitativo substantialem, ex illo nec praesentia inferri potest (§. 84. Cor. 1.), sed solus nexus entitativus entium, dictos nexus non involvit (§. 74.), ergo & sine sufficiente ratione ex solo nexu entitativo entium, connexorum unum alteri praesens esse, infertur.

COR. II. Entitative connexa qua talia proxime coexistere possunt (§. 76.), ex nuda itaque entium coexistentia, eorum unum alteri praesens esse, sufficienter probari nequit (Cor. 1.).

COR. III. Posita vero actione entis in ens, ut illud huic praesens sit, legitime sequitur. Si ergo ens A ab ente B sustentatur, ut hocce B illi A praesens sit, consequens est (§. 34.) &c. &c.

SCH. Omnes fere veteres Philosophi praesentiam per adessentiam explicarunt. Quod vero nuda adessentia ad praesentiam non sufficiat, ex eorundem scriptis sufficienter inferri potest. Quaerenda itaque est adessentiae praesentiae notionem constituentis differentia specifica. Voluit quidem PAVLVS SLEVOGT *in Disp. cit. th. 17. §. 2. seqq.* cum aliis hancce differentiam specificam in cognitione ponere, *plura sibi praesentia dici non posse, nisi unum eorum sit cognoscens, & vel videat oculo, vel cognoscat intellectu caetera*, docens; quoniam vero eiusmodi praesentiae conceptus minime notionem eius generaliorem exhibet, sed eam tantummodo, quae vulgo apparet, cum ABRAHAMO CALOVIO Met. cit. p. 186. aliisque adessentiam, si praesentiam constituat, *operosam* atque *negotiosam* esse debere, affirmare licebit. Et ita usus loquendi ex dictis sufficienter probari potest. *usus loquendi probatur.*

§. CXLIII.

Gradus praesentiae fundamentum indicatur.

Ens A enti B eo modo praesens est, quo illud in hocce agit (§. 142.). Sed actioni entis in aliud ens quantitas tribui potest (§. 55. seqq.). Ergo & inde quantitatem praesentiae intelligere licet. *Quo magis itaque ens A in aliud ens B agit, eo magis etiam illud huic praesens est.*

COR. I. Praesentiae itaque notioni non repugnat, ut unum ens A variis entibus simul, licet uni magis quam alteri, praesens sit.

COR. II. Quod vero, si ens aliquod alteri enti magis praesens sit, quam antea fuit, mutatio illius entis inde inferri nequeat, immediate ex §. 142. Ont. coll. §. 161. Ph. pr. patebit. Plura ex iis, quae de actione entis in aliud ens in superioribus demonstravi, facili negotio etiam hic inferri possunt.

§. CXLIV.

Fundamentum praesentiae substantialis.

Si ens aliquod alteri enti vere praesens est, illud qua substantia huic praesens esse debet. Si enim ens A alteri B vere praesens est, A in B agit (§. 142.). Ens vero, quod in aliud agit, eo etiam respectu ut agens spectari debet. Si ergo de ente A, quod alteri B praesens sit, dicitur, eo etiam respectu ens illud A ut agens spectari debet. Quare, cum ens qua agens ut substantia spectari debeat (§. 26. Cor. §. 10. & 12.), si ens A alteri B vere praesens sit, ut illud qua substantia huic praesens sit, consequens est.

COR. I. Qua ex ratione etiam ejusmodi praesentia a nonnullis vocatur substantialis. Si ergo de praesentia quadam non substantiali dicitur, illa praesentia esse nequit, nisi ἀναλόγως sic dicta.

§. CXLV.

Praesentia quando proxima quando non.

Iam species quasdam praesentiae generatim indicabo, speciatim de illis infra. Est A alteri praesens, si in hocce agit (§. 142.). Quoniam vero nullum ens in distans agere potest (§. 93.); necesse est, ut illud ens in hocce vel ut proxime coexistens, vel ut in hocce interventu aliorum agat

agat (vid. §. cit. Cor. 1.). Si prius, praesentia ab acutissimo CANZIO in civit. Dei vocatur *proxima*, si verò posterius, *non-proxima*.

COR. Si A in B agit, illud huic vere praesens est (§. 142.), ergo duplex substantialis praesentiae concipi potest species (§. 144. Cor.).

SCH. I. Cave tamen, ne, praesentiam proximam & non-proximam dictam diversos praesentiae gradus esse, affirmes. Hos enim ex quanto actionis entis in ens deducendos esse, docui §. 143. *Monitum.*

SCH. II. Sufficienter ex dictis patet, fieri posse, ut rebus corporeis assueti praesentiae ideam in eo ponant, *quod ens in determinata quadam spatii imaginarii parte existat*, quo etiam conceptu *praesentiam illam localem*, seu, ut cum Clar. CHRIST. KORTHOLTO in not. ad Epist. XXII. in Tom. I. LEIBNITII loquar, *praesentiam dimensionalem* nominant. Quod vero eiusmodi notio non sit realis, sed modo imaginaria, brevissimis ita evinco: Eiusmodi entis existentia si sit, qua talis, nexum entium efficere nequit, nisi entitativum (§. 74. & 76.). Praesentiae vero idea supponit nexum entium saltem ex parte substantialem (§. 142. coll. §. 84. Cor. 1.). Atque adeo dicta illa existentia, si sit, praesentiae ideam porrigere nequit (§. 74.). vid. Cor. §. 142.. Eiusmodi itaque de praesentia notio inter imaginarias summa cum ratione referri debet. *De Praesentia locali.*

§. CXLVI.

Si plura in se distincta unum constituunt, *illa unita* esse dicuntur. Ergo & actus, quo uniuntur, *unio*, sed rectius *unitio* dicitur, & status ille, quo ut unum considerari debent, κατ εξοχην *unio* nominatur. Quae tandem unita sunt, *extremorum unionis* acceperunt nomen. *Vnio generatim quid.*

COR. Non ergo solum ex extremorum unionis diversitate, sed & ex diversitate modi, quo unum constituunt, variae tam unitionis, quam unionis species deduci possunt. Sed permulta ex illis, quae in superioribus de unitate demonstrata, hic inferri possunt

sunt consectaria, quaedam modo sed brevissimis in sequentibus adponam.

§. CXLVII.

Quando accidentalis quando realis.

Extrema illa unionis, seu quae ut unum constituentia spectantur, sunt vel accidentia vel non. Et si posterius, vel sunt entia, vel eorum unum est accidens (dicitur de accidente metaphysico) & alterum ens (§. 1.). Ex priori & ultimo oritur *unio accidentalis*, & ex medio *unio realis* vid. IACOBI MARTINI *Partition. Metaph. p.* 116.

COR. Vnionis itaque accidentalis extrema essentialiter distincta esse nequeunt, licet unionis realis extrema, inter essentialiter distincta referri debeant (§. 3. Cor.).

§. CXLVIII.

Realis est vel interna vel externa.

Posita unione reali, varia entia unum constituunt (§. 147.), atque adeo connexa sunt (§. 175. Ph. pr.). Sed nexus ille esse potest vel intrinsecus vel extrinsecus (§. 92. Ph. pr.). Ergo & *unionem realem* in *internam* & *externam* dividere licet. Posita nimirum illa, determinatio, vi cuius dicta entia connexa sunt, unius connexorum interna; & posita hac, determinatio illa unius connexorum externa est (§. cit.).

§. CXLIX.

Quarum fundamentum indicatur.

Posito nexu entium entitativo, etiam unio realis externa: & posito nexu entium substantiali vel saltem entitativo-substantiali, etiam unio realis interna ponenda est. Entia enim entitative connexa unum constituunt ob nexum extrinsecum (§. 75. & 77.), non ergo solum realiter unita sunt (§. 147.), sed & unio, quae inde oritur, est externa (§. 148.). Q. e. p.

Quod entia, quibus nexus substantialis vel entitativo substantialis intercedit, realiter unita sint, immediate ex §. 146. seq. coll. §. 175. Ph. pr. patet. Quod vero unio, quae inde oritur, sit interna, ita evinco: Dictus ille nexus entibus ideo intercedit, quoniam eorum unum in alterum agit (§. 84.

(§. 84.), atque adeo quoniam eorum unum efficit, ut alteri aliquid actuale competat (§. 84. Cor.). Determinatio itaque quaedam hujus intrinseca est dicti nexus terminus (per dem. §. 90. Ont. coll. §. 40. & 94. Cor. 1. Ph. pr.), consequenter unio, quae inde oritur, interna esse debet (§. 148.).

COR. I. Ex diversis itaque modis, quibus varia entia entitative connecti possunt, diversae etiam unionis externae realis species deduci possunt. Entitative vero illa connecti possunt vel quoad coexistentiam proximam vel quoad coexistentiam remotam (§. 76.) &c. &c. Ergo & unionem illorum externam in remotam & proximam dividere licet.

COR. II. Et ex diversis modis, quibus entia saltem ex parte substantialiter connecti possunt, etiam diversæ unionis internae fluunt species. Substantialiter vero connectuntur entia, quatenus unum in alterum agit (per dem. §.). Huius ergo unionis species ex diverso modo, quo unum ens in alterum agit, deduci possunt. Plura hic ex iis inferri possunt, quae de nexu substantiali demonstrata &c. &c.

COR. III. Simul ex dictis inferri potest, unionem realem solummodo externam dependere a nexu entium entitativo: unionem vero realem internam a nexu entium saltem ex parte substantiali.

§. CL.

Posita unione entium reali interna, eorum unum alteri praesens est, quod vero ex unione reali externa non immediate fluit. Si enim entia realiter atque interne unita sunt, etiam saltem ex parte substantialiter connexa esse debent (§. 149. Cor. 3.). Entia vero substantialiter connexa sunt, quatenus eorum unum in alterum agit (Cor. 2. §. cit.). Ergo & entium realiter atque interne connexorum unum alteri praesens esse debet (§. 142.). Q. e. p. *Praesentia entium quando ex unione inferri potest.*

Ponamus porro, entia tantummodo realiter atque externe connexa esse, ex illo immediate inferri nequit nisi

nexus eorum entitativus (§. 149. Cor. 3.). Quare, cum ex nexu entium ſolummodo entitativo eorum unum alteri praeſens eſſe inferri nequeat (§. 142. Cor. 1.), a nuda entium unione reali atque externa, alterum ens alteri praeſens eſſe, immediate non poteſt concludi. Q. e. a. Vellem ut hic legas CHRISTIANI DONATI *Metaph. uſual. Loc. VII. Reg. Met.*

COR. Praeſentiae quantitatem tribuere licet (§. 143.). Ergo & fieri poteſt, ut unioni entium reali atque internae tribuatur quantitas. Quo maior itaque eſt illa praeſentia, eo maior etiam eſt haec entium unio.

SCH. Plura hic facile ex iis inferri poſſunt, quae de actione entis in aliud ens, eiusque actionis quantitate §. 64. ſqq. explicavi.

§. CLI.

Extremum unionis nobilius & ignobilius quid.

Poſita entium unione reali atque interna, eorum unum in alterum agit (§. 150.). Huius itaque unionis extrema duplicis ſunt ſpeciei (§. 146.); Id nimirum, quod in alterum agit, ab eo, in quod agit, diſtingui debet. Illud extremum unionis dictae *nobilius*, hocce vero eiusdem unionis *ignobilius extremum* nominatur. vid. DONATVM l. c. Cap. 3. p. 48.

COR. Extremum itaque dictae unionis nobilius extremo ignobiliori praeſens eſt (§. 42.). &c. &c.

§. CLII.

Communicatio affectionum quo ſenſu impoſſibilis

Abſolute impoſſibile eſt, ut eſſentia rei unius fiat eſſentia rei alterius, ab illa alias eſſentialiter diverſae. Eſſentia enim rei eſt primum, per quod res eſt illa res, quae eſt (§. 15. Ph. pr.). Si ergo eſſentia rei A fiat eſſentia rei B ab illa alias eſſentialiter diverſae, primum per quod A eſt A, fieri debet primum, per quod B eſt B, licet ab A alias eſſentialiter diverſa ſit. Si vero primum, per quod A eſt A, idem eſt ac primum, per quod B eſt B, A ſimul A & B eſſe debet. Quare, cum A ab B eſſentialiter ſit diverſum (per hyp.), fieri

fieri debet dictis sub determinationibus, ut A simul sit A & aliquid ab A essentialiter diversum. Quoniam vero ab A essentialiter diversum est non-A (§. 187. Ph. pr.); dictis sub determinationibus fieri debet, ut A simul sit A & non A. Quare, cum hoc inter contradictoria referri debeat (§. 6. Ph. pr.), ut essentia rei unius fiat essentia rei alterius, ab illa alias essentialiter diversae, absolute impossibile est (§. 11. & §. 12.).

COR. I. Si entis A essentia entis B essentia esse nequit, nec illius attributa propria hujus attributa esse possunt (§. 122. Cor. 1. Ph. pr.). Ergo & absolute impossibile est, ut attributa propria rei unius fiant attributa alterius, ab illa alias essentialiter diversae.

COR. II. Recte ergo hoc sensu, *essentias atque adeo proprietates rerum incommunicabiles esse*, dicitur. Quod vero principium ab aliis rectius ita enunciatur: *non datur essentiarum atque adeo nec proprietatum rerum communitas.* Rationem vero dicti in sequentibus indicabo.

§. CLIII.

Quid sit communicatio.

Si, quod de A dicitur, etiam de B dici potest, *dicto A illud cum B commune esse* dicitur. Si itaque A efficit, ut sua praedicata etiam alteri B competant, ens A alteri B praedicata illa communicasse dicitur. Ergo & actus, quo A illud efficit, nominatur *communicatio.*

COR. Facta itaque communicatione fieri nequit, ut proprietates illius A sint proprietates alterius B (§. 152. cum Cor. Cor.). Atque adeo *to* competere illi B ab esse illius B accurate distingui debet. Qua ex ratione etiam a Philosophis dicitur, quod, quae ens alteri communicavit, non definant esse illius propria, licet utrique vere competant, diverso vero habendi modo. Communicanti nimirum formaliter, subiective, per se & primario; communicato vero per aliud, secundario, atque communicative competant.

§. CLIV.

Quae vel verbalis vel realis.

Si A efficit, ut praedicata sua alteri B competant, illa huic competunt vel in se, vel solummodo quoad cognitio-

nem noſtram. Ergo & duplex communicationis ſpecies inde cogitari poteſt. Ex priori nimirum oritur *communicatio verbalis*; & alterum dat *communicationis realis* characterem diſcretivum.

COR. Si itaque ſola communicationis verbalis idea ponenda eſt, ex illa, ſi res in ſe ſpectantur, nulla communicatio inferri poteſt.

§. CLV.

Ex quibus deducitur quo ſenſu affectionum communicatio fieri poſſit.

Si ens A in aliud ens B agit, neceſſe eſt, ut A, quatenus in B agit, illi B praedicata ſua realiter communicet. Si enim ens A in aliud B agit, A efficit, ut dicto B aliquid actuale competat (§. 84.). De B itaque dicenda ſunt, quae ſunt effectus ipſius A (§. 12.). Quare, cum effectus de ſuis cauſſis dici poſſint, (§. 12. & 98.), A dictis ſub determinationibus efficit, ut ſua praedicata, quatenus in alterum agit, etiam alteri competant. Atque adeo eo reſpectu praedicata ſua alteri communicat (§. 153.). Quod vero communicatio haec ſit realis, ex modo dictis, coll. §. 154. immediate ſequitur.

COR. I. Quatenus itaque ens A alteri B praeſens eſt, eatenus etiam illud huic praedicata ſua communicat (§. 142.). Recte ergo & affirmatur, pro quantitate praeſentiae differre quantitatem communicationis praedicatorum (§. 143.). Quae itaque §. 143. ſeqq. de praeſentia dicta, etiam hic applicari poſſunt.

COR. II. Poſita unione reali interna, extremorum unionis nobilius in ignobilius agit (§. 149. Cor. 2.). Ergo & eatenus illud huic praedicata ſua realiter communicat, quatenus in hocce agere dici poteſt.

SCH. Et ita rationem ſub fine Cor. 2. §. 152. dicti intelliges. Et ſimul patet, quod, ſi unioni reali accidentalis atque verbalis ſubſtituatur, unio inde eodem modo communicatio accidentalis atque verbalis inferri poſſit. Sed de his dicta hic ſufficiant. Vellem tamen, ut hic legas, quae de unione atque communicatione DONATVS l. c. Cap. VI. explicavit.

§. CLVI.

§. CLVI.

Repletive atque definitive in loco esse ideam praesentiae involvere §. 141. dixi. Hac itaque hactenus explicata, etiam ut illae evolvantur, necesse est. Explicabo ergo primo earum genus, & deinde species illae facile inferri possunt. Dicitur vero de A, quod *non circumscriptive in loco sit*, quatenus illi ea ex ratione tribuitur locus, quoniam alteri praesens est. Cuius dictionis fundamentum §. 142. & §. 93. sufficienter indicant. Ex diversitate ergo eorum, quibus alter praesens est, diversoque praesentiae modo oritur *το* repletive atque definitive in loco esse, ut etymologia vocum sufficienter docet. *Ex explicatis infertur quid non circumscriptive in loco esse.*

COR. Posita unione reali interna, extremorum unionis nobilius ignobiliori praesens est (§. 151. coll. §. 142.), ergo & hac ex ratione de illo dici potest, quod sit in loco, licet non circumscriptive. Plura ex iis, quae de praesentia hactenus explicata facili negotio hic inferri possunt.

ONTOLOGIAE
SECTIO V.
DE
QVIBVSDAM ENTIVM QVA TALIVM DIFFERENTIIS EX EORVM PERFECTIONE ATQVE IMPERFECTIONE CONCIPIENDIS GENERATIM.
CAP. I.
DE
LIMITATO ATQVE ILLIMITATO
SEV
FINITIO ATQVE INFINITIO.

§. CLVII.

ENtia spectari possunt vel quatenus sunt composita atque simplicia, vel quatenus sunt entia. De illis sequentia *Ratio instituti.*

Metaphyſices capita agent. De horum perfectione atque imperfectione, & quae inde oriuntur, hic dicam. Si vero ens qua tale ſpectatur, in illo nil ſupponere licet, niſi eſſentiam entis (§. 2. Pr.). Quas ergo inde concipere poſſumus perfectiones atque imperfectiones breviſſimis, ſufficienter tamen, explicabo.

§. CLVIII.

Ens finitum & infinitum definiuntur.

Poſito ente, ponenda etiam eſt eſſentia eius, per quam eſt illud ens, quod eſt (§. 15. Ph. pr.). Haecce vero eſſentia, vel eiusmodi eſt, ut ens, quod per illam ponitur, ſalva entitate perfectius eſſe poſſit, vel ens illud ſalva entitate perfectius eſſe nequit. Si prius, obvii entis eſſentia admittit terminos, non vero ſi poſterius (§. 23. Ph. pr.). Ergo & priori reſpectu ens illud vocatur *finitum;* poſteriori vero *infinitum.*

COR. I. Ens igitur finitum ſalva entitate perfectius eſſe poteſt, non vero ens infinitum. Ergo & infinitum ens dici poteſt, quod omni finito ente perfectius. vid. Sch. §. 23. Ph. pr. Atque adeo ens, quo perfectius concipi poteſt, finitum eſt.

COR. II. Quo plures itaque in obvio ente deſunt perfectiones, quae ſalva entitate enti ineſſe poſſunt, eo magis etiam obvium ens finitum eſt.

Vſus loquendi probatur.

SCH. Ens finitum ab aliis etiam dicitur *limitatum*, & infinitum *illimitatum*, quoniam, quod §. 23. Ph. pr. terminum dixi, *limitem* nominant, ſed res explicaſſe ſufficiat, in terminis enim faciles eſſe poſſumus. Quod vero datae definitiones cum uſu loquendi Philoſophorum conveniant, omnes fere Metaphyſices inſtitutiones ſufficienter docent, ita enim Philoſophi etiam veteres: *infinitum eſt, cui repugnat habere eſſentiae terminos; & finitum eſt, quod de ſe, id eſt eſſentialiter terminos habet, quibus limitatur.* Patet ſimul ex dictis, quo reſpectu, finiti atque infiniti explicationes Ontologicae cum illorum explicationibus mathematicis convenire, dici poſſit. Mathematicis enim *finitum* eſt, cui aſſignari poſſunt termini, ultra quos

quos augeri potest, & *infinitum*, in quo nulli assignari possunt limites, ultra quos augeri amplius nequeat.

§. CLIX.

Quicquid in finito, qua finito, rationem habet sufficientem metaphysicam, id etiam finitum esse debet. Et quicquid rationem illam habet in infinito, qua infinito, etiam infinitum ut sit, necesse est. Quicquid enim in finito, qua finito, rationem sufficientem metaphysicam habet, id in se spectatum rationem suam in finito, qua finito, ita habet, ut nil amplius requiratur, ut sit ita, nec aliter (§. 96. & 98. Ph. pr.). Ergo quatenus est tale, sufficientem rationem in finito, qua finito, habet. Sed finitum est eiusmodi, quo adhuc maius datur (Sch. §. 23. Ph. pr.). Ergo illud qua tale rationem sufficientem habet in aliquo, quo adhuc maius datur, qua tali. Atque adeo & illud eiusmodi esse debet, ut illo maius dari possit (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.). Quare, cum id, quo adhuc maius datur, finitum sit (Sch. §. 23. Ph. pr.), quicquid in finito, qua finito, rationem habet sufficientem metaphysicam, etiam finitum esse debet. Q. e. p.

Fundamentum aliquod demonstrandi finitudinem atque infinitudinem indicatur.

Quicquid in infinito, qua infinito, rationem sufficientem metaphysicam habet, id quatenus est tale, rationem sufficientem habet in infinito, qua infinito (quod eodem modo patet, ut in demonstratione primi membri probatum est). Sed infinitum est, quo non maius est possibile (§. 23. Sch. Ph. pr.). Ergo illud qua tale in eo, quo non maius possibile est, qua tali, rationem habet sufficientem. Ergo & illud eiusmodi esse debet, ut illo maius dari nequeat (§. 96. Cor. 1. & §. 111. Ph. pr.). Quare, cum id, quo maius possibile esse nequit, infinitum dicatur (§. 23. Sch. Ph. pr.), quicquid in infinito, qua infinito, rationem sufficientem metaphysicam habet, etiam inter infinita referri debet. Q. e. a.

COR. Patet itaque ex demonstratis, aliud esse in infinito rationem sufficientem metaphysicam habere, aliud eam in infinito, qua infinito, habere. De ultimo principium in commate positum demonstratum est, non vero de primo.

§. CLX.

§. CLX.

Ex quo finitudo atque infinitudo attributorum infertur.

Posito ente finito, essentia eius finita est; & posito ente infinito, essentia eius infinita est (§. 158.). Sed attributa entis rationem sufficientem metaphysicam in essentia dicti entis qua essentia habet (§. 122. Ph. pr.). Ergo & enti finito non attributa nisi finita, & enti infinito non attributa nisi infinita competere possunt (§. 159.).

COR. I. Quicquid igitur est ens, cui attributum aliquod infinitum competit, id etiam est ens infinitum. Et cui attributum aliquod finitum competit, etiam inter entia finita referri debet.

COR. II. Et quoniam ens obvium per essentiam est eiusmodi ens (§. 15. Ph. pr.), & posita essentia, etiam attributa entis, cui essentia illa competit, ponenda sunt, & vice versa (§. 122. Cor. 1. Ph. pr.). Recte dicitur, ens, quod ex una parte finitum est, ex omni parte finitum esse debere, & quod ex una parte sit infinitum, ex omni etiam parte infinitum esse; seu, ut cum Philosophis dicam: *finitum non est capax infiniti.*

§. CLXI.

Entia quae finita.

Hactenus de ente finito generatim, iam speciatim de illis agam, quo eorum differentia magis magisque intelligi, atque perspici possit. Ens finitum esse, quo ens perfectius possibile est, dixi §. 158. Sed entia mere passiva imperfectiora sunt entibus activo-passivis, & entia activo-passiva imperfectiora sunt entibus mere activis (§. 25.). Ergo & tam mere passiva, quam activo-passiva entia inter finita referri debent.

COR. I. Quicquid est finitum, ens infinitum esse nequit (§. 157. & 152.). Ergo & fieri nequit, ut entia mere passiva & activo passiva sint infinita. Atque adeo ens infinitum ens mere activum esse debet. (§. 20.).

COR. II. Ex iis ergo, quae de mere passivis entibus, qua talibus, atque de entibus activo-passivis qua talibus in superioribus demonstravi, permulta fluunt principia, ex quibus obvii entis finitudinem demonstrare licet.

COR. III.

COR. III. Entia ergo, quatenus agere nequeunt, nisi per principium aliquod externum efficiens, non sunt nisi finita (§. 15. & 20.). Atque adeo infinita esse nequeunt (Cor. 1.). Quae ergo de eiusmodi actionibus in superioribus demonstrata, non valent de infinito, sed solummodo de finito.

COR. IV. Entia sunt vel mere passiva, vel activo-passiva, vel activa (§. 20.). Mere passiva & activo-passiva sunt finita: seu entia, quatenus sunt passiva, inter finita referri debent. Quaerendae itaque sunt determinationes, sub quibus ens mere activum finitum, & sub quibus infinitum dici possit.

§. CLXII.

Eorum characteres nonnulli indicantur.

Eodem modo patet, *quod entia, quae sunt substantiae incompletae, & entia, quae sunt non suppositа, inter finita referri debeant.* Si enim sunt substantiae incompletae, entia, quae substantiae completae, illis perfectiora sunt (§. 23. Cor.); & si sunt non-suppositа, etiam entia, quae suppositа, illis perfectiora sunt (§. 35. Cor.). Ergo & incompletae substantiae, atque entia non-suppositа inter entia finita locum habere debent (§. 158. Cor. 1.).

§. CLXIII.

Sequentes itaque ex dictis facili negotio inferri possunt conclusiones:

Conclusiones inde inferendae.

Entia, quae contingenter tantummodo sunt substantiae completae, & quae contingenter tantummodo sunt suppositа, inter finita referri debent. Quicquid enim salva essentia sua in statu substantialitatis incompletae, & quod salva essentia sua in statu substantialitatis non-suppositum esse potest, id est finitum (§. 162.). Quicquid vero contingenter est substantia completa, vel contingenter est suppositum; etiam salva essentia sua in statu substantialitatis incompletae, vel in statu substantialitatis non suppositum esse potest (§. 145. Ph. pr.), atque adeo, ut inter finita referatur, necesse est.

COR. I. Inde infero. Ens activum, cuius vis eiusmodi esse potest, ut tantummodo in actu primo existat, salva essentia sua

in ſtatu ſubſtantialitatis incompletae eſſe poteſt (§. 12. Cor. §. 23. coll. §. 28. Ph. pr.). Ergo & eiusmodi ens activum eſt finitum. Sed ens activum, quod ab alio in agendo impediri poteſt, eiusmodi eſt ens activum (§. 104. Ph. pr. §. 33. Ont.), atque adeo ens activum, quod ab alio in agendo impediri poteſt, eſt finitum.

COR. II. Ens finitum contingenter ſubſtantia completa eſſe poteſt. Sed ex eo, quod ſubſtantia A ſit contingenter completa, ut etiam contingenter exiſtat, immediate inferri nequit (§. 37.). Neceſſe igitur eſt, ut contingentem finiti exiſtentiam demonſtraturus, alia adhuc eruat fundamenta, quam nudam illam ſubſtantiae contingentiam. Quae in principia deinde inquiramus.

§. CLXIV.

Ex quibus entis infiniti characteres nonnulli inferuntur.

Ens, quod ſit infinitum, abſolute neceſſario ſubſtantia completa atque ſuppoſitum eſſe debet. Ens enim, quod ſit infinitum, ſubſtantia completa atque ſuppoſitum eſſe debet (§. 162.). Ergo vel contingenter vel abſolute neceſſario. Si prius, eſt ens finitum (§. 163.). Sed ens finitum infinitum eſſe nequit (§. 161. Cor. 1.). Ergo poſterius eſſe debet.

COR. I. Ens infinitum, ſi poſſibile, activum eſſe debet (§. 161. Cor. 1.). Ergo ens infinitum eſt ens activum, quod 1.) abſolute neceſſario in ſtatu ſubſtantialitatis completae, & 2.) abſolute neceſſario ſuppoſitum eſt.

COR. II. Ex primo ita argumentor: Quicquid abſolute neceſſario in ſtatu ſubſtantialitatis completae eſt, illius vis perpetuo eſt in actu ſecundo, ſeu illud perpetuo agit (§. 33. & §. 11. Sch. Ont. coll. §. 146. Ph. pr.). Ergo ens infinitum, ſi poſſibile, in perpetua actione eſſe debet. Atque adeo ens, cuius vis ita exiſtere poteſt, ut ſolummodo ſit in actu primo, ens infinitum eſſe nequit. vid. Cor. 1. §. 163.

COR. III. Ens activum, quod in agendo impediri poteſt, eiusmodi eſt ens activum, cuius vis in ſolo actu primo eſſe poteſt (§. 163. Cor. 1.). Ergo ens infinitum eſt activum, quod ab alio in agendo nunquam impediri poteſt (Cor. 2.). Cave tamen, ne a com-

a completum esse ad hoc vel illo modo completum esse, vel ab agere ad hoc vel illo modo agere immediate velis concludere.

COR. IV. Ex altero charactere, Cor. 1. posito, ita argumentor: Quicquid absolute necessario suppositum est, illud aliunde nulla ratione sustentari potest (§. 35. Ont. & §. 146. Ph. pr.). Atque adeo ita agere nequit, ut ab alio determinetur, ut hoc & non alio modo agat (§. 34. Cor.). Quicquid itaque ab alio sustentatur, seu dicto modo determinatur, non infinitum, sed finitum est.

SCH. Plura ex iis, quae de virium perfectione atque imperfectione in superioribus demonstrata, facili negotio hic inferri possunt consectaria. Sed indicata sufficere iudicans reliquorum deductionem meditationibus Lectorum concedam. Inquiramus modo in sequentibus in entis infiniti possibilitatem, & in finiti contingentiam. *Monitum.*

§. CLXV.

Ens infinitum est ens necessarium seu ens primi ordinis. Quicquid enim est ens infinitum, id absolute necessario est in statu substantialitatis completae (§. 164. Cor. 1.). Quicquid vero absolute necessario in statu substantialitatis completae est, idem absolute necessario in statu substantialitatis esse debet (§. 33. Ont. coll. §. 146. Ph. pr.). Ergo & ens infinitum absolute necessario in statu substantialitatis est. Quare, cum eiusmodi ens sit ens necessarium seu primi ordinis (§. 42.), ens infinitum, ut sit ens necessarium, necesse est. *Alii entis infiniti characteres.*

COR. Patet itaque 1.) Statum substantialitatis entis infiniti esse metaphysice independentem (§. 45.), seu ens infinitum independenter existere (si nimirum sit possibile) (§ 73. Cor. Ph. pr.). 2.) Quicquid ens contingens seu secundi ordinis, illud etiam esse ens finitum (§. 42.). Plura itaque ex iis, quae de ente necessario & contingente in superioribus demonstrata, etiam hic facili negotio inferri possunt.

§. CLXVI.

Enti infinito nulli ineſſe possunt modi proprie sic dicti. Si enim enti infinito insint modi proprie sic dicti, illi affectio- *Adhuc alii ex negatione modorum.*

nes tribuendae sunt, quarum ratio fiendi extrinseca (§. 125. Ph. pr.), atque adeo per vim alterius entis illi insunt affectiones (§. 10. & 6.). Quare, cum ens infinitum sit ens activum, cuius vis semper in actu secundo est (§. 161. Cor. 1. & §. 164. Cor. 2.), si enti infinito insint modi proprie sic dicti, enti activo, quod in perpetua est actione, per vim alterius entis affectiones quaedam insunt. Atque adeo ens illud infinitum ab hocce ente vel in existendo vel in agendo dependet (§. 33. & 26.). Sed prius esse nequit (§. 165.), & posterius, posita entis infinitudine, contradictorium est (§. 164. Cor. 4. coll. §. 43.). Ergo & enti infinito nulli inesse possunt modi proprie sic dicti.

COR. I. Ens itaque, cui modi proprie sic dicti, competunt, inter finita ut referatur, necesse est.

COR. II. Et simul velim, ut notes principia, quae ex dictis sufficienter patent, quod nimirum ens infinitum tam in existendo quam in subsistendo sit sensu metaphysico independens. Atque adeo ens, quod vel in existendo vel in subsistendo sit dicto sensu dependens, finitum esse debeat. Inquiramus in veritatem horum principiorum universaliter conversorum.

§. CLXVII.

Contingentia finiti demonstratur.

Ens finitum salva finitudine non-existens esse potest. Quicquid enim eiusmodi est, ut salvo eo ens aliquod adhuc perfectius esse possit, id salva finitudine enti finito competere potest (§. 158. Cor. 1.). Sed nuda entis possibilitas eiusmodi est, ut salva ea ens aliquod adhuc perfectius esse possit (§. 41. Cor. 3.), ergo & ens finitum salva finitudine non-existens esse potest (§. 72. Ph. pr.).

COR. I. Ens itaque finitum si existit, ut contingenter existat, consequens est (§. 145. Ph. pr.). Quare, cum ens, quod contingenter existit, finitum sit (§. 165. Cor.), & ens finitum existens contingenter existat, absolute necessario existens infinitum esse debet.

COR. II. Quicquid vero absolute necessario existit, est ens necessarium seu primi ordinis (§. 41.). Ens itaque necessarium seu primi ordinis est infinitum ens.

COR. III.

COR. III. Omne ens contingens est finitum & vice versa (§.165. Cor. & h. §.). Ergo consequens est 1.) ut ens, quod ex nexu plurium entium constat, sit finitum (§. 82. Cor.). 2.) Vt omne ens, quod est extensum, sit finitum (§. 140.). 3.) Vt omne ens mere passivum & omne ens activo-passivum sit contingens. 4.) Vt omne ens activum, quod ab aliis in agendo impediri potest, sit contingens (§. 163. Cor. 1.) &c. &c.

§. CLXVIII.

Dependentia finiti ab infinito demonstratur.

Si ens aliquod finitum existit, necesse etiam est, ut existat ens aliquod infinitum, a quo illud, ut existens dependet. Ens enim finitum est contingens (§. 167. Cor. 1.), sed ens contingens, si existit, ab ente quodam necessario ut existens dependere debet (§. 44.). Ergo & ens finitum, si existit, ab ente quodam necessario ut existens dependere debet. Sed ens illud necessarium est infinitum (§. 167. Cor. 2.). Ergo & ens finitum, si existens, ab ente quodam infinito existente dependere debet.

COR. I. Quod vero in infinito illo ente sit finiti, qua existentis, ratio sufficiens fiendi extrinseca atque ultima, ex §. 120. Ph. pr. immediate patebit.

COR. II. Notare modo velis ab existere ad agere non valere consequentiam (§. 12. Cor.). Ex eo ergo, quod finitum, qua existens, ab infinito dependeat, ut etiam ab eodem, qua agens, dependeat immediate inferri nequit. Plura hic facile ex iis inferri possunt, quae de dependentia contingentis a necessario in superioribus demonstrata sunt.

§. CLXIX.

Existentia infiniti hypothetice demonstratur.

Si aliquid existit, necesse est, ut etiam ens infinitum existat. Quicquid enim existit, aut est ens aut accidens (§. 1.). Sed accidens sine ente existere nequit (§. 3.). Vt ergo & ens existat, consequens est. Hocce vero ens aut est finitum aut infinitum (§. 158.). Si prius, existentia infiniti §. 168. demonstrata est, si vero posterius, ens illud infinitum existere per se patet (§. 1. Ph. pr.). Atque adeo

existentia alicuius affirmari nequit, nisi ens aliquod infinitum existat

COR. Existit itaque dictis sub determinationibus absolute necessario (§. 165.). Atque adeo eius existentia absolute immutabilis (§. 160. Ph. pr.) & aeterna est (§. 83. Cor. 1. Ph. pr.) &c. &c. Sed pluribus de his infra in Theol. Nat.

§. CLXX.

Possibilitas eiusdem demonstratur.

Variis itaque modis entis infiniti possibilitas demonstrari potest. Primus immediate patet ex §. 169; quod vero alterum a priori nimirum attinet, ita argumentor: Sit A ens. Ergo vel est finitum vel infinitum (§. 158.). Atque adeo eiusmodi est ens, quod salva entitate perfectius esse potest (§. 158.). Ergo ens aliquod possibile est, quod illo A perfectius. Sit hocce ens B. Ergo B iterum est ens vel finitum vel infinitum. Si prius, iterum est eiusmodi ens, quod salva entitate perfectius esse potest &c. &c. Quare, cum in serie finitorum assumta non dentur nisi entia, quibus perfectiora adhuc possibilia, eodem modo, quo principium §. 25. Ph. pr. corroboratum, patebit, ens aliquod possibile esse, quo salva entitate entia alia perfectiora possibilia esse nequeunt. Vt itaque ens infinitum possibile sit, consequens est (§. 158.).

§. CLXXI.

Eiusdem entis existentia.

Existit aliquod ens infinitum absolute necessario atque ab aeterno. Ens enim infinitum, si possibile, est ens necessarium seu primi ordinis (§. 165.). Sed ens infinitum est possibile (§. 170.), quae ergo de ente necessario seu primi ordinis dicenda, enti infinito tribui debent. Sed ens illud necessarium seu primi ordinis possibile esse nequit, nisi sit absolute necessario atque ab aeterno existens (§. 152. & §. 83. Cor. 1. Ph. pr.). Ergo & ens aliquod infinitum absolute necessario atque ab aeterno ut existat, consequens est.

COR. Omnia ergo, quae de ente necessario atque primi ordinis in superioribus demonstravi, de ente hoc infinito absolute necessa-

necessario atque ab aeterno existente dici possunt. Existit nimirum independenter (§. 45.), atque adeo est ens a se (§. 109. Sch. Ph. pr.). Sed de his pluribus infra in Theol. nat. dicam.

SCH. Et ita argumenta CARTESII, vid. *Meditat. ipsius de prima Philosophia* p. 88. seqq. quibus existentiam Dei a priori corroborare voluit, sufficienter non solum explicata, sed & completa atque magis determinata accipis L. B. Rationes vero, cur a Philosophis illa in controversiam vocata sint, infra explicabo, iisque pro scopo sufficienter respondebo.

CAP. II.
DE
GENERIBVS ATQVE SPECIEBVS ENTIVM EORVMQVE FVNDAMENTIS, ET QVAE INDE FLVVNT NOTIONIBVS GENERATIM.

§. CLXXII.

Genus & species entium quid.

QVid sit genus atque species, & quae inde necessario fluunt §. 32. seqq. Pr. Log. sufficienter explicavi. Docui nimirum, *speciem* esse similitudinem individuorum essentialem completam, *genus* vero esse similitudinem individuorum essentialem incompletam. Similitudinem vero essentialem ex essentialium identitate, & quidem *completam* ex totius essentiae identitate, *incompletam* vero ex conceptus inadaequati identitate ortum trahere §. 31. Pr. Log. dixi. Facile itaque ex dictis intelligi potest, quid sit genus atque species entium. *Eiusdem* nimirum *speciei entia* sunt entia, quae eandem habent essentiam. Eiusdem vero generis entia nominari possunt, quibus solummodo identitas in conceptu quodam inadaequato competit.

COR. Entia itaque eiusdem speciei eadem etiam habent attributa propria; & entia, quae eadem habent attributa propria, sunt entia eiusdem speciei (§. 122. Cor. 1. Ph. pr.). Entia vero, quae solummodo eiusdem generis, conceptum tantummodo inadaequatum communem habent; atque adeo attributa, quae inde fluunt, iisdem communia sunt, & vice versa.

SCH.

Scopus capitis

SCH. Quae Logica hac de re praescripsit, sufficere quidam non-nullis videri possent, meo tamen iudicio non permulta solum, sed & illis maiora, quae huc spectant, Metaphysico supersunt. Logica enim in illorum notiones, atque quae inde fluunt, inquirit, Metaphysicus vero essentias rerum, & per quae illae qua tales possibiles solide explicaturus, generum atatque specierum, quibus entia distingui possunt, fundamenta atque rationes exhibere debet. Et hac ex ratione principia quaedam de illis hic exponam atque indicabo.

§. CLXXIII.

Diversitas specifica entis finiti & infiniti.

Ens finitum atque infinitum sunt entia saltem diversae speciei. Entis enim infiniti essentia eiusmodi est, qua salva entitate perfectius esse nequit, finitum vero eiusmodi habet essentiam, qua salva entitate adhuc perfectius esse potest (§. 158.), ergo finiti atque infiniti entis essentiae sunt diversae (§. 33. Ph. pr.), hisce itaque entibus non intercedit similitudo essentialis completa, seu dicta entia non eandem habent essentiam (§. cit.), atque adeo sunt entia diversae speciei (§. 172.).

COR. Ergo & inde patet, attributa propria entis finiti inter attributa entis infiniti; & attributa propria entis infiniti inter attributa entis finiti minime referri posse (§. 172. Cor.).

§. CLXXIV.

Specifice differentium unum semper finitum est.

Entia infinita diversae speciei impossibilia sunt. Ponamus A & B esse entia infinita, ergo tam essentia illius A, quam essentia huius B eiusmodi est, qua salva entitate perfectiora esse nequeunt (§. 158.), ut ergo eorum essentia sit eadem, consequens est (§. 33. Ph. pr.). Quare, cum entia, quae eandem essentiam habent, diversae speciei esse nequeant (§. 172). entium infinitorum diversae species impossibiles sunt.

COR. I. Si ergo plura entia infinita sint possibilia, ut etiam eadem habeant attributa propria, consequens est. (§. 122. C. 1.).

COR. II. Quare & entium diversarum specierum unum saltem finitum esse debet (§. 14. Ph. pr. & 158. Ont.). Et ita patet, quo sensu hic demon-

demonstrata sit veritas principii, quod eorum entium, quae a se specifice differunt, alterum semper finitum sit.

§. CLXXV.

Et finita entia specifice differre.

Entia finita salva finitudine entia diversae speciei esse possunt. Ex finitudine entium sequitur tantummodo, ut entia eiusmodi habeant essentiam, qua salva entitate perfectiora esse possunt (§. 158. Cor. 1.). Sed ens, quo alterum perfectius esse potest, eiusmodi esse potest, ut etiam sit alio quodam ente perfectius (§. 25.). Ergo & salva finitudine fieri potest, ut ens aliquod finitum eiusmodi habeat essentiam, qua alio quodam ente finito perfectius est. Atque adeo entium illorum finitorum essentiae sibi substitui nequeunt (§. 33. Ph. pr.). Ergo nec eaedem sunt (§. cit.). Quare, cum entia, quae diversam habent essentiam, sint entia diversae speciei (§. 172.), entia finita salva finitudine entia diversae speciei esse posse, patet.

COR. Entia diversae speciei eiusdem generis entia esse possunt (§. 172.). Ergo & fieri potest, ut entia finita diversae speciei sint entia eiusdem generis.

§. CLXXVI.

Et modos admittere possunt.

Ens finitum salva finitudine modos admittere potest. Quicquid enim eiusmodi est, ut salvo eo, ens aliquod adhuc perfectius esse possit, id salva finitudine enti finito competere potest (§. 158. Cor. 1.), atqui τὸ admittere modos eiusmodi est, ut salvo eo ens aliquod adhuc perfectius esse possit (§. 41. Cor. 3.), atque adeo finitum salva finitudine modos admittere potest.

§. CLXXVII.

Perfectio essentialis & accidentalis.

Et ita incidimus in perfectionum essentialium atque accidentalium explicationem. Quoniam enim ens finitum salva finitudine modos admittere potest (§. 176.), fieri etiam potest, ut perfectiones, quae enti competunt, in perfectiones, quae vi essentiae, & quae non vi essentiae adsunt, sed

modis constituuntur, dividamus. Quare & prioris generis perfectiones *essentiales*, posterioris vero *accidentales* dicuntur.

COR. I. Quicquid rei non vi essentiae competit, illud salva essentia ipsius abesse potest (§. 11. & 6. Ph. pr.). Salva itaque perfectione entis essentiali accidentales illius perfectiones abesse possunt. Atque adeo entia finita, quae eandem perfectionem essentialem habent, seu quae eiusdem speciei sunt, diversas perfectiones accidentales admittere possunt. Et ita oriuntur *species subalternae*.

COR. II. Et ita patet, quo sensu dici possit, quod entia eiusdem speciei non distingui possint, nisi per perfectiones quasdam accidentales.

§. CLXXVIII.

Et imperfectio essentialis atque accidentalis quid.

Posito ente finito, ponitur essentia, qua salva entitate perfectius esse possit (§. 158.). Ergo & essentiae ipsius imperfectio quaedam inest (§. 191. Cor. 3. & 105. Cor. Ph. pr.). atque adeo vi §. 177. intelligitur, quid sit *imperfectio essentialis* atque *accidentalis*.

COR. Ab imperfectione igitur essentiali ad imperfectionem accidentalem, & a perfectione essentiali ad accidentalem non valet consequentia (§. 177. Cor. 1.) &c. &c.

§. CLXXIX.

Perfectio accidentalis quando dat ens perfectum.

Si ens finitum, cui modi competunt, sit perfectum, modi cum essentia illius consentire debent. Si enim ens illud sit perfectum, varia, quae ens illud ingrediuntur, consentire debent (§. 191. Ph. pr.). Sed ens sine essentia esse nequit (§. 15. Ph. pr.), & modi eidem insunt (per hypoth.). Si ergo sit perfectum, essentia ipsius atque determinati modi consentire debent. Quoniam vero primum, quod in ente illo cogitari potest, & per quod est illud ens, est ipsius essentia (§. 15. Cor. 1. Ph. pr.), ut sub dictis determinationibus, si ens illud sit perfectum, modi cum essentia illius consentiant, necesse est (§. 190. Ph. pr.).

COR. I.

COR. I. Alium esse modorum consensum, alium consensum modorum cum rei, cui competunt, essentia, ex terminis patet. Modi, qui enti insunt, eiusdem entis dant statum (§. 39.). Atque adeo a perfectione status cuiusdam entis ad perfectionem entis immediate non potest concludi.

COR. II. Essentialis perfectio enti vi essentiae competit, accidentalis vero modis solummodo determinatur (§. 177.), consequens itaque est. 1.) ut a perfectione accidentali entis ad ens perfectum non valeat consequentia. 2.) ut accidentales entis perfectiones cum ipsius essentialibus perfectionibus consentire debeant, si ens, cui modi competunt, sit perfectum. Plura hic ex iis, quae §. 190. seqq. Ph. pr. de perfectione evoluta, facili negotio inferri possunt.

§. CLXXX.

Perfectionis accidentalis mutabilitas & essentialis immutabilitas.

Perfectio entis accidentalis mutabilis est, essentialis vero est immutabilis. Quicquid enim vi essentiae enti inest, illud eidem immutabiliter inest, quicquid vero tantummodo modis constituitur, illud etiam in eodem ente, cui modi insunt, mutabile est (§. 159. Cor. Ph. pr.). Perfectio vero essentialis, quae enti competit, illi inest vi essentiae, perfectio vero eiusdem accidentalis modis solummodo constituitur (§. 177.). Ergo & illa in eodem ente est immutabilis, haec vero mutabilis.

COR. I. Modorum, qui enti competunt, possibilitates, inter eiusdem entis attributa referri debent (§ 125. Cor. sq. Ph. pr.). Species vero entis etiam ex eiusdem attributis propriis cognosci potest (§ 172. Cor.). Ergo & ex possibilitate perfectionis accidentalis, quae enti inesse potest, species, ad quam ens illud pertinet, ut cognoscatur, possibile est (§. 177.). Et ita simul patet, possibilitatem perfectionis accidentalis, quae enti inest, in eodem ente esse immutabilem. Quae itaque de mutabilitate huius perfectionis dicta, valent solummodo de eadem ut actualis spectata.

COR. II. Et simul patet, perfectionem accidentalem determinare

minare speciem entis subalternam (§. 177. Cor. 1.). Ergo & ens in specie quadam subalterna spectatum mutabile est. Etc. &c.

§. CLXXXI.

Immutabilitas specierum.

Absolute impossibile est, ut ens determinatae speciei fiat ens alterius cuiusdam speciei, verae nimirum. Si enim determinatae speciei *verae nimirum* ens fiat ens alterius cuiusdam speciei, essentia illius entis fieri debet essentia alterius entis, ab illo alias essentialiter diversi (§. 172.). Quare, cum haecce mutatio absolute impossibilis sit (§. 152.), absolute etiam impossibile est, ut determinatae speciei, verae nimirum, entis fiat alterius cuiusdam speciei verae ens.

COR. I. Si ergo ens obvium fiat perfectius vel imperfectius, quam ante fuit, ex illo solummodo mutatio speciei subalternae, atque adeo mutatio perfectionis accidentalis atque modorum inferri potest (§. 180. §. cit. Cor. 2. & 177.).

COR. II. Et ita iterum a priori patet, absolute impossibile esse, ut ens infinitum fiat finitum, & ut finitum fiat infinitum (§. 173.). Quod etiam ex iis facili negotio deduci potest, quae §. 162. seqq. demonstravi. Ex quibus simul nullo fere negotio plura hic inferri possunt.

§. CLXXXII.

Ratio unde species subalternae indicatur.

Vt ens obvium sit huius vel illius speciei subalternae ens, ratio huius, saltem quoad partem, esse debet in nexu obvii entis cum aliis quibusdam entibus. Obvium enim ens est huius vel illius speciei subalternae ens, quoniam determinati modi eidem insunt (§. 177.). Modorum vero ratio, cur obvio enti insint, saltem ex parte extrinseca est (§. 125. Ph. pr.). Ratio ergo, cur obvium ens sit huius vel illius speciei subalternae ens, saltem ex parte est in aliquo quod extra illud ens. Hocce vero, quod extra dictum ens est, aut est ens aut accidens. Sed accidens esse nequit (§. 6.), ergo ut sit ens, necesse est. Ratio itaque, cur obvium ens sit huius vel illius speciei subalternae ens, ex parte saltem in alio quodam ente esse debet. Atque adeo invenienda est in nexu

nexu obvii entis, cum alio quodam ente (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.).

COR. Ex iis itaque, quae de nexu entium §. 74. seqq. demonstravi, permulta facili negotio etiam hic inferri possunt consectaria.

§. CLXXXIII.

An species subalternae infiniti entis possibilia.

Entia infinita diversae speciei subalternae impossibilia sunt. Vbi enim modi adesse nequeunt, ibi etiam ratio, cur species subalternae ponantur, deest (§. 177.). Sed enti infinito modi inesse nequeunt (§. 166.). Ergo & fieri nequit, ut entium infinitorum diversae species subalternae ponantur.

COR. I. Quicquid igitur de speciebus subalternis entium dicitur, de finitis entibus tantummodo valere potest.

COR. II. Et quoniam nec entia infinita diversae speciei, (§. 174.), nec entia infinita diversae speciei subalternae possibilia sunt, unicum tantummodo ens infinitum possibile esse, inde facile inferri posset. Sed hanc in unitatem infra in Theologia Naturali inquiramus. Vellem interim, ut legas, quae de infinito atque finito ente in Part. I. Inst. Theol. Dogmat. CEL. RIBOVIVS nunquam satis venerandus solidissime exposuit.

§. CLXXXIV.

Quantitas perfectionis finiti & infiniti indicatur.

Duo modo adhuc addam principia; *primo nimirum, quod ens infinitum sit in omnitudine, finitum vero solummodo in gradu quodam perfectum.* Quod tam finito quam infinito enti perfectio quaedam competat, ex §. 188. Cor. & §. 192. Ph. pr. immediate patet. Sed ens infinitum est, quod salva entitate perfectius esse nequit (§. 158. Cor. 1.), atque adeo perfectionis entis infiniti nulli sunt termini (§. 23. Ph. pr.). Ergo & ratione quantitatis infinita (§. 23. Ph. pr.), atque adeo etiam ratione quantitatis indeterminata est (§. 38. Ph. pr.). Quare, cum dictis sub determinationibus perfectionem in omnitudine adesse dicatur (§. 197. Cor. Ph. pr.), ens infinitum in omnitudine perfectum esse, patet. Q. e. p.

Ens finitum eiusmodi est, quod salva entitate perfectius esse potest (§. 158. Cor. 1.). Ergo & perfectio, quae illi vi dem. membri primi tribuenda, admittit terminos (§. 23. Ph. pr.), consequenter ratione quantitatis finita (§. 23. Ph. pr.), atque adeo determinata est (§. 38. Ph. pr.). Sed his sub determinationibus perfectioni tribuuntur gradus (§. 197. Cor. Ph. pr.). Ergo ens finitum in gradu quodam solummodo perfectum esse potest. Q. e. a.

COR. I. Ergo & perfectio entis infiniti immensurabilis, finiti vero mensurabilis est (§. 37. Ph. pr.). Qua ex ratione etiam a Philosophis dicitur, *quod finiti ad infinitum nulla detur proportio.*

COR. II. Et simul patet, 1.) gradus perfectionis entis finiti in essentiales atque accidentales dividi posse (§. 176. seq.). 2.) Diversas entium finitorum species ex diverso perfectionis gradu deduci posse (per dem. §. 175.). Et ita, quae de determinatis atque indeterminatis quantitatibus in superioribus explicata, etiam hic applicari possunt.

§. CLXXXV.

Fundamentum cognoscendi perfectiones infiniti entis determinatur.

Et deinde, *quod, quicquid perfectionis absolute talis in ente finito observamus, idem etiam enti infinito inesse debeat.* Quicquid enim perfectionis absolute talis in ente finito observamus, id enti tribui potest, non quatenus est finitum, sed quatenus est ens (§. 8. Ph. pr.). Ergo & enti, quod salva entitate perfectius esse nequit, idem inesse debet (§. 1. Ph. pr.). Quare, cum eiusmodi ens sit ens infinitum (§. 158. Cor. 1.), quicquid perfectionis absolute talis in ente finito observamus, idem etiam enti infinito inesse debet.

COR. Sed perfectiones, quae enti infinito insunt, illi insunt in omnitudine, & vice versa (§. 184.). Quicquid itaque perfectionis absolute talis in ente finito observamus, illud erit perfectio infiniti propria, si in omnitudine sumatur. Et ita incidimus in viam cognoscendi perfectiones entis infiniti ex consideratione entis finiti, qua CARTESIVS usus est.

§. CLXXXVI.

§. CLXXXVI.

Et inde intelligimus, aliud esse perfectionem entis esse, aliud perfectionem esse entis qua finiti vel infiniti. Quare & illae *realitates absolutae* a Philosophis nominantur. Quoniam *reale* atque in abstracto *realitas* omne id dicitur, quod in re quadam, & speciatim in ente quodam, aliquid ponit. Quicquid vero in ente aliquid ponit, non imperfectio, sed perfectio esse debet (§. 191. Ph. pr.). *Inde explicatur quid sit reale atque realitas.*

COR. I. Omnes itaque realitates absolutae, quae enti finito insunt, etiam debent inesse enti infinito (§. 185.). Sunt vero infiniti propriae, si cum omnitudine, & finiti propriae, si in determinato quodam gradu sumuntur (§. 185. Cor.). Inquiramus itaque in finitorum realitates, quod fiat in partibus Metaphysices sequentibus.

COR. II. Et simul ex dictis patet, cur LEIBNITIVS, *gradum, realitatem cum limitatione, & perfectionem, magnitudinem realitatis absolutae involvere*, affirmaverit.

SCH. Possunt haec de generum atque specierum fundamentis dicta pro instituto sufficere. Dabo tamen, illustrandae sententiae causa, & in tyronum gratiam tabulam quandam, cuius intuitus explicatorum ideas facile excitare potest.

Ens A

Salva entitate perfectius esse potest.	Salva entitate non potest esse perfectius.
Est ens finitum (§. 158.), de quo pro gradu perfectionum essentialium variae species (§. 175. & §. 177. coll. §. 172.), & pro gradu perfectionum accidentalium variae species subalternae (§. 177. Cor. 1.) possibiles sunt.	Est ens infinitum (§. 158.), de quo nec entia diversae speciei (§. 178.), nec entia diversae speciei subalternae (§. 183.) possibilia sunt.

Iam

Iam ponamus entia finita

A B C D	E F G H
esse vi essentiae in gradu quarto perfectionis, & vi eiusdem essentiae in gradu 16. perfectionis esse posse.	esse vi essentiae in gradu sexto perfectionis, & vi eiusdem essentiae in gradu 20. perfectionis esse posse.
Ergo sunt entia eiusdem speciei (§. 172. Cor.), quorum perfectiones accidentales & essentiales, atque imperfectiones accidentales atque essentiales ope §. 177. seqq. facile determinari possunt.	Ergo sunt entia eiusdem speciei (§. 172. Cor.), quorum perfectiones essentiales atque accidentales, imperfectiones essentiales atque accidentales, ope §. 177. seqq. facile determinari possunt.

Sunt entia diversae speciei (§. 172. Cor.), licet fieri possit, ut entia eiusdem generis dicantur.

Iam ponamus porro

A B	C D	E F	G H
esse in tertio gradu perfectionis accidentalis, a nexu illorum cum aliis entibus saltem ex parte dependentis (§. 182.).	esse in quinto gradu perfectionis accidentalis &c. &c.	esse in sexto gradu perfectionis accidentalis &c. &c.	esse in tertio gradu perfectionis accidentalis &c. &c.
Ergo sunt entia eiusdem speciei subalternae (§. 177. Cor. 1.).	Item	Item	Item

Sunt entia eiusdem speciei subalternae (§. 177. Cor. 1.). Atque adeo fieri potest, ut entia eiusdem speciei sint entia diversae speciei subalternae, & entia diversae speciei sint entia eiusdem speciei subalternae. &c. &c. Et ita sit

ONTOLOGIAE STRICTE SIC DICTAE FINIS.

MONA-

ELEMENTA
MONADOLOGIAE
QVIBVS
NATVRA ENTIS SIMPLICIS
QVA TALIS EIVSQVE AFFECTIONES
ATQVE DEINDE
ELEMENTORVM CORPORVM
NATVRA EORVMQVE AFFECTIONES
EX PRINCIPIIS ANTE EXPLICATIS
DEDVCVNTVR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-151887322-13/fragment/page=0301

MONADOLOGIAE PARS GENERALIS

SECTIO I.

DE ENTIS SIMPLICIS IN SE SPECTATI NATVRA ATQVE DETERMINATIONIBVS.

CAP. I.

DE ENTIS SIMPLICIS QVA TALIS ESSENTIA ATQVE EXISTENTIA.

§. I.

QUicquid in varia non potest resolvi, simplex est (§. 16. Ph. pr.); & inter entia referri debet, quod ita possibile, ut non sit determinatio alterius (§. 1. Ont.). Notio itaque *entis simplicis* facile ex dictis componi potest, est nimirum *ens simplex*, irresolubile quod ita possibile, ut non sit determinatio alterius. *Ens simplex quid.*

COR. I. A possibile esse ad ens esse non valet consequentia (§. 1. Ont.). Ex eo itaque, quod aliquid sit simplex, non statim inferri potest, quod etiam sit ens simplex. Quae ergo de simplici dicuntur, etiam de ente simplici valere debent, quae vero de ente simplici dicta ad simplex non immediate applicari possunt. (§. 32. Cor. 3. Pr. Log.).

COR. II. Ens simplex, si possibile, est ens. Quae ergo in Ontologia de ente qua ente demonstrata sunt, etiam de ente simplici dici possunt, atque adeo est impenetrabile (§. 8. Ont.), vim habere debet (§. 19. Ont.) &c. &c. Plura vero facili negotio ex illis hic inferre potest Lector Philosophus. Inquiramus modo in determinationes entis simplicis specificas.

COR. III. Vnicum modo, ut ante adhuc notes, velim. Quicquid impossibile est, aut absolute, aut solummodo respective

impossibile est (§. 12. Ph. pr.). Ergo & simplex in absolute & respective seu secundum quid tale dividere licet. Quoniam vero, quod secundum quid solummodo simplex, in se spectatum inter complexa seu composita, referri debet (§. 16. & §. 12. Cor. 2. Ph. pr.), facile patet, de ente absolute simplici in monadologia dicendum esse.

Non est punctum mathematicum.

SCH. I. Quantum aperiatur sententiae bivium, si in doctrinam, quae de entibus simplicibus praecipit, eruditi volunt inquirere, dici vix potest. Sunt enim, qui entia illa simplicia punctorum mathematicorum classi adiudicanda putant, & vicissim; sunt, qui entibus illis simplicibus atomos, de quibus *Graecorum Philosophi* praecipue vero *Epicurus* docuerunt, substituunt; sunt, qui in illorum locum monades, de quibus *Pythagoras* locutus est, ponunt, & ita porro. Minus vero accuratas eiusmodi de entibus simplicibus esse sententias, ante, ut Philosophorum ex sententiis ostendam, necesse esse, iudico, quam pluribus de iisdem dicam. *Entia illa simplicia non esse puncta mathematica, ita evinco:* Entia illa simplicia praeter indivisibilitatem etiam impenetrabilitatem atque adeo vim admittere debent (§. Cor. 2.), in punctis vero mathematicis praeter indivisibilitatem nihil amplius concipere licet, atque adeo inter penetrabilia referuntur. Entia itaque illa simplicia punctorum mathematicorum classi adiudicari nequeunt. Quo ex fundamento facile intelligitur, cur quaedam dictorum entium simplicium a LEIBNITIO *puncta metaphysica* nominata sint.

Nec atomus proprie sic dicta.

SCH. II. Entia illa simplicia non sunt atomi Philosophorum proprie sic dictae. Significat quidem Atomus indivisum aliquod seu indivisibile; ex sententia tamen Philosophorum Graecorum, praecipue autem *Epicuri*, cui saltem quoad vocem de Atomis doctrinae excogitatio attribuitur, vid. GASSENDVM l. c. p. 257. indivisibilitas haec, quae Atomis competit, non absolute sed secundum quid seu respective sumitur. Ita enim *Epicurus*, si GASSENDO credendum: *Atomus dicitur, non quod minima sit, sed quod non possit dividi, cum sit patiendi incapax, & inanis expers, adeo ut dicens atomum, dicat id, quod*

quod & plagae securum est, & pati nihil potest, & inanis est expers. Sed entia illa simplicia sint absolute indivisibilia (Cor. 3.). Ergo nec atomi entibus illis simplicibus substitui possunt. Qua ex ratione etiam recentiores, atomum idem esse ac ens indivisibile, affirmantes, atomos in *atomos naturae* atque *materiales* dividunt. Licet itaque ex Graecorum Philosophorum sententia atomi non sint entia illa simplicia, de quibus hic dicitur: eo tamen ex fundamento atomorum possibilitatem negare non possum, probe sciens, nullam esse tam falsam opinionem, quae non habeat aliquid veri admistum, licet illud admistione cuiusdam falsi obfuscetur. Sed de his infra pluribus.

SCH. III. Entia illa simplicia non sunt monades pythagoricae. Quae enim monades nominavit PYTHAGORAS, sunt quidem unitates rerum, ut etiam vocis origo docet, atque adeo res primitivae vel primitiva corporum, uti unitas character numeri primitivus, (quod contra IOHANNEM WALLISIVM in *Oper. Math.* non unitatem, sed nullitatem principium numerorum esse, affirmantem, defendere debeo), non tamen ex Philosophi sententia inter indivisibilia absolute talia referri debent. Nam, uti quod uno respectu unitas, alio quodam respectu divisibile esse potest: ita etiam monades illae pythagoricae vi Philosophi principiorum in se divisibiles sunt. Quare & salva monadum existentia divisionem in infinitum statuunt atque defendunt PYTHAGORAE sectatores. *Nec monas pythagorica.*

§. II.

Essentia entis simplicis qua talis consistit in impenetrabilitate indivisibili. Quicquid enim est primum, per quod ens est illud ens, quod est, in eo essentia ipsius consistit (§. 15. Cor. 1. Ph. pr.). Sed impenetrabilitas est primum, per quod ens qua tale est ens (per dem. §. 8. Ont.), & indivisibilitas est primum, per quod in specie est ens simplex (§. 1.). Ergo simplicis entis qua talis essentia in impenetrabilitate indivisibili consistit. *Essentia entis simplicis determinatur.*

COR. I. Enti existenti competit vis, quia est impenetrabile (per dem. §. 19. Ont.); ergo & patet, quo sensu entis simplicis

plicis existentis qua talis essentiam in vi consistere, affirmari possit.

COR. II. Si ergo vires entium simplicium diversae sunt perfectionis, variae etiam simplicium species tam verae quam subalternae inde deduci possunt (§. 186. Sch. Ont.). Et ita etiam hic plura ex iis, quae de generibus atque speciebus in Ontologia demonstrata, facili negotio ut inferantur, fieri potest.

§. III.

Ortus & interitus eorumque species explicantur.

Si ens A non-existens in statum actualitatis deducitur, *ens* illud *A oriri*, & si ex statu actualitatis ad non-existentia reducitur, *ens* illud *A interire* dicitur. Si ens A est non-existens, vel solummodo non-existens est, quatenus est tale ens, vel etiam quoad constitutiva ipsius inter non-existentia referri debet. vide §. 17. Ph. pr. Ergo & duplex inde tam ortus quam interitus species cogitari potest. Priori enim respectu *A ex aliquo*, & posteriori *ex nihilo oritur*. Et ex adverso priori respectu *interitus* vocatur *simplex*, posteriori vero *compositus* seu *annihilatio*.

COR. Quicquid itaque ex aliquo oriri potest, eius constitutiva existere possunt, licet non existat, quod per illa coniunctim sumta esse potest; & idem de illo, quod sine annihilatione interire potest, valere debet.

§. IV.

Ex aliquo oriri & sine annihilatione interire quid possit.

Nullum ens, qua ens, ex aliquo oriri potest, nisi quod ex nexu plurium entium constat: & nullum ens qua ens sine annihilatione interire potest, nisi quod eiusdem est conditionis. Quicquid enim ex aliquo oritur, eius constitutiva ante existentia fuerunt, quam illud extiterit (§. 3.), constitutiva vero entis qua entis sunt impenetrabilia (§. 8. & §. 1. Ont.). Ergo ens qua ens, si ex aliquo oriri potest, eiusmodi esse debet, cuius impenetrabilia existere possunt, licet ens illud non-existat. Atque adeo ens illud eiusmodi unum esse debet, quod ex plurium impenetrabilium nexu constat (§. 175. & 90. Ph. pr.). Quare, cum plura impenetrabilia sint plura entia

entia (§. 8. & 1. Ont.), ens, quod qua ens ex aliquo oriri potest, eiusmodi esse debet unum, quod ex nexu plurium entium constat. Q. e. p.

Alterum propositionis membrum eodem modo probari potest, si modo ea mutantur, quae natura obiecti mutari iubet.

COR. Ens, quod ex nexu plurium entium constat, contingenter est tale ens (§. 82. Ont.), nullum igitur ens qua ens ex aliquo oriri, & sine annihilatione interire potest, nisi quod est ens contingens. Ergo & plura ex iis, quae de contingentia entium in superioribus demonstrata sunt, hic inferri possunt consectaria.

§. V.

Ortus atque interitus entis simplicis determinatur.

Quicquid non ex nexu plurium impenetrabilium constat, quatenus est ens nec ex aliquo oriri, nec sine annihilatione interire potest (§. 4.). Sed ens, cuius essentia in impenetrabilitate indivisibili consistit, ex nexu plurium impenetrabilium non constat (§. 20. Ph. pr.), ergo & *ens simplex, quatenus est ens simplex, nec ex aliquo oriri, nec sine annihilatione interire potest* (§. 1. & 2.).

COR. I. Si ergo ens simplex, qua ens simplex, oritur, ut ex nihilo oriatur, consequens est (§. 3.), & si interit, necesse est, ut annihiletur (§. cit.). Quod vero eiusmodi ens simplex, quod oriri vel interire potest, sit ens finitum, contingens atque secundi ordinis §. 167. Cor. 1. seq. Ont. sufficienter docent. Plura ergo & inde hic inferri possunt.

COR. II. Et ita patet veritas principii, quod ens simplex, quatenus est ens simplex, nec ex composito, nec ex alio quodam ente simplici oriri possit. De quibus infra pluribus.

§. VI.

Interire atque oriri successive & in instanti quid.

Dum A fit existens aut successiva distinguere licet, aut non, vid. §. 84. Ph. pr. Si prius, *ortus* eiusmodi entis vocatur *successivus*, & si posterius, *instantaneus*. Eodem modo patet, quid sit *interitus successivus* atque *instantaneus*.

COR. I.

COR. I. Si itaque, quod exiſtens ſit, eiusmodi eſt, quod, quatenus ſit exiſtens, varia non continet, id nec ſucceſſive oriri nec ſucceſſive interire poteſt (§. 84. Ph. pr.). Si ergo oritur aut interit, ut eius ortus vel interitus ſit inſtantaneus, conſequens eſt.

COR. II. Quicquid ſit in inſtanti, non ſit in tempore (§. 87. Ph. pr.). Ortum ergo vel interitum inſtantaneum in tempore fieri, dici nequit.

§. VII.

Notiones illae ad ens ſimplex applicantur.

Ens ſimplex nec oriri nec interire poteſt, niſi in inſtanti. Si enim ens ſimplex oritur, impenetrabile aliquod indiviſibile oritur, & ſi interit, impenetrabile aliquod indiviſibile interit (§. 2.). Quatenus itaque oritur aut interit, varia non continet (§. 20. Ph. pr.). Atque adeo nec oriri nec interire poteſt, niſi in inſtanti (§. 6. Cor.).

COR. I. Quicquid itaque ſucceſſive oritur, vel ſucceſſive interit, non eſt ens ſimplex. Cave tamen, ne ex eo, quod ens aliquod in inſtanti oriatur, vel in inſtanti intereat, ſimplicitatem eiusdem entis velis inferre.

COR. II. Et ſimul patet, ens ſimplex nec in tempore oriri, nec in tempore interire poſſe (Cor. 2. §. 6.). Notare tamen velis, ex eo, quod aliquid non poſſit in tempore oriri, inferri non poſſe, ut ab aeterno exiſtat, ſi ſit exiſtens. vid. §. 82. ſeqq. Ph. pr.

§. VIII.

Ens ſimplex quomodo univerſaliter immutabile.

Ens ſimplex A alterius cuiusdam entis ſimplicis B, ab illo ſpecie diverſi, conſtitutivum fieri nequit. Ens enim ſimplex A alterius cuiusdam entis ſimplicis B, ab illo ſpecie diverſi, conſtitutivum fieri nequit, niſi hocce B ex illo A oriatur, aut ens ſimplex A alterius cuiusdam ſpeciei ens fiat (§. 172. Ont. coll. §. 2. & 3.). Primum vero repugnat §. 181. Ont. & ultimum eſt contra §. 5. Ergo & abſolute impoſſibile eſt, ut ens ſimplex A alterius cuiusdam entis ſimplicis B, ab illo ſpecie diverſi, fiat conſtitutivum.

COR.

COR. Quae itaque §. 181. Cor. Cor. Ont. demonstrata, etiam hic valent. Atque adeo ex entis simplicis constitutione ita magis determinari possunt: Ens simplex A, in se spectatum, mutari nequit, nisi quoad perfectionem vis accidentalem (§. 2. Cor. 1.). Si ergo eiusmodi est ens simplex, quod annihilari potest, eius existentia inter modos seu accidentia ipsius referri debet (§. 3. & §. 2. Cor. 1.). &c. &c.

SCH. En principium, ex quo ad quaestiones, μετεμψυχωσιν, de qua veteres praecipiunt, spectantes, responsiones deduci possunt. Sed de hac maiori commodo infra dicam. Sufficienter interim ex dictis patet, 1.) cur LEIBNITIVS affirmaverit, entia simplicia nec naturaliter interire, nec naturaliter oriri, sed solummodo per creationem posse incipere, 2.) Ortum entium simplicium ex essentia Dei esse impossibilem. &c. &c.

§. IX.

Entium simplicium possibilitas.

Nullum ens possibile est, nisi entia simplicia sint possibilia. Impenetrabilitas enim entis, cuius possibilitas ponitur, aut est divisibilis aut indivisibilis. Si posterius, est ens simplex (§. 2.). Si primum, aut est & in infinitum divisibilis, aut non. Sed prius esse nequit (§. 25. Ph. pr.).); ergo posterius esse debet. Vltima itaque impenetrabilia, quae in eodem ponenda, sunt indivisibilia, atque adeo entia (§. 8. & 1. Ont.), simplicia (§. 2.). Nisi ergo entia simplicia possibilia sint, nullum ens possibile est.

Eandem propositionem etiam ita evinco: Sit A ens, sed non simplex, ergo est unum, quod ex impenetrabilitate divisibili constat (§. 2.), atque adeo est unum, quod ex plurium impenetrabilium nexu constat (§. 20. §. 21. & 90. Ph. pr.). Sed plura impenetrabilia sunt plura entia (§. 1. & 8. Ont.); Ergo A illud est unum, quod ex nexu plurium entium constat. Sed unum, quod ex entium nexu constituitur, est contingenter unum (§. 82. Cor.); Ergo & entia dicto modo connexa salvis etiam essentiis suis extra nexum illum existere possunt (§. 145. Ph. pr.). Fieri itaque potest, ut dicta entia extra nexum illum

ponamus (§. 28. Ph. pr.). Sit dictis sub determinationibus eorum unum B, quod non simplex. Ergo eodem modo, ut ante patebit, entia, quorum nexu constituitur, extra illum nexum poni posse. Si itaque entia, quae facta divisione, quae vi demonstrati possibilis, remanent, continuo sint non simplicia, divisibilitatem entis categorematice infinitam possibilem esse fluet (§. 24. Ph. pr.). Quare, cum hoc principio §. 25. Ph. pr. demonstrato repugnet, possibilitatem entium simplicium concedere debemus (§. 4. Ph. pr.).

Eadem propositio, si placet, etiam ita probari potest: Si nullum ens simplex sit possibile, etiam ens infinitum, cuius possibilitatem atque existentiam §. 170. seq. Ont. demonstravi, ens non simplex esse debet. Ergo necesse erit, ut ens illud infinitum ex plurium entium nexu constaret (per dem. 2.). Hoc vero principio §. 167. Cor. 3. Ont. demonstrato repugnabit. Ergo & ens esse & simplex esse nullam involvere contradictionem, patet. Etc. &c.

COR. Quatenus entia non sunt possibilia, eo etiam respectu non possunt existere (§. 70. Cor. 2. Ph. pr.). Nullum itaque ens existere potest, nisi entia simplicia existant. Plura ex iis, quae de existentia §. 76. seqq. Ph. pr. demonstrata sunt, facili negotio hic inferri possunt. E. g. quo sensu, ut existentia entis simplicis in vi consistat, dici possit (§. 2. Cor. 1. Mon. coll. §. 76. Ph. pr.), quod ens simplex existat, si impenetrabilitas indivisibilis est plus quam possibilis (§. 2. Mon. & §. 80. Ph. pr.) &c. &c.

Genera obiectionum huc spectantium indicantur.

SCH. I. Non-nulli quidem tam veterum quam recentiorum Doctorum sententiae de non existentia entium simplicium sunt adstipulati. Quoniam vero ad praecipua eorum argumenta, quae in contrarium adduxerunt, supra §. 25. Sch. 1. - 4. Ph. pr. respondi, pluribus de contraria hacce sententia dicere, non necesse esse iudicarem, nisi instituti ratio requireret, ut etiam ea solverentur argumenta, quibus non infinitam solum divisibilitatem generatim spectatam, sed & speciatim entium proprie sic dictorum divisibilitatem infinitam corroborare voluerunt. Et hoc brevissimis fiat sequentibus. Tria vero eorum argumento-

mentorum genera sunt. Oriuntur enim vel ex ambiguo terminorum significatu, vel petitionibus principii stabiliuntur. Ex priori respectu vel ex ambiguo divisibilitatis infinitae, vel ex ambiguo divisionis significatu ortum trahunt.

Primi generis obiectiones solvuntur, & speciatim Aristotelis.

SCH. II. Ad primum argumentorum dictorum genus, quae nimirum ex ambiguo divisibilitatis infinitae significatu oriuntur, pertinet *primo*, quod ARISTOTELES *in Phys. Lib. 3. & 6.* divisibilitatem entium infinitam concedens, monuit, *quod nimirum continuum inde non evadat infinitum, quoniam illud ex partibus aliquotis constare debet, ens vero in infinitum divisibile ex partibus non aliquotis sed proportionalibus resultat.* Sed divisionem syncategorematice infinitam a divisione categorematice infinita (§. 24. Ph. pr.) non satis discreviisse Philosophum etiam inde patet, quoniam eodem loco affirmat, *si ens infinitum sit indivisibile, non creari propterea infinitum actu ex huiusmodi partibus, quoniam tales partes non actu, sed potestate duntaxat infinitae sunt, adeo proinde, ut creent solum infinitum potestate, quod idem sit ac actu finitum.*

Chrysippi.

SCH. III. Deinde huc pertinet CHRYSIPPVS, qui teste GASSENDO l. c. p. 262. *unicam vini stillam cum toto mari permisceri, ac etiam in totum pervenire mundum admittens*, si illi opponunt; *eo ex fundamento non posse plures mundos esse quam partes hominis*, respondit: *Nobis de partium numero, ex quibus constamus interrogatis, aliquot grandiores recensendas esse, veluti caput, thoracem, crura. Si vero urgeamur ad extremas usque, dicendum, nos neque ex quibusdam, neque ex tot vel tot, neque ex finitis, neque ex infinitis constare.* Quid itaque est, Chrysippe, quod negas divisibilitatem entium finitam? dum enim obiectionibus respondes, eandem admittis. Hoc vero sufficienter patebit, si eandem distinctionem, qua ARISTOTELIS cogitationes falsas esse Sch. 2. docui, & nos de divisibilitate categorematice infinita solummodo dicere, etiam hic notare relimus.

Secundi generis obiectio praecipua solvitur.

SCH. IV. Inter secundi generis obiectiones, quae ex ambiguo divisionis significatu oriuntur, praecipue referenda est ordinaria

dinaria haecce atque celebris. *Particula entis simplicis A, qua orientem spectat, non est ista B, quae occidentem versus est. Ergo hae particulae sunt realiter distinctae, & per consequens separabiles.* Primo vero isto in argumento particulae terminus minus proprie sumitur, sed potius ita dici debet: *respectus seu relatio entis simplicis ad orientem non est respectus seu relatio eiusdem entis ad occidentem*, & deinde nego, respectus illos esse realiter distinctos (§. 131. Ph. pr.), licet distinctionem quandam concedam (§. 130. Ph. pr.), quod vero a distinctione ad divisionem, de qua hic dicitur, non valeat consequentia, sine probatione patet. Vide pluribus *Doutes de Mr Bernier sur quelques uns de principaux Chapitres de son Abregé de la Philosophie de Gassendi.*

Tertii Generis obiectiones praecipuae sunt Sexti Empirici cuius obiectio prima.
Fig. 5.

SCH. V. Ad tertii generis obiectiones praecipue pertinent, quae SEXTVS EMPIRICVS sententiae EPICVRI opposuit. Ita vero ille *primo: ponamus lineam AB novem insectilium* (seu entium simplicium), *supra quam pari velocitate duo insectilia* (seu entia simplicia) *S & s ab extremis usque ferantur. Vtrumque ergo, si in medio occurrunt, quod fieri potest* (per hyp.), *dimidiam partem medii, seu quinti loci insectilis* (i. é. entis simplicis) *occupare debet (non existente nempe caussa, cur unum potius occupet, quam aliud), atque adeo, quod indivisibile ponebatur, divisibile est. Quod absurdum.* Petitiones vero principii hic latere ex eo sufficienter patet, quod sine probatione compossibilia dicuntur, quae possibilia, & deinde quintus ille locus occupari ponitur, qui salva hypothesi illa occupari nequit.

Et secunda solvitur.
Fig. 6.

SCH. VI. Deinde pergit: *ponamus plures circulos concentricos ABA & DED, qui unius regulae CA extremo sui altero C, ut centro, defixae circumductu describuntur. Quare, cum eodem tempore fiant, & Circulus DED circulo ABA minor sit, sequetur, ut eodem tempore individuo inaequales circulorum portiones describantur, atque adeo indivisibile, quod ponitur, iterum divisibile sit.* Sed hacce in argumentatione iterum petitio quaedam principii latet, quam Sch. 3. §. 25. Ph. pr. suffici-

sufficienter explicavi. Pluribus tamen, motum circularem infra explicaturus, hac de obiectione ibi dicam.

CAP. II.

DE ENTIVM SIMPLICIVM QVA TALIVM QVALITATIBVS ET QVAE INDE IMMEDIATE FLVVNT.

§. X.

Entia simplicia habent qualitates.

OMnia entia simplicia, quae existunt, qualitatibus quibusdam praedita sunt. Ens enim simplex existens vim habet (§. 1. Cor. 2.). Sed extra nexum cum aliis entibus existere potest (§. 9. Mon. §. 82. Ont. §. 145. Ph. pr.). Ergo vis, quae illi competit, est determinatio ipsius intrinseca (§. 39. & 40. Ph. pr.). Quare, cum determinatio haec intrinseca sine aliis assumtis intelligi possit (§. 10. Ont.), omni enti simplici existenti qualitates tribuendae sunt (§. 42. Ph. pr.).

COR. Quatenus ens aliquod existit, eatenus etiam possibile est (§. 70. Cor. 2. Ph. pr.). Ergo & nullum ens simplex sine possibilibus qualitatibus est possibile. Quae itaque de qualitatibus entium simplicium demonstrantur, de iisdem qua possibilibus in possibilitate & qua existentibus in actualitate valere debent. Plura ex iis, quae §. 42. seqq. Ph. pr. de qualitatibus demonstrata sunt, facili negotio etiam hic inferri possunt.

§. XI.

Quae sunt determinationes vis.

Omnes qualitates, quae enti simplici competere possunt, sunt determinationes vis. Qualitates enim entis simplicis sunt determinationes ipsius intrinsecae (§. 42. Ph. pr.), atque adeo determinationes, quae, posito ente simplici, sine respectu ad alia, cognosci possunt (§. 40. Ph. pr.). Sunt ergo determinationes in impenetrabilitate indivisibili (§. 2.). Consequenter determinationes vis (per dem. §. 19. Ont.).

COR. Permulta itaque ex iis, quae de virium determinationibus in Ontologia demonstrata sunt, hic inferri possunt consectaria.

§. XII.

Fundamentum ex quo illae cognoscendae.

Omnis determinatio vis sumi debet ex actione, quae per illam fieri potest. Determinatio enim vis est determinatio alicuius, quatenus rationem actualitatis alicuius continere potest (§. 10. Ont.). Ergo & determinatio illa sumi debet ex actione, quae per vim illam fieri potest (§. 12. Ont. coll. §. 111. & 96. Ph. pr.).

COR. In omni actione *formale* & *materiale* distingui debet, *hoc* nimirum indicat, quod agi potest, & *illud* quomodo agi potest (vid. §. 100. Ont.), determinationes itaque vis indicaturus, eas tam ex materiali quam ex formali actionis, quae per illam fieri potest, deduci debet.

§. XIII.

Inde diversitates qualitatum entis simplicis generatim indicantur.

Tam ex formali quam materiali actionis, quae per ens simplex fieri potest, qualitates ipsius deduci possunt. Ponamus ens simplex A actionem B producere posse. Ergo possibilitas producendi actionem B est determinatio intrinseca entis simplicis A (§. 23. 40. & Cor. §. 40. Ph. pr.), quae sine aliis assumtis intelligi potest (§. 12. Ont.), consequenter est ipsius qualitas (§. 42. Ph. pr.). Ergo ex materiali actionis, quae per ens simplex fieri potest, qualitas quaedam eiusdem entis deduci potest (§. 12. Cor.). Q. e. p.

Ponamus porro ens simplex A actionem B sub modo M producere posse. Et ita eodem modo, ut ante patebit, qualitatem eiusdem entis etiam ex formali actionis per illam possibilis deduci posse. Q. e. a.

COR. I. Summa itaque cum ratione qualitates entium simplicium in materialiter & formaliter spectatas dividuntur.

COR. II. Si itaque fieri potest, ut actio B diverso modo possit produci, fieri etiam potest, ut entia simplicia, quae easdem qualitates,

litates materialiter spectatas habent, qualitatibus formaliter spectatis differant.

§. XIV.

Quantitas entis simplicis qualis.

Omnis quantitas, quae enti simplici in se spectato tribuenda, est quantitas qualitatis. Quantitas enim est multitudo cogitabilium eorundem (§. 35. Ph. pr.). Sed cogitabilia, quae enti simplici in se spectato competunt, esse nequeunt, nisi determinationes quaedam intrinsecae (§. 2. Mon. §. 20. Ph. pr. & §. 7. Ont. & §. 40. Ph. pr.). Ergo quantitas, quae enti simplici tribuenda, non est, nisi multitudo earundem determinationum intrinsecarum. Determinationes illae intrinsecae vel continuo sunt quantitates vel ultimo inter qualitates referri debent (§. 42. Cor. 3. Ph. pr.). Sed prius esse nequit (§. 35. coll. §. 25. Ph. pr.), ut ergo posterius sit, consequens est. Omnis ergo quantitas enti simplici in se spectato tribuenda, est quantitas qualitatis.

COR. I. Si itaque quantitas, quae enti simplici tribuitur, est determinata, inter gradus, & si indeterminata, inter qualitatum omnitudines referri debet (§. 44. Ph. pr.).

COR. II. Et quoniam qualitates enti simplici tribuendae vel materialiter vel formaliter spectari possunt (§. 13. Cor. 1.), etiam quantitas enti simplici tribuenda vel ad ipsius qualitates materialiter, vel ad eiusdem qualitates formaliter spectatas pertinet. Qua ex ratione etiam *gradus*, qui enti simplici competere possunt, in *materiales* & *formales* dividuntur.

COR. III. Et ita sufficienter intelligitur, cur a Philosophis dicatur, ens simplex maius fieri non posse, nisi intensive. Quae enim de extenso qua extenso dicuntur, de ente simplici valere nequeunt (§. 138. & §. 7. Ont. & §. 2. Mon.).

§. XV.

Continuatio prioris.

Qualitates, quae enti simplici tribuendae, sunt determinationes vis (§. 11.). Quantitas enti simplici tribuenda est eiusdem qualitatis quantitas (§. 14.). Ergo & quantitas enti simplici tribuenda est vis eiusdem entis determinatio,

tio, seu quantitas vis. Ex illis ergo, quae de virium quantitatibus in superioribus §. 63. seqq. Ont. demonstrata sunt, permulta hic inferri possent consectaria, ne vero ambages fiant molestae, de illis infra breviſſimis dicam.

§. XVI.

Inde infertur similitudo atque aequalitas entium simplicium.

Identitas qualitatum dat similitudinem (§. 51. Cor. 1. Ph. pr.), & quantitatum identitas dat aequalitatem (§. 48. Ph. pr.). Ergo patet ex dictis, quo sensu entia simplicia similia, & quo sensu aequalia dici possint.

COR. I. Qualitates entibus simplicibus tribuendae vel materialiter vel formaliter spectatae sunt (§. 13. Cor. 1.). Similitudo itaque entium simplicium *vel* ex identitate qualitatum materialiter spectatarum, *vel* ex identitate qualitatum formaliter spectatarum, *vel* ex harum & illarum identitate simul determinari debet. Quod vero ab identitate qualitatum materialium ad identitatem qualitatum formalium non valeat consequentia, ex §. 13. Cor. 2. immediate patet.

COR. II. Et simul patet, si entia simplicia ob graduum identitatem sint aequalia, illa *vel* graduum materialium, *vel* graduum formalium, *vel* utriusque graduum generis identitatem continere (§. 14. Cor. 2.). Quod vero ab identitate graduum materialium ad identitatem formalium graduum non valeat consequentia, ex Cor. 2. §. 12. facile inferri potest.

§. XVII.

Qualitates entium simplicium quando realitates quando non.

Qualitas, quae enti simplici tribuitur, vel in eodem aliquid ponit vel non. Si prius, est realitas, non vero, si posterius (§. 186. Ont.). Et quoniam idea qualitatis ideam quantitatis non involvit (§. 42. Cor. 3. Ph. pr.), si qualitas entis simplicis in eodem aliquid ponit, inter realitates absolutas referri debet (§. 186. cum Cor. 1. Ont.).

COR. I. Quicquid enti inest, nihil tamen in eodem ponit, inter ipsius imperfectiones, & quicquid in eodem aliquid ponit, inter ipsius perfectiones referri debet (§. 191. Ph. pr.). Ergo & qualitates entis simplicis vel ipsius perfectiones vel ipsius imperfectiones constituunt.

COR. II.

COR. II. Entia itaque ſimplicia ſimilia vel ob perfectionum vel ob imperfectionum identitatem ſimilia eſſe poſſunt (§ 16.). Plura hic ex iis inferre velis, quae de realitatibus §. 186. cum Cor. Cor. Ont. demonſtrata. Conf. Sect. V. Ont. Speciatim vero infra non-nulla indicabo.

MONADOLOGIAE PARTIS GENERALIS

SECTIO II.

DE

VARIIS MODIS QVIBVS ENTIA SIMPLICIA DIVERSA ESSE POSSVNT.

CAP. I.

DE

DIVERSITATE ENTIVM SIMPLICIVM GENERATIM.

§. XVIII.

Entium ſimplicium diverſitas & identitas eſt vel intrinſeca vel extrinſeca.

ENtia ſimplicia, ſi ſunt diverſa, ſibi ſubſtitui nequeunt (§. 45. Ph. pr.). Sibi vero ſubſtitui nequeunt vel quoad determinationes intrinſecas, vel quoad determinationes extrinſecas (§. 40. Ph. pr.). Ergo & entium ſimplicium *diverſitatem* in *intrinſecam* & *extrinſecam* dividere debemus. Eodem modo patebit, quando entia ſimplicia ſint *intrinſece* & quando *extrinſece eadem*. vid. §. 51. Ph. pr.

COR. A diverſitate igitur extrinſeca entium ſimplicium ad eorum diverſitatem intrinſecam, & ab identitate entium ſimplicium intrinſeca ad eorum identitatem extrinſecam non valet conſequentia (Cor. 2. §. 51. Ph. pr.) &c. &c. Dicamus primo de intrinſeca entium ſimplicium identitate atque diverſitate.

§. XIX.

Intrinſeca illa diverſitas una de poſſibilibus.

Entium ſimplicium unum ab altero intrinſece diſtinguere non licet, niſi per virium eorundem determinationes. Intrinſece enim

enim entia simplicia distingui nequeunt, nisi per illorum determinationes intrinsecas (§. 18.), atque adeo distingui nequeunt, nisi per determinationes, quae, posito ente simplici, sine respectu ad alia cognosci possunt (§. 40. Ph. pr.). Eiusmodi itaque determinationes in impenetrabilitate indivisibili esse, patet (§. 2. conf. §. 15. Ph. pr.), atque adeo inter determinationes vis referri debent (per dem. §. 19. Ont.).

COR. I. Determinationes rerum intrinsecae sunt vel quantitates vel qualitates (§. 42. Cor. 3. Ph. pr.). Omnis ergo entium simplicium diversitas intrinseca vel in eorum quantitatibus, vel in eorum qualitatibus sita est.

COR. II. Omnis quantitas, quae enti simplici intrinsece spectato tribuenda, est quantitas qualitatis (§. 14.). Intrinsecam ergo entium simplicium diversitatem indicaturus, *primo* eorum qualitates, atque *deinde* detectarum qualitatum quantitates determinare debet.

COR. III. Qualitates entium simplicium vel materialiter vel formaliter spectari possunt (§. 13. Cor. 1.). Omnis ergo entium simplicium diversitas intrinseca, quatenus in qualitatibus eorum sita est, vel ex eorum qualitatibus materialiter, vel ex eorum qualitatibus formaliter spectatis sumi debet; Et omnis entium simplicium diversitas intrinseca, quatenus quantitatum eorum ratio habetur, vel quantitate qualitatis materialiter, vel quantitate qualitatis formaliter spectatae determinatur. Plura hic inferri possunt ex iis, quae §. 12. seqq. demonstrata sunt.

§. XX.

Inde entia simplicia in passiva activa & activo passiva dividuntur.

Si virium determinationum ratio habetur, entia sunt vel passiva, vel activa, vel activo-passiva (§. 20. Ont.). Entia simplicia sunt possibilia (§. 19.), iisdemque existentibus vires competunt (§. 1. Cor. 2.), ex quarum determinationibus omnis entium simplicium diversitas intrinseca sumi debet (§. 19.), ergo & principiis Logices convenienter *entia simplicia* in *passiva*, *activa*, & *activo-passiva* dividi possunt. *Ista* scilicet sunt, quorum vis sufficiens esse potest per principium

cipium efficiens; *illa* sunt, quorum vis sufficiens esse potest per principium removens; & *haec* sunt, quorum vis per principium removens, si cum efficiente modo coniungatur, sufficiens esse potest (§. 15. & §. 20. Ont.).

COR. I. Plura itaque ex iis, quae de dicta entium diversitate in Ontologia demonstrata sunt, etiam hic inferri possunt consectaria. Inquiramus modo in eiusmodi entium simplicium possibilitates.

§. XXI.

Entia simplicia passiva possibilia sunt. Haecce propositio, quo accurate demonstrari possit, primo vires possibiles esse, quae nudae potentiae, & deinde entia simplicia possibilia esse, quibus eiusmodi vires insunt, demonstrari debet. *Primum* ita evinco: Quicquid salva notione vis eidem competere potest, illa sub determinatione etiam vis possibilis est (§. 11. & 6. Ph. pr.). Quicquid vero, salva principii fiendi notione, adesse potest, illud etiam vi salva eiusdem notione competere potest (§. 10. Ont.). Ergo & eiusmodi sub determinatione vis possibilis est. Sed salva principii fiendi notione fieri potest, ut, quod eiusmodi principium est, rationem actualitatis insufficientem contineat (§. 168. & 96. Ph. pr.), ergo & vis eiusmodi esse potest, quae in se spectata rationem insufficientem actualitatis alicuius continet. Quicquid rationem actualitatis alicuius, sed insufficientem, continet, per illud quidem possibile est, ut aliquid fiat, si modo per aliud quoddam principium ratio illa fiat sufficiens (§. 96. 111. & 143. Ph. pr.). Ergo & eiusmodi vis possibilis est, quae per aliud quoddam principium sufficiens esse potest. Quare, cum etiam per principium aliud efficiens fieri possit, ut ratio in se insufficiens fiat sufficiens, (§. 170. Ph. pr. conf. dem. §. 44. Ont.), consequens est, ut vires possibiles sint, quae nudae potentiae (§. 15. Ont.). *Entium simplicium passivorum*

Eandem propositionem etiam ita evinco: Vis, quae in se spectata rationem insufficientem actualitatis alicuius con-

tinet, possibilis est (per ante dem.). Sed eiusmodi vis conatus esse nequit (§. 67. Ont.), ut ergo sit nuda potentia, consequens est (§. 15. Ont.).

Alterum propositionis membrum ita corroboro: Quicquid eiusmodi est, ut, salvo eo, ens aliquod indivisibile esse possit, sub ea etiam determinatione ens aliquod simplex esse potest (§. 1.). Quicquid vero solummodo constitutionem vis involvit, eiusmodi est, ut salvo eo ens aliquod indivisibile esse possit (§. 1. Cor. 2.). Ergo & ea sub determinatione ens aliquod simplex esse potest. Atque adeo entia simplicia possibilia sunt, quorum vires nudae sunt potentiae (per. dem. membr. 1.). Ergo & entia simplicia mere passiva inter possibilia referri debent (§. 20. Mon. & §. 15. Ont.).

COR. Quae itaque de entibus passivis in superioribus demonstrata sunt, etiam de simplicibus passivis, quorum possibilitas hactenus evicta, valere debent.

§. XXII.

Atque activorum possibilitas demonstratur.

Entia simplicia activa possibilia sunt. Hancce propositionem demonstraturus, iterum probare debet, primo vires esse possibiles, quae conatus, & deinde entia simplicia esse possibilia, quibus eiusmodi vires insunt. *Primum* ita evinco: quicquid, salva principii fiendi notione, adesse potest, sub ea etiam determinatione vis possibilis est (per dem. membr. 1. §. 21.). Sed, salva principii fiendi notione, fieri potest, ut, quod eiusmodi principium est, in se spectatum sufficientem actualitatis alicuius contineat rationem (§. 168. & 96. Ph. pr. conf. §. 167. seqq. Ont.), ergo & vis, quae in se spectata sufficiens ad agendum, possibilis est. Sed eiusmodi vis est conatus (§. 67. & 15. Ont.). Ergo & vires, quae sunt conatus, possibiles sunt. Hocce demonstrato *alterum* propositionis membrum eodem modo probari potest, quo alterum propositionis §. 21. positae membrum corroboratum, si modo ea mutentur, quae natura obiecti mutari iubet.

COR.

COR. Quae itaque de entibus activis Ontologia docet, etiam hic applicari possunt.

SCH. Easdem propositiones, quas §. 21. & 22. demonstravi, alio etiam modo corroborari possunt, si modo finiti atque infiniti entis notionum rationem ducere velimus. *Ex infiniti* enim *entis notione ita argumentor:* Ens infinitum, cuius possibilitatem atque existentiam §. 170. seqq. Ont. demonstravi, est ens simplex (per dem. 3. §. 9.). Est vero etiam ens activum, quod ab alio in agendo nunquam impediri potest (§. 164. Cor. 3. Ont.). Sed ultimum ex infiniti entis differentia specifica sequitur (per dem. l. c.), ergo primum, entis simplicis notioni non repugnare, affirmare licet. Atque adeo consequens est, ut entia simplicia activa sint possibilia. *Ex notione entis finiti ita argumentor.* Quicquid est eiusmodi, ut salvo eo, ens aliquod adhuc perfectius esse possit, id salva finitudine enti finito competere potest (§. 158. Cor. 1. Ont.). Atqui vim admittere, quae nuda potentia, & cuius possibilitatem dem. ad §. 21. indicat, eiusmodi est, ut salvo eo ens aliquod adhuc perfectius esse possit (§. 25. Ont.), atque adeo entis finiti vis, salva finitudine, nuda potentia esse potest. Ergo & entia simplicia finita entia mere passiva esse possunt (§. 1. Cor. 2. Mon. coll. §. 20 Cor. 1. Ont.). Ex quibus simul patet, entia simplicia mere passiva inter entia finita referri debere. *Dicta alio modo demonstrantur.*

§. XXIII.

Entia simplicia activa atque passiva sunt entia saltem diversae speciei. Entis enim simplicis passivi essentia vim, quae nuda potentia (§ 1. Cor. 2. & §. 20. Mon. coll §. 20. Cor. 1. Ont.), & entis simplicis activi essentia vim, quae conatus est, involvit (§§. cit. cit.). Ergo entis simplicis activi atque passivi essentiae sunt diversae (§. 33. Ph. pr. & §. 15. seqq. Ont.), eiusmodi itaque entia non habent eandem essentiam (§. 33. Ph. pr.), atque adeo sunt entia diversae speciei (§. 172. Ont.). *Entia illa sunt entia diversae speciei.*

COR. Ens itaque simplex passivum entis simplicis activi; & ens simplex activum entis simplicis passivi constitutivum fieri nequit (§. 8.). Ergo & plura, quae ex specifica entium diversitate in Ontologia deduxi, hic inferri possunt consectaria.

§. XXIV.

Entium simplicium activo-passivorum possibilitas demonstratur.

Fieri etiam potest, ut ens aliquod simplex sit ens activo-passivum. Entis simplicis activi atque passivi possibilitatem hactenus demonstravi. Ergo hic quaestio est, an unum idemque ens simplex ens activo-passivum esse possit. Cuius possibilitatem ita evinco. Ponamus, per ens aliquod indivisibile A varias actiones B C D E possibiles esse (quod vi §. 132. seqq. Ph. pr. & 12. 21. Ont. poni potest.). Ponamus porro, ens illud indivisibile in se spectatum ad actiones B C esse sufficiens, & ad actiones D E insufficiens (quae etiam vi dem. §. 21. & 22., si separatim spectantur, salva entis indivisibilitate, ergo & vi §. 6. Ph. pr. salva eiusdem indivisibilitate coniunctim poni possunt). Ergo quoad actiones B C vis entis A erit conatus, & quoad actiones D E potentia (§. 67. & 15. Ont.). Atque adeo ens illud simplex A erit ens activo-passivum (§. 20. Ont.). Quare, cum omnia, quae ante posita, possibilia sint (per dem.), entia simplicia activo-passiva possibilia esse, in dubium incertumque revocari nequit.

COR. Eodem ergo modo, ut ante §. 23. patebit, entia simplicia activo passiva, mere activa & mere passiva esse entia saltem diversae speciei. Quare & ens simplex activo passivum entis simplicis mere passivi & mere activi constitutivum fieri nequit, & vice versa (§. 8.).

Monitum.

SCH. Inquiramus vero modo, ne ambages fiant molestae, in entis simplicis qua activi & qua passivi determinationes. Quae enim de entibus simplicibus activo-passivis dicenda, ex illis immediate inferri possunt. Si tamen necesse erit, ut haec etiam principia indicentur, ea indicabo.

§. XXV.

Conclusio generalis ex dictis infertur.

Omnia entia, quatenus virium diversitatis ratio habetur, sunt vel mere activa, vel mere passiva, vel activo-passiva

(§. 20.

(§. 20. Ont. & §. 4. Ph. pr.). Posſibilitatem entium ſimplicium paſſivorum §. 21., activorum §. 22., & activo-paſſivorum §. 24. demonſtravi. Ergo & *omnis generis entium, ex virium diverſitate concipiendi, entia ſimplicia poſſibilia eſſe, hactenus evictum eſt.*

SCH. Neceſſe ergo eſt, ut quaeratur, an etiam eorum entium genera inferiora atque ſpecies poſſibilia ſint, & hoc fiat in ſequentibus huius ſectionis commatibus, uſum principiorum hactenus explicatorum ſufficienter indicaturus. Pro ſaeculi quidem genio propoſita atque proponenda plerisque nimis multa videbuntur, licet pauca ſunt, quae dicuntur. Sed ſolide omnia, quantum fieri poteſt, explicaturus, ea neceſſario evolvere debet. Amplum tamen, ut dixi, campum, qui ſupereſſet, ſi cuncta curatius intueri inſtituiſſem, quantum modo fieri poteſt, reſtringam. Ille vero, quae intellectui noſtro deſunt, optime docebit.

CAP. II.

DE

ENTIVM SIMPLICIVM DIVERSITATE SPECIATIM.

TIT. I.

DE

DIVERSITATE ENTIVM SIMPLICIVM MERE PASSIVORVM.

§. XXVI.

DE entium ſimplicium mere paſſivorum diverſitate actu- *Motus definitur.*
rus, ut de motu ante quaedam dicerem, neceſſe eſſe iudicavi. Dicitur vero *ens ſe movere*, ſi locum ſuum abſolutum mutat, atque adeo *motus* eſt mutatio loci abſoluti. Quid ſit locus abſolutus §. 129. Ont., & quid ſit mutatio §. 157. Ph. pr. dixi. Adaequate igitur ex iis, quid ſit motus, intelligi poteſt. Movetur nimirum ens, ſi non amplius in

in eodem manet ubi absolute spectato, in quo ante fuit. vid. §. 127. Ont.

COR. I. Si ergo ens A eum occupat locum seu illud ubi, quem vel quod antea aliud quoddam ens occupavit, tunc motus entis A poni debet. vid. §. 129. Cor. Ont.

COR. I. Quod vero a motu entis A ad eiusdem loci relativi mutationem non valeat consequentia, ex §. 129. Ont. immediate patet, licet a mutatione loci relativi entis A, ad eiusdem entis motum, quibusdam sub determinationibus possit concludi (§. 131. Cor. 1. Ont.).

Quae definitio probatur.

SCH. Motum, quem localem nominare solebant Philosophi, esse loci mutationem, ab omnibus tam veteribus quam recentioribus Philosophis conceditur. Quod vero a mutatione loci relativi entis A, ad eiusdem entis motum, non valeat consequentia, etiam inde immediate patet, quoniam experientia sufficienter docet, modum entis, quo simultaneis coexistit, mutari posse, licet, ens illud se movere, nec ab aliis moveri, dici nequeat. Atque adeo patet, Philosophos motum, mutationem loci, vocantes, per locum non relativum sed absolutum posse intelligere. Qua ex ratione etiam EPICVRVS motum per *migrationem e loco in locum* definivit. EMPIRICVS quidem contra Philosophum illum dixit, eiusmodi motus definitionem non comprehendere motum rotae figuli; sed respectu partium, quarum respectu motus solummodo hic conceditur, omnino loca absoluta mutantur. Ergo nec est, ut eiusmodi obiectionum caussa definitionem motus disiunctivam cum CHRYSIPPO aliisque velimus formare, *quod nimirum motus sit mutatio secundum locum aut ex toto, aut ex parte.*

§. XXVII.

Eiusque possibilitas demonstratur.

Motus entium, salvis eorum essentiis, possibilis est. Ponamus duo entia A & B. Ergo A occupat locum a loco alterius B diversum (§. 127. & 128. Cor. 1. Ont.). Tam itaque locus, quem A occupat, quam locus a B occupatus relative spectari possunt (§. 129. Ont.). Sed locus entis relativus mutari potest (§. 131. Ont.). Ergo & quorundam entium

entium motus, salvis eorum essentiis, possibilis est (§. 131. Cor. 1. Ont. & 26. Mon.).

Eandem propositionem universaliter ita evinco: Omnis entis locus absolutus, salva eiusdem entis essentia, mutari potest (§. 132. Cor. 1. Ont.). Eiusmodi vero mutatio vocatur motus (§. 26.). Ergo & salvis entium essentiis eorum motus possibilis est.

A Zenonis obiectionibus liberatur.

SCH. Contradicitur itaque sententiis eorum, qui motus possibilitatem negarunt, quorumque argumenta fusius recensuit GASSENDVS l. c. *Lib. V. de Motu rerum Cap. I.* Quae vero pluribus hic refutare nolo, quoniam saepe id recurret, cum passim occasio dabitur. ZENONIS modo argumentorum praecipua, quibus motus impossibilitatem corroborare voluit, & quae DIOGENES, non alio modo, quam surgendo ambulandoque confutanda censuit, brevissimis explicabo, quoniam divisionis infinitae impossibilitatem confirmare possunt. Supponit Philosophus ille, *divisionem in infinitum dare*, &, hac supposita, argumentum ipsius primum ita exprimi potest: *si motus localis scilicet sit possibilis, necesse erit, ut motus quidam possit inchoari. Sed ultimum fieri nequit. Ergo & prius falsum est.* Probatio falsitatis consequentis haec erit: *ponamus, motum posse inchoari, ergo ex quolibet spatio prius percurri debet dimidium vicinius quam remotius; & talis dimidii iterum esse debet dimidium vicinius, quod prius percurrendum, ac eius dimidii pari ratione aliud, illiusque aliud, atque ita in infinitum, absque eo, quod detur unquam primum momentum, quo accipi prius non possit, & in quo non dimidii dimidium supersit. Ideo nunquam patet ingressus in spatium; atque adeo nec motus inchoari potest.* Alterum praecipuorum dicti Philosophi argumentorum erit: *Ex quo sequitur, ut idem tempus simul exaequaretur duplo & dimidio, illud absurdum est, Atqui si motus possibilis, inde sequetur, ut idem tempus simul exaequaretur duplo & dimidio. Ergo motus impossibilis est.* Minoris probatio ex illius sententia haec erit: *si posito motu contingere potest, ut simul totum spatium percurreretur & eius*

dimidium, etiam fieri poteſt, ut idem tempus ſimul exaequaretur duplo & dimidio. Sed prius fieri poteſt, ergo & poſterius. Prioris vero veritatem ita probat: *ponamus tria corpora eiusdem longitudinis, & ſupra unum immotum reliqua duo ita conſtitui, ut in eius medio alteris extremis ſe contingerent, ſed angulo ulteriore unius, cum citeriore alterius; ac tum aequali motu progreſſa ſeſe praeterraderent, donec, quae extrema erant in immoti medio, in eiusdem extremis forent: Sane extremum alterius, quod fuiſſet in medio, non percurreret, niſi dimidium ſpatii, ſive longitudinis corporis immoti, & interea tamen percurreret totum ſpatium, ſive totam longitudinem corporis occurrentis: cumque futurae eſſent duplo plures iſtius, quam illius partes, atque idcirco percurrendae momentis duplo pluribus, efficeretur, ut idem tempus exaequaretur ſimul duplo & dimidio.* Etc. &c.

§. XXVIII.

Atque magis explicatur.

Omnis motus eſt actio quaedam ſucceſſiva, qua ſpatium aliquod in abſtracto ſumtum determinatur, ſeu, ut Mathematici dicunt, deſcribitur. Ens enim A, quod eſt in motu, continuo alium occupat locum, quam ante (§. 26. cum Cor. 1.). Quatenus itaque eſt in motu, ſufficientem continet rationem, cur continuo in alio exiſtat loco (§. 96. Ph. pr.), atque adeo agit (§. 12. Ont.). Motus itaque inter actiones referri debet (§. cit.). Q. e. p.

Ponamus porro ens A eſſe in motu, ergo continuo alium occupat locum, quam ante (per. dem. membr. 1.). Mutato ergo loco B occupat alium locum C, & ita porro. Varia itaque, quae motum conſtituunt, ſunt ſucceſſiones (§. 84. Ph. pr.). Quare, cum motus ſit actio (per membr. 1), motus actio ſucceſſiva nominari debet (§. 56. Ont.). Q. e. a.

Locus, quem ens A primo occupat, & locus, quem, quatenus eſt in motu, illo mutato, deinde occupat, ita conſtituta ſunt, ut, ſi entibus ſimul occupentur, entia illa vel proxime vel remote ſint coexiſtentia (§. 76. O. & §. 84. P. pr.). Sed poſte-

posterius esse nequit (per. dem. membr. 1. & dem. §. 93. Ont.). Ut ergo prius sit, consequens est. Atque adeo omni motu spatium aliquod in abstracto sumtum determinatur seu describitur (§. 135. Ont.). Q. e. t.

COR. I. Ex ultimae propositionis demonstratione patet, *quod omne ens, in motu constitutum, ante, quam terminum contingat, successive transire debeat per omnia loca intermedia.*

COR. II. Posito motu, series successionum continua ponenda est. Eiusmodi vero series vocatur tempus (§. 87. Ph. pr.). Posito itaque motu, etiam tempus aliquod poni debet. Atque adeo motui non sine ratione celeritas tribuitur (§. 58. Ont.).

COR. III. Omnis motus est actio. Sed omnis actio est vis (§. 14. Ont.). Ergo & inde patet, quo sensu motus inter vires possit referri.

SCH. Omnis motus est actio successiva. Sed non omnis actio successiva est motus. Inde tamen factum est, ut veteres, motum localem, de quo dixi, a motu generatim sic dicto distinguentes, omnem actionem successivam motum nominaverint. Et eo significatu, *omne ens finitum in perpetuo esse motu*, affirmarunt. Et ita simul patet, quae de motu dixerunt, ex illorum sententia ad motum localem immediate non posse applicari. *Monitum.*

§. XXIX.

Omnia, quae obvio in motu locali qua tali distinguenda, sunt 1.) *punctum, a quo motus fit,* 2.) *punctum, ad quod fit* 3.) *spatium, quod inde describitur, atque* 4.) *tempus, quo illud describitur.* Ex eo enim, quod ens in motu sit locali, nil inferri potest, nisi quod deinde alium occupet locum, quam antea occupavit (§. 26.). Omnia ergo, quae in motu locali qua tali distinguenda, vel loca entis, quae occupantur, in se considerata, vel quae locorum mutatio qua talis exhibet, spectant. Priori vero respectu in motu qua tali nil cogitare possumus, nisi locum, quem ens, quod in motu est, primo occupavit, & locum quem deinde occupat, quorum ille *Varia quae in motu distinguenda indicantur.*

punctum, a quo motus fit, & hic punctum, ad quod motus fit, nominatur; & posteriori respectu in eodem motu nil possumus cogitare, nisi dictae mutationis successionem, & seriem locorum, quae durante motu successive occupata. Vltimum dat spatium, quod durante motu describitur, & primum dat tempus, quo illud describitur (§. 28. cum Cor. Cor.). Atque adeo in obvio motu locali qua tali punctum, a quo motus fit, punctum, ad quod ille fit, spatium, quod inde describitur, atque tempus, quo illud describitur, solummodo distinguenda sunt.

COR. I. Si ergo motum localem abstractive velimus considerare, in illo distingui nequit, nisi spatium, quod illo describitur, atque tempus, quo spatium illud describitur.

COR. II. Quare, cum celeritas sit, quo ens, certo tempore, certum operationis suae scopum attingit (§. 58. Ont.), motus celeritas est, quo mobile id est, ens, quod in motu est, aptum redditur ad datum spatium dato tempore percurrendum.

COR. III. Si ergo duo mobilia A & B idem spatium eodem tempore describunt, celeritates eorum sunt aequales. Si vero spatia illa, quae motu A & B eodem tempore describuntur, sunt diversa, celeritates illorum se ad se invicem habent, ut spatia illa. Et si ab A & B diverso tempore eadem spatia describuntur, celeritates illorum se ad se invicem habent, ut tempora, quibus describuntur. vid. §. 58. Cor. 2. Ont.

§. XXX.

Vis motrix quid.

Quicquid agit, ut vim habeat necesse est (§. 10. & 12. Ont.). Omne ens, quatenus est in motu, agit (§. 28.). Ergo & eo respectu vis illi tribuenda est, quae vocatur *vis motrix*. Est itaque *vis motrix* principium, quod rationem motus continere potest (§. 10. Ont.).

Directionis definitio inde infertur.

COR. Si ergo ens obvium A est in motu, in vi ipsius motrice tam determinatio ad certam quandam celeritatem, quam determinatio ad certi cuiusdam loci, ab illo, quem hactenus occ pavit, diversi occupationem continetur §. 29. cum Cor. Cor. Ultima determi-

terminatio vocatur *directio*. Atque adeo intelligitur, cur in obvio motu locali non nisi celeritatem atque directionem distingui posse, a Philosophis dicatur. vid. §. cit. conf. Ill. HAMBERGERVM l. c. §. 20. seqq.

§. XXXI.

Natura, Motus naturalis & violentus explicatur.

Omne ens, quatenus in motu est, agit (§. 28.). Atque adeo vis ipsius est in actu secundo (§. 12. Cor. Ont.), seu sufficiens (§. 11. Ont.). Ergo vel aliud quoddam principium efficiens rationem continet, cur vis illa sit sufficiens vel non. Si prius, ARISTOTELES *motum* nominavit *violentum*, si vero posterius, vis eiusdem entis, quod in motu est, principium huius motus efficiens esse debet (§. 10. Ont. coll. §. 170. & 111. Ph. pr.), atque adeo ab eodem Philosopho vocatur *motus naturalis*. Omnis enim entis *actio naturalis* est, cuius ratio efficiens non est extra illud ens, sed in eodem ente, quod agit. Quoniam *natura* entis in genere non est, nisi eiusdem entis vis, quatenus in eodem ente sine respectu ad alia principia efficientia modificabilis. Quare & motus ille violentus *praeter-naturalis* vocari potest.

COR. Si ergo principium illud extrinsecum, per quod vis entis A sufficiens, solummodo sit removens, actio, quae inde oritur, inter ipsius entis A, actiones naturales referri debet (§. 170. Ph. pr.). De naturali, praeternaturali & motu infra pluribus dicam, quoniam hactenus de illis dicta hic sufficiunt.

§. XXXII.

Ens quomodo in aliud ens simplex, quod est in quiete agere possit.

Nullum ens efficere potest, ut aliud quoddam ens simplex existens, & qua simplex spectatum, & quod in eodem, quo ante fuit, manet loco absoluto, agat, nisi per remotionem impedimenti. Ens enim simplex existens est impenetrabile absolute indivisibile (§. 1. Cor. 3.). Si ergo in eodem manet loco absoluto, quem ante occupavit, absolute impossibile est, ut aliud quoddam ens existat, nisi extra illud (§. 7. & 127. coll. §. 129. Ont.). Ubi ens non existit, ibi nec vis ipsius agere potest (per dem. §. 93. Ont.). Ergo impossibile est,

ut ens aliquod in aliud ens simplex existens, quod in eodem, quo ante fuit, manet loco absoluto, agere possit, nisi extrinsece (§. 40. Ph. pr.). Quare, cum fieri non possit, ut ens aliquod efficiat, ut aliud ens agat, nisi illud ens in hocce agat (§. 84. Ont.), nullum ens efficere potest, ut aliud quoddam ens simplex existens, & quod in eodem, quo ante fuit, manet loco absoluto, agat, nisi per actionem, qua enti illi simplici determinationem quandam extrinsecam tribuere licet. Iam ponamus, ens simplex, quod dictis sub determinationibus ad agendum determinatur, agere. Ergo vis ipsius vel in se spectata sufficiens fuit ad agendum, vel non. Si posterius, necesse est, ut per actionem alterius maior (§. 63. Ont.), atque adeo determinatio quaedam intrinseca in eodem ente facta sit existens (§. 41. Ph. pr.), quoniam vero hoc demonstratis repugnat, prius esse debet. Quicquid vero efficit, ut aliud quoddam ens, cuius vis in se spectata sufficiens ad agendum agat, id solummodo efficere potest, ut illius entis vis maneat sufficiens (§. 111. Ph. pr. coll. §. 12 Cor. Ont.), idem itaque solummodo per impedimenti remotionem efficit (§. 105. Cor. Ph. pr.). Atque adeo positum illud principium sufficienter probatum est.

COR. I. Si itaque vis entis simplicis A, in se spectata, non est sufficiens ad agendum, nullum aliud ens efficere potest, ut illud A in eodem, quem ante occupavit, loco absoluto manens, fiat agens (per dem.). Sed vis entis simplicis mere passivi eiusmodi est conditionis (§. per dem. §. 61. & 15. Ont. coll. §. 20. Mon.). Ergo & nullum ens efficere potest, ut ens aliquod simplex mere passivum dictis sub determinationibus agat.

COR. II. Et simul ex dictis patet, nullum ens in aliud ens simplex existens, quod in eodem, quem ante occupavit, loco absoluto manet, agere posse, nisi impediendo aut impedimenta removendo (§. 84. Ont. conf. §. 90. seqq. & §. 68. Ont.).

§. XXXIII.

Ergo ens simplex passivum quod est in

Per ens simplex mere passivum, quod in eodem manet loco absoluto, quo antea fuit, nullae actiones immanentes possibiles sunt.

quiete immanenter agere nequit.

sunt. Ponamus enim, per ens simplex mere passivum A actiones immanentes dicta sub determinatione esse possibiles. Ergo per vim ipsius A in eodem loco absoluto, quo antea fuit, manentis, determinatio quaedam intrinseca, in eodem existens fieri potest (§. 21. coll. §. 6. Ont.). Quicquid vero per vim entis possibile est, idem existens fieri potest, si modo vis ipsius sit sufficiens (§. 12. Cor. Ont.). Ergo & determinatio illa intrinseca in ente A, dictis sub determinationibus, existens fieri potest, si modo vis ipsius entis fiat sufficiens. Sed vis illa sufficiens fieri nequit, nisi per principium aliquod extrinsecum efficiens (§. 20,). Ergo actiones immanentes per ens simplex mere passivum dicta sub determinatione non sunt possibiles, nisi fieri possit, ut sub eadem determinatione vis ipsius per aliud principium efficiens fiat sufficiens ad producendam determinationem quandam intrinsecam. Quare, cum hoc impossibile sit (§. 32. Cor. 1.), etiam per ens simplex mere passivum dicta sub determinatione actiones immanentes non sunt possibiles.

COR. Ens itaque simplex mere passivum, quatenus in eodem loco absoluto manet, agere nequit, nisi transitive (§. 21. Ont.).

§. XXXIV.

Actiones per ens simplex passivum possibiles generatim indicantur.

Nullum ens simplex mere passivum agere potest, nisi motu, vel ita, ut alterius cuiusdam entis sit impedimentum. Si enim ens simplex mere passivum agit, vel locus ipsius absolutus mutatur, vel non. Si prius, agit motu (§. 26.), si vero posterius, in eodem manet loco, quo antea fuit. Ergo vel agit in se, vel in alia entia (§. 1. & 6. Ont.). Sed in se agere nequit (§. 33. Cor. Mon. coll. §. 12. Ont.), si ergo agit, ut in aliud quoddam ens agat necesse est. Agere itaque solummodo potest in aliud quoddam ens, quod cum illo proxime coexistit (§. 93. Ont.), atque adeo agit in aliud quoddam ens, quod etiam est in quiete (§. 127. & 129. C. Ont.). In dictum hocce ens agit, vel quatenus activum, vel quatenus passivum est ens. Si prius, aut efficit, ut vis ipsius omni respectu

ſpectu maneat ſufficiens, aut ut non maneat ſufficiens (§. 20.). Sed priori reſpectu, ut in illud agat, dici nequit (§. 111. Ph. pr. coll. §. 84. & 49. Ont.), ergo in illud non alio modo agit, niſi ita, ut ſit ipſius impedimentum (§. 104. Ph. pr. coll. §. 49. Ont. vid. §. 91. Ont.). Si vero ens illud, in quod dictum ens determinato modo agit, eſt paſſivum, iterum ſufficienter ex dictis patet, illud ens in hocce agere non poſſe, niſi ita, ut ſit ipſius impedimentum vid. §. 32. Cor. 2. Ergo patet, nullum ens ſimplex mere paſſivum agere poſſe, niſi motu, vel ita, ut alterius cuiusdam entis ſit impedimentum.

Monitum. *SCH.* Eadem etiam propoſitio ex impenetrabilitate entis ſimplicis paſſivi, & ex eo, quod ipſius vis ſufficiens eſſe nequeat, niſi per aliud quoddam principium efficiens, facili negotio inferri poteſt.

§. XXXV.

Poſſibilitas motus entis ſimplicis paſſivi demonſtratur. *Per ens ſimplex mere paſſivum B motus poſſibilis eſt, ſed non niſi motus violentus.* Quod enim locus ipſius abſolutus mutari poſſit, ſufficienter patet ex §. 27. coll. §. 34. Quod vero motus ipſius ſit hypothetice poſſibilis, ita evinco: ponamus ens aliquod ſimplex A eſſe in motu (quod vi. dem. §. 27. poni poteſt.), ponamus porro ens hocce A tranſire ad ens illud ſimplex B, quod eſt in quiete. Quare, cum vis entis A dictis ſub determinationibus maior eſſe debeat vi entis B (§. 64. ſeqq. Ont. coll. §. 61. Ont. & §. 1. Mon.), fieri non poteſt, ne ens illud A eum occuparet locum abſolutum, quem antea ens hocce B occupavit (§. 51. & 7. ſeq. Ont.). Locus itaque abſolutus entis B mutatur (§. 157. Ph. pr.). Ergo & patet, quomodo per ens ſimplex mere paſſivum motus ſit poſſibilis. Q. e. p.

Si ens illud ſimplex B eſt in motu, tunc agit (§. 28.). Atque adeo vis ipſius eſt ſufficiens (§. 12. Cor. Ont.). Sed vis entis ſimplicis mere paſſivi ſufficiens eſſe nequit, niſi per principium extrinſecum efficiens (§. 20.). Ut ergo motus ille ſit violentus, conſequens eſt (§. 31.).

COR.

COR. Ex membri primi demonstratione simul patet, quomodo fieri possit, ut ens aliquod simplex mere passivum actioni alterius cuiusdam entis sit impedimento.

SCH. Pluribus de modo producendi motum eiusque quantitate atque effectibus infra, regulas motus earumque concursum speciatim explicaturus, dicam. Intrinseca enim entium simplicium mere passivorum differentia ex hactenus explicatis sufficienter deduci potest.

§. XXXVI.

Motus entis passivi continuatio quomodo possibilis.

Ens simplex mere passivum semel motum ad statum quietis pervenire nequit, nisi a caussa quadam externa sufficiente efficiente ad quietem redigatur. Ens enim illud simplex semel motum agit (§. 29.), atque adeo in eodem statu agendi perseverat, donec impedimento quodam sufficiente ad non-agendi statum redigatur (§. 50. & 52. Ont.). Ergo ad statum quietis pervenire nequit, nisi impedimento quodam sufficiente ad eundem redigatur (quies enim est motus oppositum). Hocce itaque ens vel se ipsum impedire potest, vel non. Si prius, vis ipsius se, sine respectu ad alia entia, ad agendum determinare potest (§. 12. Ont.). Ergo sine alio principio efficiente sufficiens esse potest, (§. 12. Cor. Ont.), ergo non est ens simplex mere passivum (§. 20.), quod contra hypothesin. Ergo posterius esse debet, atque adeo ad statum quietis pervenire nequit, nisi ab impedimento quodam sufficiente externo ad eundem redigatur. Quod vero hocce impedimentum in principio quodam efficiente contineri debeat, docent ante dicta coll §. 20. Mon. & 91. Ont. Ergo & caussa quaedam externa sufficiens efficiens, qua ens illud ad statum quietis redigatur, si ad eundem perveniat, adesse debet (§. 103. seqq. Ont.).

COR. I. Posita eadem ratione sufficiente idem etiam rationatum poni debet (§. 96. Cor. 1. Ph. pr). Data itaque demonstratio principium hocce generale confirmat: *Ens mere passivum semel motum ad statum quietis pervenire nequit, nisi a caussa quadam externa sufficiente efficiente ad eundem redigatur.*

COR. II. Quatenus itaque eiusmodi ens in motu est, status ipsius antecedens est consequentis ratio sufficiens (§. 96. Ph. pr.) efficiens (§. 105. Ph. pr.) metaphysice sumta (§. 98. Ph. pr.) conf. §. 39. Ont.

Inde infertur possibilitas motus in vacuo.

SCH. Quid sit locus inanis Sch. 2. §. 118. Ont. dixi, quatenus loca inania sunt, dicuntur *vacua*. Quare & spatium, in abstracto sumtum, vacuum nominari potest (§. 135. Ont.). Ergo & ex §. 37. seq. patet, in vacuo etiam possibilem esse entis motum, cuius impossibilitatem non-nulli cum PAVLO CASATO PLACENTINO affirmare voluerunt. *vid. cit. Aut. scriptum de impossibilitate motus in vacuo.*

§. XXXVII.

Eiusdem entis agentis vis est derivativa.

Vis entis mere passivi, ergo & simplicis, semel moti est ipsius vis derivativa. Si enim ens mere passivum, atque adeo & ens simplex passivum, est in motu, vis ipsius (§. 19. Ont.) est agens (§. 28.). Si vero entis mere passivi vis est agens, vis ipsius agens est derivativa (§. 62. Cor. 2. Ont.). Ergo & vis, quae enti mere passivo, atque adeo & enti simplici mere passivo, quatenus est in motu, tribuenda, eiusdem entis vis derivativa nominari debet.

COR. Si itaque vis enti mere passivo tribuenda, non nisi eiusdem entis vis primitiva sit, consequens erit, ut, ens illud in motu esse, dici nequeat.

§. XXXVIII.

Ergo status motus entis passivi est ipsius modus intrinsecus.

Si ens mere passivum, atque adeo & ens simplex mere passivum, est in motu, ut agat, ipsius entis est modus & quidem intrinsecus. Status enim ille motus, salva dicti entis essentia, abesse potest (§. 38. Cor. 1. Mon. §. 62. Ont. & §. 15. Ph. pr.). Si ergo est in motu, status ille est ipsius entis affectio (§. 26. Ph. pr.), non-attributum (§. 122. Cor. 1. Ph. pr.). Et quoniam status ille motus dicto enti competit per rationem fiendi extrinsecam (per dem. membr. 2. §. 35. Mon. coll. §. 100. Ph. pr.), inter ipsius entis modos referri debet (§. 125.

(§. 125. Ph. pr.). Quod vero ipsius entis modus intrinsecus sit, docet §. 128. Ph. pr. coll. §. 36. Mon.

COR. I. Determinatio entis intrinseca, quae sine aliis assumtis intelligi potest, est ipsius entis qualitas (§. 42. Ph. pr.). Ergo & status ille motus inter dicti entis qualitates referri debet (§. 26.).

COR. II. Determinata itaque motus quantitas, est ipsius gradus (§. 44. Ph. pr.). Ergo & gradus motus ex Cor. 3. §. 29. facili negotio deduci atque determinari possunt. De quibus pluribus infra.

COR. III. Hic modo notare velis, quod entium simplicium mere passivorum diversitas, quae ex motus diversitate deducitur, nulla sit, nisi diversitas eorum accidentalis (§. 54. Ph. pr.).

§. XXXIX.

Sponte agere & spontaneitas explicatur.

Si principium efficiens, quo ens aliquod agit, est ipsius entis intrinsecum, ens illud A vel sine aliorum principiorum efficientium extrinsecorum concursu eodem principio efficiente se ad alias actiones determinare potuit, vel non. Si prius, ens illud *sponte agere* dicitur, non vero si posterius. Est ergo *spontaneitas* principium entis efficiens intrinsecum, quo ens sine aliorum principiorum efficientium extrinsecorum concursu ad diversas se determinare potest actiones.

COR. I. Magis itaque determinatum est το sponte agere, quam sine alterius cuiusdam principii efficientis extrinseci concursu agere (§. 16. P. Log.). Atque adeo ab hoc ad illud non vice versa valet conclusio (§. 33. Cor. 1. P. Log.).

COR. II. Quicquid agit per principium aliud extrinsecum, sed solummodo removens, illud sine concursu alterius cuiusdam principii efficientis extrinseci, qua talis, agit (§. 90. Ont.). Ergo & ex eo, quod ens obvium per principium aliud extrinsecum, sed solummodo removens, agat, quod non sponte agat, inferri nequit.

Contra Aristotelem.

SCH. Non itaque sententiae ARISTOTELIS, spontaneitatem

tatem rebus etiam inanimatis, quatenus sine vi quadam externa agunt, tribuentis, subscribere possum. vid. interim LEIBNITIVM *in Theodicaea* Part. III. §. 290. & 391.

§. XL.

Et entibus passivis denegatur.

Nullum ens mere passivum, ergo nec ens simplex mere passivum, sponte agere potest. Quicquid enim sponte agere potest, idem sine alterius cuiusdam principii efficientis extrinseci concursu agere potest (§. 39.). Quicquid vero agere potest, ipsius vis sufficiens esse potest (§. 11. sq. Ont.). Quicquid itaque sponte agere potest, ipsius vis sine alterius cuiusdam principii efficientis extrinseci concursu sufficiens esse potest. Sed ens, cuius vis sine dicti principii concursu sufficiens esse potest, inter entia mere passiva referri nequit (§. 20. Cor. 1. Ont.). Nullum itaque ens mere passivum, ergo nec ens simplex mere passivum, sponte agere potest.

COR. Quatenus ergo ens aliquod sponte agere potest, eo etiam respectu ens activum esse debet (§. 20. Ont.). Ergo pluribus de spontaneis actionibus infra.

§. XLI.

Ergo entia simplicia mere passiva, si sunt in quiete, perfecte eadem sunt.

Entia simplicia mere passiva, si sunt in quiete, intrinsece spectata perfecte eadem sunt. Intrinsece enim distingui nequeunt, nisi per virium determinationes (§. 19.). Sed omnes virium determinationes sumi debent ex actione, quae per illas fieri possunt (§. 12.). Ergo & entia illa passiva distingui nequeunt, nisi per actiones per illa possibiles. Sed per entia simplicia mere pasiva, quae sunt in quiete, aliae actiones non sunt posibiles, nisi motus violenti, atque quibus aliorum entium impedimenta esse possunt (§. 34. seq.). Sed per prioris generis actiones entia illa dicto modo distingui nequeunt, aut enim actu entium aliorum sunt impedimenta, aut ea solummodo esse possunt. Si prius, pertinent ad eorum extrinseca (§. 104. & 40. Ph. pr.), atque adeo inter ea referri nequeunt, quae illorum differentiam intrinsecam constituunt (§. 46. Ph. pr.); & si posterius, possibilitas

sibilitas haec resistendi in omnibus entibus simplicibus mere passivis eadem esse debet (§. 61. Ont. coll. §. 1. & 20. Mon. vid. Cor. §. 34. Mor.). Ergo nec ex illa differentia quaedam intrinseca hic sumi potest (§. 45. Ph. pr.). Nec per actiones posterioris generis entia simplicia mere passiva intrinsece distingui possunt. Quoniam enim in motu non distingui potest, nisi celeritas atque directio (§. 30 Cor.), quae vero si entia illa sunt in motu, a principio efficiente externo dependent (§. 61. Cor. 2. Ont.), etiam entia illa simplicia, si sunt in quiete, ad hasce determinationes sunt indifferentes (per. dem. §. 61. Ont.), atque adeo eadem (§. 60. Ont. coll. §. 33. Ph. pr.). Ergo entia simplicia mere passiva, si sunt in quiete, intrinsece spectata perfecte eadem sunt (§. 46. sq. Ph. pr.).

COR. I. Si A & B intrinsece spectata perfecte eadem sunt, eadem etiam esse debent ratione essentiae (§. 40. Cor. & 46. seq. Ph. pr.). Sed entia, quae eandem habent essentiam, sunt entia eiusdem speciei (§. 172. Ont.). Omnia ergo entia simplicia mere passiva sunt entia eiusdem speciei.

COR. II. Entia eiusdem speciei entia diversi generis esse nequeunt (§. 32. Cor. 2. P. Log.). Ergo & diversi generis entia simplicia mere passiva sunt impossibilia.

COR. III. Quae intrinsece perfecte eadem distingui nequeunt, nisi extrinsece (§. 40. & 46. Ph. pr.). Omnis ergo entium simplicium mere passivorum, si sunt in quiete, diversitas in determinationum extrinsecarum diversitate consistit. Quomodo vero ea entium illorum diversitas sit possibilis, sufficienter docet §. 127. sqq. Ont. Ex quibus simul patet, quomodo diversae entium simplicium mere passivorum species subalternae sint possibiles (Cor. 1. §. 178. Ont. Conf. §. 38. Mon.).

§. XLII.

Si plura entia simplicia mere passiva simul existunt, omnia, licet sint in quiete, extrinsece differunt. Si enim plura entia simplicia mere passiva simul existunt, quodlibet eorum occupat locum a locis, quae reliqua occupant, diversum (§. 127. Ont.). Is itaque modus, quo eorum unum reliquis coexi-

Omnia tamen si coexistunt extrinsece diversa esse debent.

coexistit diversus est a modo, quo eorum alterum reliquis coexistit (§. 129. Ont.). Quare, cum coexistentia det determinationem extrinsecam (§. 40. & 84. Ph. pr.), omnia entia simplicia mere passiva, quae simul existunt, & licet in quiete sint (§. 26.), extrinsece differunt (§. 46. seq. Ph. pr.).

Inde explicatur principium identitatis indiscernibilium.

SCH. Et ita accipis sententiam meam de principio, quod LEIBNITIVS in Epist. v. ad CLARKIVM *principium identitatis indiscernibilium* nominavit, *in quo nimirum ratio sufficiens invenienda, cur non existant duo entia perfecte eadem, ita ut non, nisi numero, differant.* Si nimirum diversitas illa sit intrinseca, universalitatem dicti principii nego, vi §. 41. Si vero diversitas illa etiam sit extrinseca, propositionem illam universaliter veram esse, vi hui. §. concedo. Si quis forsan velit provocare ad demonstrationes, quibus etiam priori significatu propositio illa a Philosophis sit corroborata, certissime ad ea provocabit, quae non existunt. Demonstratio, Ill. WOLFII §. *586. seqq. Metaph. idiom. germ.* data, principium illud solummodo posteriori significatu confirmat, quod etiam sententiae Ill. Philosophi quam maxime conveniens est. vid Sch. §. 248. *Cosm. lat.* Demonstratio vero acutissimi HANSCHII, qua in *Princip. Philos. Leibnit.* Theor. XIX. principium hocce etiam priori significatu corroborare voluit, idem, mea quidem sententia, non universaliter probat. Et simul inde patet, quo sensu monas derivativa cum LEIBNITIO *speculum universi* nominari possit. De quo infra pluribus.

§. XLIII.

Ratio efficiens inexistentiae in determinato loco quoad entia passiva indicatur.

Ratio efficiens, cur ens simplex mere passivum A in hoc & non alio existat loco, non est in eo loco, quem occupat, nec in ente illo A, sed in alio quodam ente, ab illo A diverso, esse debet. Fieri enim potest, ut ens illud A salva essentia sua alium, quam occupat, locum occuparet (per dem. §. 27.). Ratio itaque sufficiens adesse debet, ex qua concipi potest, cur hunc & non alium occupet locum (§. 111. Ph. pr.). Haec ratio est vel solummodo removens vel etiam efficiens (§. 105. Ph. pr.).

Ph. pr.). Sed prius esse nequit, quoniam ens illud A sit mere passivum (§. 20.). Ut ergo sit posterius, consequens est. Haec ratio vel est in ente quodam vel non. Sed ultimum esse nequit (§. 6. & 1. Ont.). Ergo nec esse potest in loco (§. 128. Ont.). Prius itaque esse debet. Ergo vel est in ente illo A, vel in alio quodam ente ab illo diverso. Sed prius esse nequit. Quoniam omnia entia simplicia mere passiva, si sunt in quiete, intrinsece spectata, sunt perfecte eadem (§. 41.), atque adeo hanc rationem continere nequeunt (§. 66. Ph. pr.), ut ergo posterius sit, consequens est.

COR. Et ita simul patet, quod ratio efficiens, cur plura entia passiva hoc & non alio modo coexistant, in ente quodam esse debeat, quod ab entibus illis diversum. Quod vero hocce ens inter entia activa sit referendum, simul ex demonstratione sufficienter patet. coll. §. 20 Ont. & §. 119. Cor. 2. Ph. pr. Sed de passivis entibus simplicibus hactenus dicta pro scopo sufficiunt.

TIT. II.

DE

DIVERSITATE ENTIVM SIMPLICIVM ACTIVORVM.

§. XLIV.

Entia simplicia activa sunt vel spontanea vel non.

ENtia simplicia activa, quorum possibilitatem §. 22. demonstravi, eiusmodi sunt entia, quorum vis sufficiens esse potest per principium removens (§. 20.). Vis itaque eorum in se spectata sufficiens est ad agendum (§. 67. Cor. 1. Ont.). Si ergo in agendo non impediuntur, necesse est, ut agant (§. 12. Cor. Ont.). Atque adeo entia simplicia, quatenus sunt activa, principio intrinseco agere, seu se ipsum ad agendum determinare possunt. Quare, cum eiusmodi determinatio sit vel spontanea vel non (§. 39. cum Cor. Cor.), fieri potest, ut entia simplicia, quatenus sunt activa, in entia simplicia activa, quae sponte, & quae non sponte agere possunt, dividamus. Ergo & prioris generis

neris *entia simplicia activa spontanea*, posterioris vero *non-spontanea* nominabo.

COR. Quae de entibus simplicibus activis hic dixi, ex eo deduxi, quod sint entia activa. Ergo generatim dici potest, entia activa esse vel spontanea vel non-spontanea. In cuius divisionis possibilitatem infra inquiramus, quoniam principia hactenus evoluta, ut eam demonstrem, non sufficiunt. Hic modo necesse erit, ut eorum notiones magis evolvamus. Primo itaque de non-spontaneis & deinde de spontaneis dicam. Notare modo velis, omnia, quae de hisce, sub determinatione, quod sint entia simplicia, demonstrabo, de entibus activis generatim sumtis dici posse, si modo ea omittantur, quae notio entis simplicis specifica exhibebit.

§. XLV.

Ens non-spontaneum se ipsum in agendo impedire nequit.

Quicquid non est ens spontaneum, id in agendo impediri nequit, nisi principio quodam extrinseco efficiente metaphysice sumto, & vice versa. Quicquid enim non est ens spontaneum, id principio suo intrinseco ad diversas actiones se determinare nequit (§. 39.). Quicquid vero ad diversas actiones se non potest determinare, id nec propria sua vi in agendo se impedire potest (§. 91. Ont.). Ergo nec ens, quod non est spontaneum, propria sua vi in agendo se impedire potest. In agendo itaque impediri nequit, nisi principio quodam extrinseco (§. 91. 184. Ont. coll. §. 169. & 111. Ph. pr.). Quod vero hocce principium extrinsecum sit efficiens, ex §. 91. Cor. Ont. coll. §. 170. Ph. pr. sufficienter patet. Ergo est tale vel sensu metaphysico vel logico (§. 167. Ph. pr.). Sed ultimum esse nequit, (per dem. coll. §. 98. & 167. Ph. pr.), ut ergo primum sit, consequens est.

Alterum positionis membrum eodem modo facili negotio demonstrari potest.

COR. I. Ergo nec ens simplex non-spontaneum propria sua vi in agendo impediri potest (§. 44.). Si ergo fieri possit, ut in agendo impediatur, ut hocce a principio quodam extrinseco efficiente metaphysice sumto fiat, consequens est.

COR. II.

COR. II. Principio hocce extrinseco, dum illud in agendo impedit, in idem agitur (§. 91. Ont.). Quare, cum enti inesse debeat (§. 6. Ont.), si ens non-spontaneum in agendo impeditur, aliud quoddam ens in illud agit. Atque adeo ens non-spontaneum in agendo impediri nequit, nisi ab alio quodam ente, quod cum illo proxime coexistit (§. 93. Cor. 2. Ont.). Idem ergo & valet de entibus simplicibus activis non-spontaneis. conf. §. 32. Cor. 2.

COR. III. Simul inde patet, ens illud, quod propria sua vi in agendo se impedire potest, esse spontaneum, & vice versa.

§. XLVI.

Quicquid est ens, sed non-spontaneum, id alio modo principio suo intrinseco seu vi sua agere nequit, nisi ita, ut in serie continua status agendi antecedens sit consequentis ratio efficiens sufficiens, metaphysice sumta. Et quicquid alio modo principio suo intrinseco agere nequit, quam dixi, illud etiam non est ens spontaneum. Quicquid enim est ens, sed non-spontaneum, id principio suo intrinseco seu vi sua ad diversas actiones se determinare nequit (§. 39.). Si ergo principio suo intrinseco seu vi sua agit, consequens ille status rationem habere debet sufficientem in ipsius statu agendi antecedente (§. 111. & 40. Ph. pr. coll. §. 12. Ont.). Ergo ratio haec vel est efficiens, vel removens (§. 105. Ont.). Sed ultimum esse nequit (§. cit. Ont. & §. 45. Mon.), ut ergo ratio haec sit efficiens, consequens est. Quod vero sit talis metaphysice sumta, ex dem. coll. §. 98. & 167. Ph. pr. sufficienter patet. Q. e. p.

Si ergo agit status antecedens consequentem vere determinat.

Ponamus, ens aliquod alio modo sua vi agere non posse. Ergo necesse est, ut ad diversas actiones se ipsum determinare nequeat (§. 111. Ph. pr.). Ergo est ens non-spontaneum (§. 39.). Q. e. a.

COR. Ergo & idem valet de ente simplici non-spontaneo. Et simul patet, ens, quod alio modo, quam dixi, sua vi agere potest, inter entia spontanea referri debere, & vice versa (§. 44.).

Monitum.

SCH. Ex eo, quod ens obvium A determinato quodam modo agat, ut alio quodam modo agere nequeat, immediate inferri non potest. Ergo nec ex eo, quod ens obvium A sua vi ita agat, ut antecedens status sit consequentis ratio efficiens sufficiens, metaphysice sumta, ens illud alio modo agere non posse, immediate deduci potest. Atque adeo notare velis, ut ens illud non sit ens spontaneum, legitimo quodam modo non immediate sequi.

§. XLVII.

Ergo & ille cum hoc, quatenus intrinsece spectantur, & quoad entia activa, perfecte idem est.

Si ens activum non-spontaneum, impedimento extrinseco remoto, propria sua vi agit: status ipsius agendi, qui ut consequens sumitur, intrinsece spectatus perfecte idem est cum statu ipsius agendi intrinsece spectato, qui ut antecedens sumi potest. Si enim ens illud activum non-spontaneum agit, in eodem status agendi consequens & antecedens distingui possunt (§. 46.). Status itaque ille consequens cum antecedente, quatenus intrinsece spectantur, vel perfecte idem est vel non. Si posterius, necesse est, ut ratio quaedam adsit, qua status ille mutatus (§. 50. Ont.). Sed quoniam ens illud propria vi agit (per hyp.), ratio illa esse debet in statu ipsius antecedente (§. 46.), atque adeo in eodem ente. Hocce vero principiis hactenus demonstratis repugnat. Quoniam enim sit ens activum (per hyp.), vis ipsius in se spectata ad omnes actiones, per ens hocce possibiles, sufficiens est (§. 67. & 20 Ont.), si ergo impedimenta sunt remota, actiones illae per dictum ens existentes fiunt (§. 12. C. Ont. coll. §. 105. Ph.pr.). Sed actio illa consequens, posito statu agendi antecedente, non fuit existens. Ergo, ut impedimentum aliquod adfuerit, necesse est. Hocce igitur impedimentum aut est externum, aut internum. Sed illud esse nequit (per hyp.), nec posterius esse potest (§. 45.). Vt ergo consequens dicti entis agendi status, intrinsece spectatus, cum statu ipsius agendi antecedente intrinsece spectato, sit perfecte idem, sequitur.

COR. I. Si ergo ens activum non-spontaneum, remoto impedimento extrinseco, propria sua vi agat, actio ipsius non erit, nisi perpetua eiusdem actionis continuatio.

COR. II.

COR. II. A genere ad ſpeciem valet conſequentia. Ergo & demonſtrata de ente ſimplici non-ſpontaneo valere debent.

§. XLVIII.

Quomodo per eiusmodi entia actiones ſucceſſivae fieri poſſint, determinatur.

Nullum ens activum non-ſpontaneum propria ſua vi actiones ſucceſſivas producere poteſt, niſi motum, qui naturalis eſſe poteſt, atque per ens illud poſſibilis eſt. Si enim ens activum non-ſpontaneum propria ſua vi agit, actio ipſius non eſt, niſi perpetua eiusdem actionis continuatio (§. 47. Cor. 1.), ſi ergo ſit ſucceſſiva, neceſſe erit, ut in perpetua eiusdem actionis continuatione, quam ens illud propria ſua vi producit, ſucceſſiones diſtingui poſſint (§. 56. Ont.). Hae itaque ſucceſſiones vel in ente illo agente, intrinſece ſpectato, vel tantummodo in eodem, extrinſece ſeu in relatione ad alia ſpectato, diſtingui poſſunt. Sed prius eſſe nequit (per dem. §. 47.), ut ergo poſterius ſit, neceſſe eſt. Sed ens illud agens ad alia referri nequit, niſi quatenus in illa agit, vel quatenus cum illis certo modo coexiſtit, ſeu coexiſtere poteſt (§. 74. ſeqq. Ont.). Si prius, ex demonſtratis coll. §. 84. Ont. immediate patet, ſucceſſiones illas non in ente dicto agente, ſed in ente, in quod agit, diſtinguendas eſſe. ergo poſterius eſſe debet. Atque adeo actione illa, qua ſucceſſiones diſtinguere licet, locum ſuum mutat (§. 127. Ont. coll. §. 84. Ph. pr.). Ergo vel tantummodo relativum vel ſimul abſolutum (§. 129. Ont.). Si prius, ens illud locum ſuum mutare, dici nequit (§. 26. Sch.). Ut ergo poſterius ſit, conſequens eſt. Atque adeo actio, de qua hactenus demonſtrata valent, eſt motus (§. 26.). Q. e. p.

Ens hocce dicto modo agens eſt activum (per hyp.). Ergo, remoto impedimento extrinſeco, hancce actionem producit (per dem. § 47.), rationem itaque huius motus aliud quoddam principium efficiens extrinſecum non continet (§. 88. ſeqq. Ont.), atque adeo eſt motus naturalis (§. 31.) Q. e. a.

Quod tandem eiusmodi motus per ens illud activum

non-ſpontaneum poſſibilis ſit, ita evinco: Si motus per ens illud non poſſibilis ſit, illi repugnare debet, vel quatenus eſt ens, vel quatenus eſt activum ens, vel quatenus eſt non-ſpontaneum. Sed iſtud non eſt (§. 27.). Nec illud eſſe poteſt. Entis enim activi idea tantummodo involvit, quod ſit ens, cuius vis ſufficiens eſſe poteſt per principium removens (§. 20.). Quare, cum per illud qua ens motus poſſibilis ſit (per mod. dict.), fieri etiam poteſt, ut vis ipſius ad motum per principium removens ſit ſufficiens. Sed impedimenta illa removeri poſſunt (§. 82. Ont. & 159. Ph. pr.), ergo & fieri poteſt, ut dictis ſub determinationibus motum naturalem producat (§. 31.). Nec contradictio adeſt, quatenus eſt ens ſpontaneum. Motus enim entis eiusmodi eſt actio, qua ſtatus agendi conſequens in antecedente rationem continet ſufficientem efficientem, metaphyſice ſumtam (§. 36. Cor. 1.), & quae eſt perpetua eiusdem actionis continuatio (§. 30. Cor.). Atque adeo omnes continet characteres actionum, quae per ens activum non-ſpontaneum ſalva eius eſſentia fieri poſſunt (§. 46. ſeq.). Q. e. t.

COR. A genere ad ſpeciem valet conſequentia. Ergo & demonſtrata de entibus ſimplicibus activis non-ſpontaneis valent.

§. XLIX.

Entium ſimplicium activorum non-ſpontaneorum poſſibilitas demonſtratur.

Entia ſimplicia activa non-ſpontanea ſunt poſſibilia. Entia ſimplicia activa poſſibilia eſſe, demonſtratum eſt §. 22. Et eodem modo, quo illorum poſſibilitas corroborata eſt, etiam horum poſſibilitas corroborari poteſt, ſi modo determinationes ſpecificae ex iis ſumuntur, quae de entis non-ſpontaneis hactenus demonſtrata ſunt.

COR. Actiones itaque, per entia illa ſimplicia poſſibiles, ſunt ſolummodo motus, vel etiam actiones a motu diverſae (§. 48.).

§. L.

Diverſitas illarum intrinſeca determinatur.

Si actiones, per entia ſimplicia activa non-ſpontanea poſſibiles, ſolummodo ſunt motus, entia illa intrinſece diverſa eſſe

esse nequeunt, nisi per determinationes eorum virium ad certam celeritatem atque directionem. Entia enim simplicia intrinsece distingui nequeunt, nisi per virium eorum determinationes (§. 19.), ex actionibus per illa possibilibus sumendas (§. 12.). Sed actiones per illa possibiles sunt solummodo motus (per hyp.). Ergo & intrinsece diversa esse nequeunt, nisi per determinationes virium eorum ad diversos motus. Sed motus diversi esse nequeunt, nisi celeritate atque directione (§. 30. Cor.). Ergo & entia illa diversa esse nequeunt, nisi per virium eorum determinationes ad certam celeritatem atque directionem.

COR. Si ergo eiusmodi ens est in motu qua activum, vis ipsius agens aequalis est facto ex quantitate vis ipsius primitivae in obviam celeritatem (§. 61. Ont.). Atque adeo quantitas determinationis ipsius vis, ante actum spectatae, ex actione illa cognosci potest. Plura hic facili negotio ex illis inferri possunt, quae §. 69. seqq. Ont. demonstrata.

§. LI.

Quae universalis effertur.

Nullam habemus rationem, cur, per ens simplex activum non-spontaneum actiones immanentes possibiles esse, velimus affirmare. Si enim per ens illud actiones immanentes sunt possibiles, per vim ipsius entis in eodem aliquid existens fieri potest (§. 21. & 12. Ont.). Hocce vero in eodem ente existente vel semper est, vel non. Sed ultimum esse nequit (§. 47.), si itaque primum, aut ratio huius determinationis in eo sita est, quo ad diversas actiones se determinare possit, vel non. Sed primum impossibile est (§. 39.). ergo ultimum esse debet. Si vero hoc, quod per vim illam dicto modo est existens, aut pertinet ad ipsius entis essentiam, aut non. Sed prius esse nequit (§. 2.), ergo posterius esse debet. Ergo vel per essentiam ipsius actio haec necessario est, vel non. Sed, ut prius affirmemus, non habemus rationem (§. 36. Cor. 2. Ont.), ergo posterius esse debet. Ergo salva essentia sua etiam ad oppositum se determinare potest (§. 145. 151. Ph. pr.), quod vero impossibile

(§. 39.). Ergo nullam habemus rationem, cur, per eiusmodi ens actiones immanentes possibiles esse, velimus affirmare (§. 96. Ph. pr.).

COR. Entia itaque simplicia activa non-spontanea intrinsece non esse diversa, nisi per determinationes eorum virium ad certam celeritatem atque directionem (§. 50. conf. dem. §. 34.), seu generatim, entia illa non esse diversa, nisi per determinationes virium eorum ad actiones transeuntes (§. 21. Ont.), affirmare licet. Ergo & entium simplicium activorum non-spontaneorum diversitas intrinseca determinata est. Ut itaque de activorum spontaneorum diversitate dicamus, restat. Qua ex ratione *primo* in notionis de ente spontaneo adaequationem inquiram, & *deinde* inde deducta ad entia simplicia activa spontanea applicabo.

§. LII.

Ens spontaneum est ens activum.

Omne ens spontaneum debet esse ens activum. Quicquid enim est ens spontaneum, sua vi ad diversas se ita determinare potest actiones, ut sine determinatione ab alio quodam principio efficiente extrinseco agat (§. 39.), atque adeo inter entia activa referri debet (§. 20. Cor. 1. Ph. pr.).

COR. Ergo & ens simplex spontaneum est ens activum. Quae itaque de ente simplici spontaneo dicuntur, etiam valent de ente simplici activo-spontaneo, & vice versa. Quod vero ex eo, quod ens sit simplex activum, non inferri possit, quod illud etiam sit ens simplex spontaneum, Cor. 1. §. 39. immediate docet. Licet ea, quae de ente simplici activo qua tali dicuntur, etiam ad spontanea entia simplicia applicari possint (§. 33. Cor. 1. Pr. Log.).

§. XLIII.

Quod se ipsum in agendo impedire potest.

Ens spontaneum qua tale se ipsum in agendo impedire potest. Ponamus ens spontaneum A agere B. Ergo vis ipsius hanc ad actionem est sufficiens (§. 20. Cor. Ont.). Sed quoniam ens A est spontaneum, etiam sua vi se ad oppositam actionem dictae B determinare potest (§. 39.). Ergo poni potest, ens illud A sua vi & sine determinatione ab alio quodam

dam principio efficiente extrinseco deinde agere non-B. Atque adeo fieri potest, ut ens illud A sua vi efficiat, ut vis ea, ad actionem B ante sufficiens, ad eandem non maneat sufficiens (§. 1. Ph. pr. & §. 20. Cor. Ont.). Ens ergo spontaneum qua tale se ipsum in agendo impedire potest (§. 104. Ph. pr.).

COR. Ergo & ens simplex spontaneum qua tale se ipsum in agendo impedire potest. Et quoniam omne ens simplex activum vel spontaneum est, vel non-spontaneum (§. 44.), simul patet, ens simplex, quod se ipsum in agendo impedire potest, esse ens spontaneum (§. 45.).

§. LIV.

Ens, quod se ipsum in agendo impedire potest, sua vi immanenter agere potest. Quicquid enim impedit, quo minus alterum agere possit, illud in hocce agit (§. 91. Ont.). Ergo & ens, quod se ipsum in agendo impedire potest, ut in se ipsum agat, necesse est. Atque adeo vi sua immanenter agere potest (§. 21. Ont.). *Ergo immanenter.*

COR. Ens itaque spontaneum ergo & ens simplex spontaneum immanenter agere sua vi potest (§. 53.). Et quoniam ens non spontaneum dicto modo immanenter agere nequit (§. 51.), quicquid sua vi immanenter agere potest, ens spontaneum esse debet.

§. LV.

Quicquid de ente activo, qua activo, demonstratum, etiam valet de ente spontaneo (§. 52. Cor.). Ergo & *ens spontaneum sua vi motum producere* (per dem. membr. 3. §. 48.), *& generatim, transitive sua vi & sine determinatione ab alio quodam principio efficiente agere potest* (§. 20. & l. c.). *Atque transitive agere potest.*

COR. Ergo & idem de ente simplici spontaneo valere debet.

§. LVI.

Si ens spontaneum, qua spontaneum, transitive agit, hac de vis ipsius entis determinatione ratio quaedam in immanentibus ipsius entis actionibus esse debet. Si enim ens spontaneum qua spontaneum transitive agit, ens illud se ipsum ad agendum deter- *Cuius ratio saltem ex parte est in ipsius entis actionibus immanentibus.*

determinavit, dum eadem etiam vi ad oppositum se determinare potuisset (§. 39.). Atque adeo ratio huius determinationis adesse debet (§. 111. & 151. Ph. pr.). Haec vel est interna vel externa (§. 103. Ph. pr.). Sed solummodo externa esse nequit, quia ens illud se ipsum ad agendum determinat. Ergo saltem ex parte interna esse debet. Quod vero haec ratio sit in actionibus ipsius immanentibus, ita evinco: Ens illud activum ex pluribus modis transitive agendi per illud possibilibus ad obvium se ipsum determinavit. Ergo in ente illo debet esse ratio, cur eius vis ad hanc actionem transeuntem maneat sufficiens, quae etiam in se spectata ad oppositas sufficiens est (per dem. coll. §. 111. Ph. pr.). Ergo ipsum illud ens, ut impedimenta quaedam removerit, necesse est (§. 105. Ph. pr.). Quare, cum eiusmodi impedimenti remotio actionem immanentem involvat (per dem. §. 54.), ut ratio illa saltem ex parte in ipsius entis actionibus immanentibus sit invenienda, consequens est.

COR. Ergo nec ens simplex spontaneum, qua tale, transitive agere potest, nisi in actionibus ipsius immanentibus ratio spontaneae huius determinationis saltem ex parte inveniri possit. Notare modo velis, a ratione ad rationem sufficientem immediate non posse concludi. Ergo & patet, salva actionis spontaneae essentia fieri posse, ut ratio agendi ex parte sit externa. Cavendum modo est, ne a ratione ad hanc vel illam rationis speciem determinate concludatur. vid. §. 113. Cor. Ph. pr.

Motuum.

SCH. Actio, quae mutationem loci absoluti non involvit, nec est motus (§. 26.). Actiones itaque immanentes, de quibus dixi, inter motus non possunt referri. Ex earum itaque positione ad motum intestinum non valere conclusionem, patet. vid. §. 28. Sch.

§. LVII.

Atque adeo immanenter agens obiecta percipit.

Ens simplex spontaneum, quod, qua tale, immanenter agit, sibi aliquid repraesentat, seu aliquid percipit. In actionibus enim illis ratio quaedam continetur, cur dictum ens simplex

hoc

hoc & non aliud transitive agat (§. 54.-56.). Ergo & ex illis aliquo modo intelligi potest, quicquid per ens illud possit agi (§. 96. Ph. pr.). Ex quo aliquid intelligi potest, id identitatem quandam characterum eius, quod ex illo intelligi potest, ut contineat, necesse est atque adeo in actionibus illis immanentibus similitudo quaedam aliorum continetur (§. 51. Ph. pr.). Quare, cum eiusmodi similitudo repraesentationis notionem involvat (§. 48. Pr. Log.), enti illi simplici, immanenter agenti, repraesentationes quaedam inesse debent. Q. e. p.

Ens illud simplex dictas actiones sua vi producit (per hyp. coll. §. 39.). Ut ergo obiecta illa sibi repraesentet (§. 50. Pr. Log.), seu, ut eadem percipiat, consequens est (§. 52. Pr. Log.). Q. e. a.

COR. I. Si ergo ens simplex spontaneum, qua spontaneum, transitive agit, quaedam eiusmodi actionis ratio in ipsius entis perceptionibus contineri debet (§. 56.).

COR. II. Ratio prior esse debet eo, quod per rationem illam est (per dem. §. 107. Ph. pr.), ergo & dicti entis perceptiones priores esse debent actionibus eiusdem transeuntibus, quas sponte producit.

COR. III. Quicquid itaque obiecta percipere nequit, id nec sponte transitive agere potest. Quare & eiusmodi entibus simplicibus *facultatem percipiendi* inesse dicitur. Atque adeo in entibus illis simplicibus facultas transitive agendi a facultate percipiendi distingui debet (§. 54. & 55.).

SCH. Ex demonstratis patet: 1.) omni rationi quandam rationati repraesentationem inesse. Et ita etiam a priori repraesentationum atque perceptionum dissimilitudinem, de qua §. 50. Cor. Pr. Log. dixi, intelligi atque perspici posse. 2.) Problema Philosophorum: *annon in Monadibus nudis* (quas perspicuitatis gratia entia simplicia mere passiva nominavi) *possit concipi vis perdurans, nec perceptiva tamen, cuius mutationes non inferant multitudinem partium, sed graduum & relationum exter-*

Non-nullae inde explicantur propositiones.

externarum tantum, & tamen a perceptione proprie sic dicta, obscura etiam & cum nullo actu reflexo coniuncta, differat essentialiter? esse resolutum. 3.) Entibus simplicibus (non omnibus sed spontaneis) inesse multitudinem simultaneorum externorum, affirmari posse. 4). Vim repraesentativam, seu potius perceptivam quendam solummodo characterem essentiae entis simplicis spontanei exhibere.

§. LVIII.

Status agendi entis spontanei consequens ab antecedente quomodo determinetur.

Statum agendi antecedentem entis spontanei, qua talis, esse eiusdem entis status agendi consequentis rationem sufficientem efficientem, metaphysice sumtam, dici non potest. Sit status agendi antecedens consequentis ratio sufficiens efficiens, metaphysice sumta. Ergo status ille antecedens, in se spectatus, efficit, ut status ipsius entis consequens sit ita nec aliter (§. 98. Ph. pr.), & quidem ita, ut nil amplius requiratur, ut sit ita nec aliter (§. 96. Ph. pr.). Posito itaque statu illo antecedente, dictum ens agens ad unicum solummodo determinatum est (§. 16. Pr. Log. conf. §. 96. Cor. 1. Ph. pr.), atque adeo illis sub determinationibus non agit sponte (§. 39.). Si ergo ens illud qua spontaneum agat, fieri non potest, ut status agendi antecedens consequentis rationem sufficientem efficientem, metaphysice sumtam, contineat.

COR. I. Omne ens spontaneum est ens activum (§. 52.), ergo & qua activum agere potest. Demonstrato itaque principio, non negatur, eiusmodi ens ita agere posse, ut status agendi antecedens sit consequentis ratio sufficiens efficiens, metaphysice sumta, sed negatur solummodo, ens illud ita agere non posse, quatenus sit spontaneum.

COR. II. Et quoniam sine sufficiente ratione de subiecto praeter quidditatem nihil affirmari potest (§. 111.), & ens, qua spontaneum, non nisi principio suo intrinseco agit (§. 39.), patet, inter characteres sufficientis dictae actionis rationis etiam rationes analytice sumtas referendas esse. (§. 113. Cor. Ph. pr.).

COR. III. Quae de ente spontaneo dicuntur, etiam de ente

ente simplici spontaneo valere debent. Ergo & hic demonstrata ad ens simplex spontaneum adplicari possunt.

§. LIX.

Si ens simplex spontaneum, qua tale, transitive agit, necesse est, ut ante effectum perceperit. Si enim ens simplex spontaneum, qua tale, transitive agit, necesse est, ut se ipsum ad agendum determinaverit (§. 39.), ita ut ratio huius determinationis in ipsius perceptione contineatur (§. 57. Cor. 1.). Hac itaque ex perceptione intelligi potest, cur ens illud se hoc & non alio modo ad agendum determinaverit (§. 96. Ph. pr.). Atque adeo similitudinem effectus actione illa producendi continere debet (§. 12. Ont. coll. §. 57. dem. Mon.), consequenter effectum illum ens dicto modo agens ante percepit (§. cit. dem. Mon.). *Ergo ens illud transitive agens ante effectum actionis suae percepit.*

COR. Quicquid ergo effectum actionis suae ante, quam agit, percipere nequit, nec transitive sponte agere potest.

§. LX.

Ergo & necesse est, ut ens simplex spontaneum, si, qua tale, transitive agit, quandam obiectorum diversitatem percipiat. Si enim qua spontaneum transitive agit, ratio huius ad agendum determinationis in perceptionibus ipsius entis, quas ante habuit, invenienda est (§. 57. Cor. 1.). Percepit vero ante effectum actionis suae, (§. 59.), qua perceptione se ad agendum determinavit (per dem. §. 59.). Ergo & ratio dictae determinationis in perceptione ipsius entis, quam de actionis suae effectu ante habuit, invenienda est. Ante itaque, quam dicto modo ad agendum se determinavit, vel effectus actionis suae ab aliis diversitatem percepit, vel non. Si posterius, perceptio illa nullam dictae determinationis rationem continere potest (§. 45. & 96. Ph. pr.). Prius ergo inter vera referri debet, quod nimirum dictis sub determinationibus quandam obiectorum diversitatem percipiat (§. 57. Cor. 1.). *Quem ab aliis distinguere debet.*

COR. I. Variorum diverſitatem percipere, idem eſt, ac ea a ſe invicem diſtinguere (§. 53. Pr. Log.). Ergo & neceſſe eſt, ut ens ſimplex ſpontaneum, tranſitive agens, effectum dictae actionis ante ab aliis diſtinguat. Atque adeo ſibi conſcium eſſe debet (§. 54. Pr. Log.).

COR. II. Quatenus itaque ens aliquod ſibi conſcium eſſe nequit, eo nec reſpectu ut ſpontaneum tranſitive agere poteſt.

§. LXI.

Quo enti occaſio agendi detur.

Concurſus circumſtantiarum, qui dat rationem, cur ens aliquod ſe ipſum ad agendum determinet, vocatur *occaſio.*

COR. Recte ergo dicitur, perceptiones entis ſimplicis ſpontanei actiones ipſius tranſeuntes non determinare, ſed enti illi ſolummodo agendi occaſionem dare (§. 57. ſeqq.).

§. LXII.

Ratio cur ens illud ad actionem tranſeuntem determinet, eſt in formali perceptionis.

Si ens ſimplex ſpontaneum, qua tale, tranſitive agit, ratio huius determinationis in formali perceptionis, quam de effectu actionis ſuae ante habuit, inveniri debet. Si enim dicto modo agit, ratio huius determinationis eſſe debet in perceptione de illius actionis effectu (§. 59.). Ergo vel ſolummodo in huius perceptionis materiali, vel ſimul in ipſius formali (§. 12. Cor.). Sed prius eſſe nequit. Quoniam enim eadem vi etiam ad oppoſitum ſe determinare potuit (§. 39.), quod ante percepit (§. 59.), & oppoſitae actionis effectum ſimul cum obviae actionis effectu ante percepit (§. 60.), materiale dictae perceptionis rationem illam ſolummodo continere nequit (§. 12. Cor. Mon. §. 96. Ph. pr.). Ut ergo poſterius ſit, ſeu ut ratio huius determinationis in perceptionis formali contineatur, conſequens eſt.

SCH. Neceſſe ergo eſt, ut indolem perceptionis, qua ens ſimplex ſpontaneum ad actiones tranſeuntes ſe determinare potuit, inveſtigemus.

§. LXIII.

§. LXIII.

Boni & mali natura explicatur.

Ea cum essentia entis convenire dicuntur, quae enti ita competunt, ut ratio, cur insint, in iis invenienda, quae vi essentiae ipsius inesse debent.

COR. I. Quae itaque cum essentia entis conveniunt, inter ea referenda sunt, quae ipsius constituunt perfectionem (§. 190. Ont.). Quare, cum quae entis perfectionem constituunt, illi *bonum* dicantur, quicquid cum essentia entis convenit, inter ea referri debet, quod illi bonum est.

COR. II. Quicquid itaque cum essentia entis non convenit, illi malum est. *Malum* enim enti dicitur, quod ipsius imperfectionem constituit.

§. LXIV.

Illud ens activum qua tale agit.

Si ens activum, qua activum, agit, quod agit, cum essentia ipsius convenire debet. Si enim ens activum, qua activum, agit, id agit, ad quod vis ipsius in se spectata fuit sufficiens (§. 67. seqq. Ont.). Quod vero vis ipsius entis in se spectata ad illud sufficiens sit, in essentia ipsius rationem habere debet (per dem. §. 68. Ont.). Si ergo ens activum, qua activum, agit, ita agit, ut ratio eius in iis invenienda, quae vi essentiae entis agentis inesse debent. Quicquid itaque qua tale agit, cum essentia ipsius convenire debet (§. 63.).

COR. I. Quicquid itaque ens illud dictis sub determinationibus agit, id illi bonum esse debet (§. 63. Cor. 1.).

COR. II. Eodem etiam modo corroborari potest principium, quod natura entis solummodo ad ea tendat, quae cum essentia ipsius conveniunt (§. 31.).

§. LXV.

Spontaneum itaque ens transitive id agit, quod sibi bonum percepit.

Omne ens simplex spontaneum est ens activum (§. 52.). Quicquid igitur qua activum agit, id sibi bonum esse debet (§. 64. Cor. 1.). Si vero, qua spontaneum, transitive agit, ita se ad agendum determinat, ut effectum actionis suae ante perceperit (§. 59. seqq.). Atque adeo patet, ens illud se

ad eam determinare actionem transeuntem, quam ante sibi bonam percepit.

COR. Si ergo actionem quandam sibi malam percipit, necesse est, ut se ad non agendum determinet.

§. LXVI.

Ergo percepta ad se referre potest.

Ens simplex spontaneum, qua tale, transitive agere nequit, nisi percepta ad se referat. Ens enim simplex spontaneum, qua tale, transitive agens, se ad eam determinavit actionem, quam sibi bonam percepit (§. 65.). Sed hoc fieri nequit, nisi relationem, quam ad illud perceptum habet, perceperit (§. 63. C. 1. Mon. coll. §. 40. Ph. pr.). Transitive itaque dictis sub determinationibus agere nequit, nisi percepta ad se retulerit.

COR. I. Eiusmodi itaque entibus non solum facultas res, sed & earum relationes percipiendi inesse debet. vid. Cor. 3. §. 57.

COR. II. Et simul intelligimus, quid sit formale illud perceptionis, de quo §. 62. dixi.

§. LXVII.

Inde explicatur quid sit appetitus & aversatio.

Si ens se ad agendum determinat pro perceptione, quae de effectu eiusdem actionis eidem inest, *ens illud hocce appetere* dicitur. Et si se ad non agendum determinat pro perceptione, quae de eiusdem actionis effectu eidem inest, *ens illud hocce aversari* dicitur. Ergo & eiusmodi determinatio priori respectu vocatur *appetitus*, & posteriori *aversatio*.

COR. I. Si itaque ens simplex spontaneum se ad actionem quandam transeuntem determinat, effectum eiusmodi actionis, quem ante percepit, appetit; & si se ad non-agendum determinat, effectum huius actionis, quem ante percepit, aversatur (§. 59. seqq.).

COR. II. Et ita patet, ens simplex spontaneum 1.) nil appetere, nisi quod sibi bonum percepit. 2.) nil aversari, nisi quod sibi malum percepit. 3.) illud appetere, quod sibi bonum percepit, & 4.) illud aversari, quod sibi malum percepit (§. 59.-65.).

65.). Et ita *Leges appetitus* atque *aversationis* a priori evictae sunt.

COR. III. Recte ergo eiusmodi entibus *facultas appetitiva* tribuitur. Et simnl patet, appetitum ab actione, quae per illum producitur, differre vt antecedens a consequente.

SCH. Sunt quidem Philosophi, qui appetitum in *innatum* & *elicitum* dividunt, illum esse conatum ad producendam perceptionem, hunc vero ex cognitione praevisa ortum habere affirmantes. vid. *Le* GRAND *in Inst. Phil. p. 742. Edit. II.* Quod vero ultimo significatu appetitus terminus proprie sumatur, usus loquendi communis sufficienter docet, ergo & illum cum maximo Philosophorum numero accepi. *De quo usus loquendi probatur.*

§. LXVIII.

Quicquid ens non, ut sibi bonum, percipit, id nec appetit, & quicquid non, ut sibi malum, percipit, id nec aversatur (§. 67. Cor. 2.). Si vero perceptum non ad se refert, illud nec ut sibi bonum, nec ut sibi malum percipere potest (§. 66.). Si ergo id, quod percipit, non ad se refert, idem nec appetit nec aversatur. Ergo & ad obiectum, quod percipit, *indifferens* dicitur. Atque adeo eiusmodi status, quo ens ad obiectum, quod percipit, indifferens est, *status indifferentiae* dicitur. *Status indifferentiae explicatur.*

COR. Si ergo fieri posset, ut ens simplex activum obiectum aliquod percipiat, licet idem non ad se referat, ut eiusmodi ens in statu indifferentiae sit, etiam possibile erit. Quaeramus itaque antecedentis possibilitatem.

§. LXIX.

Si ens simplex spontaneum, qua tale, transitive agit, etiam eiusdem entis actio, qua perceptum ad se refert, spontanea esse debet. Ponamus hanc actionem non esse spontaneam. Ergo & ens illud principio suo efficiente intrinseco sine aliorum principiorum efficientium concursu ad oppositam se determinare non potuit (§. 39.). Ergo nec principio suo intrinseco sine aliorum principiorum efficientium concursu ad *Eiusdemque possibilitas hypothetice demonstratur.*

ad oppositam actionem transeuntem se determinare potuit (§. 65.). Quare, cum hoc contra hypothesin sit (§. 39.), si ens simplex spontaneum, qua tale, transitive agit, actio etiam eiusdem entis, qua perceptum ad se refert, spontanea esse debet.

COR. Et ita possibilitas status indifferentiae in ente simplici spontaneo hypothetice evicta est (§. 68. Cor. coll. §. 39.).

§. LXX.

Fundamentum contingentiae appetitus atque aversationis indicatur.

Si ens simplex spontaneum aliquid appetit vel aversatur, hac in operatione latet ratiocinium. Si enim aliquid appetit, se determinat ad id, quod sibi bonum percepit (§. 67 Cor. 2.). Hocce itaque ratiocinium illa in operatione latet: Quicquid mihi bonum percipio, illud appetere debeo seu appeto. Atqui hocce obiectum mihi bonum percipio. Ergo illud appeto. Q. e. p.

Eodem etiam modo ratiocinium, quod in eo latet, si ens simplex spontaneum aliquid aversatur, detegi potest.

§. LXXI.

Atque inde illa demonstratur,

Si ens simplex spontaneum aliquid appetit vel aversatur, idem appetit vel aversatur contingenter. Quicquid enim non est de essentia rei A, nec in essentia ipsius rationem sufficientem continet, illud rei A competere nequit, nisi contingenter (§. 151. Ph. pr.). Atqui si ens simplex spontaneum aliquid appetit vel aversatur, ut illud appetat vel aversetur non est de essentia entis, quod appetit vel aversatur, nec in essentia ipsius rationem continet sufficientem. Si ergo aliquid appetit vel aversatur, idem appetit vel aversatur contingenter. Minoris veritatem ita evinco: Si ens illud aliquid appetit vel aversatur, in operatione illa latet ratiocinium, in demonstratione §. 70. indicatum. Maior huius syllogismi rationem quidem continet in essentia agentis (§. 64.), non vero minor, quia ipsius fundamentum in obiecto, quod illud appetit vel aversatur, continetur. Ergo operatio illa in essentia agentis rationem sufficientem continere nequit.

COR. I.

COR. I. Et ita intelligitur. 1.) Cur eiusmodi ens ex ratione obiectivo-subiectiva agere, dicatur. *Subiectiva* enim *ratio* dicitur, quae sumitur ex subiecto, quod agit, & *obiectiva*, quae sumitur ex eo, quod agitur. Maior ergo dicti syllogismi subiectivam, & minor obiectivam agendi rationem continet.

COR. II. 2.) Intelligitur inde realitas modorum per analogiam, de quibus §. 125. seqq. Ph. pr. dixi.

COR. III. 3.) Inde intelligi potest veritas eorum, quae §. 156. seqq. de contingentia intrinseca demonstravi atque explicavi. Ergo & plura ex illis hic inferri possunt.

SCH. I. Obiicis forsan explicatis voluntatem Dei necessariam. Si vero signa a cogitationibus secernere atque internoscere velis, facile concedes, voluntate illa necessaria in relatione ad Deum nil exprimi, nisi maiorem, quae dictum syllogismum ingreditur. Illam vero necessariam esse, docet dem. h. §. coll. §. 150. Ph. pr. *Resolutio dubii.*

SCH. II. A priori hactenus sub hypothesi, quod entia spontanea inter possibilia referenda sint, spontaneitatis, appetitus atque aversationis constitutiones modosque possibilitatis, quantum fieri potuit, explicavi. Simulque demonstravi principia, ex quibus facili negotio non solum appetitus atque aversationis species, sed & omnium in cognoscendo facultatum, quas animae tribuimus, notiones, earumque necessitas in entibus spontaneis, a priori inferri possunt. Sed scopus, quem mihi praescripsi, ut ea aperte hic indicarem, non permittet. Sufficere itaque debet, ut etiam hic ea solummodo tangam, quae ab iis, qui de explicatis debitam intelligentiam habent, facile determinari possunt; perspicuitatis tamen gratia in Psychologiis infra principiorum explicatorum quaedam magis determinaturus. *Quae ex explicatis facile inferenda.*

SCH. III. Duae tamen adhuc restant quaestiones, quibus, si fieri potest, hic respondendum est, *altera* de ortu perceptionum earumque spontaneitate atque necessaria consecutione; *altera* de possibilitate entis spontanei, atque speciatim *Et quae deinde explicanda indicantur.*

entis simplicis spontanei, quae inter difficillimas summa cum ratione referendae. Non defuerunt, qui de iis solvendis desperarent, & forsan & ego de eodem desperabo. Ultimi quidem possibilitatem quoad genus deinde, quoad determinationes vero ex entis simplicis constitutione sumendas in sequentibus Metaphysices partibus demonstrabo; Quomodo vero vel ultimum vel primum possibile sit, mens mea ne cogitatione quidem capere atque percipere potest. Generatim tamen, & de primo quaedam explicabo.

§. LXXII.

Perceptiones quoad materiale vel vi essentiae insunt vel non.

In omni perceptione materiale & formale distinguendum est (§. 12. Cor.). Ortum itaque perceptionum adaequate explicaturus, tam earum quoad materiale quam quoad formale originem quaerere debeo. Quoad primum ope regularum, §. 123. P. 1. Log. praescriptarum, ita cogitationes meas flecto. Posito perceptionis materiali, nec necesse est, ut appetitus, nec ut aversatio ponatur (§. 62. coll. §. 66. seqq.). Ergo salva spontaneitate fieri potest, ut enti spontaneo perceptiones materialiter spectatae insint vi essentiae. Quoniam porro perceptio est actio (§. 52. Pr. Log.). Ergo & fieri potest, ut ens aliquod spontaneum salva essentia sua non percipiat (§. 33. Ont:). Perceptiones itaque materialiter spectatae enti spontaneo vel vi essentiae insunt, vel non.

COR. Primo itaque respectu in eodem sunt absolute necessario, posteriori vero contingenter (§. 150. seq. Ph. pr.).

§. LXXIII.

Si ultimum ratio cur insint saltem ex parte externa est.

Si perceptiones, materialiter spectatae, enti spontaneo non vi essentiae insunt, quaedam saltem ratio, cur insint, externa esse debet. Perceptiones enim illae enti spontaneo vel simul insunt vel successive. Si prius, ratio sufficiens, cur insint, vel est interna vel non. Si prius, posito hoc ente spontaneo, ponuntur perceptiones illae (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.), posita vero essentia huius entis, etiam hoc ens ponendum est

est (§. 15. Ph. pr.). Ergo & posita essentia huius entis, etiam perceptiones illae ponendae sunt. Atque adeo illi insunt absolute necessario (§. 146. Ph. pr.). Quare, cum hoc principio §. 72. Cor. 2. demonstrato repugnet, ratio cur dicto modo perceptiones illae insint, saltem ex parte externa esse debet. Si vero perceptiones dictae enti spontaneo successive insint, ratio sufficiens adesse debet, cur perceptio A primo & deinde perceptio B & non vice versa insint (§. 111. Ph. pr.). Haec ratio est vel in perceptionibus illis, vel non. Si prius, ratio sufficiens adesse debet, cur prima insit (§. 111. Ph. pr.). Quod vero haec non sit interna, eodem modo patet, ut ante. Ergo saltem ex parte externa esse debet (§. 103. Ph. pr.). Et eodem modo patebit, quod etiam ultimo respectu ratio illa saltem ex parte externa esse debeat. Si itaque perceptiones, materialiter spectatae, enti spontaneo non vi essentiae insunt, ratio, cur insint, saltem ex parte externa esse debet.

COR. I. Ens spontaneum est ens activum (§. 52.). Ergo vis ipsius in se spectata ad omnes actiones per illud possibiles est sufficiens (§. 67. Cor. 1. Ont.). Atque adeo patet, dicta externa perceptiones illas non determinare, sed enti spontaneo solummodo percipiendi occasionem dare. vid. §. 61. cum Cor.

COR. II. Ratio haec externa in aliis quibusdam entibus ut contineatur, necesse est (§. 1. & 6. Ont.). Alia itaque entia eiusmodi enti percipiendi occasionem dare debent. Quod vero operationibus illorum hoc fieri debeat, facili negotio demonstrari potest.

COR. III. Et ita simul ex dictis patet, quod, posita hac occasione, etiam perceptiones illae ponendae sint Conf. §. 96. C. 1. Ph pr. Atque adeo determinata sub hypothesi in potestate entis spontanei dictae perceptiones non positae sunt (§. 39).

SCH. Ergo & legem sensationis atque associationis idearum a priori intelligimus, quae vero Sch. 2. §. 71. dicta, etiam hic valere debent. De ultimo tamen brevissimis adhuc dicam.

§. LXXIV.

Atque adeo occasione unius perceptionis etiam alia percipere potest ens illud spontaneum.

Si ens spontaneum, cui perceptiones non vi essentiae insunt, obiectum aliquid percipit, etiam occasione huius perceptionis sua vi sine externorum concursu alia percipere potest. Sit ens illud spontaneum, ergo principio suo intrinseco seu vi sua sine externorum concursu ad diversas se determinare potest actiones (§. 39.), si modo per illud possibiles (§. 70. Ph. pr.). Sed perceptiones sunt per eiusmodi ens possibiles (§. 57.). Ergo & sua vi se ad diversas perceptiones sine externorum concursu determinare potest. Ponamus porro, enti illi perceptiones non inesse vi essentiae. Ergo se ad diversas perceptiones sine externorum concursu determinare potest, si modo ratio, cur hoc & non aliud percipiat, saltem ex parte externa sit (§. 73.). Si vero occasione perceptionis, quae, posita ratione illa externa, eidem inest, sine externorum concursu sua vi alia percipit, ratio harum perceptionum etiam ex parte externa est (§. 61. Mon. coll. 103. Ph. pr.). Ut ergo posita dicta occasione sua etiam vi alia ens illud percipere possit, in dubium incertumque revocari nequit.

COR. I. Generali demonstratione, quae hic latet, generalis etiam haec conclusio corroborari potest. *Si ens spontaneum obiectum aliquod percipit, sua etiam vi sine externorum concursu alia huius perceptionis occasione percipere potest.*

COR. II. Ex perceptione itaque illa antecedenti intelligi potest, cur ens illud se ad consequentem determinaverit. Ut itaque quandam inter se similitudinem habeant, consequens est (per dem. §. 57.). Et ita etiam a priori *Lex associationis perceptionum* evicta est. Sed ne ambages fiant molestae hasce meditationes mittam, in possibilitatem entis spontanei inquisiturus.

§. LXXV.

A necessitate rationis sufficientis ad necessitatem rationati.

Si ratio sufficiens obvia est absolute necessaria, etiam rationatum, quod per illam est, absolute necessarium esse debet. Posita enim ratione sufficiente, etiam id poni debet, quod

per

per eam est (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.), si ergo absolute impossibile est, ut ratio illa non poneretur, ut rationatum illud deesset, etiam absolute impossibile erit. Sed illud est absolute impossibile, si dicta ratio sufficiens absolute necessario ponenda (§. 146. Ph. pr.). Ergo & absolute impossibile est, ut rationatum deesset, si ratio eius sufficiens absolute necessario adesset. Atque adeo & rationatum illud absolute necessario adesse debet (§. 146. Ph. pr.). *tionati valet consequentia.*

COR. I. Si ergo principium formaliter spectatum est absolute necessarium, etiam principiatum, quod per illud est, absolute necessarium esse debet; (§. 165. Ph. pr.) & si caussa formaliter spectata est absolute necessaria, etiam caussatum per illam ponendum absolute necessarium esse debet (§. 100. Ont.).

COR. II. Si rationatum contingenter est existens, etiam ratio sufficiens, qua talis, per quam est contingenter existens, contingens esse debet (§. 145. Ph. pr.). A contingentia igitur principiati ad contingentiam principii formaliter spectati, & a contingentia caussati ad contingentiam caussae formaliter spectatae valet consequentia. Quae vero de principio vel caussa, quatenus formaliter sumuntur, dicenda de illis materialiter spectatis non ea ex ratione valere, notare velis.

§. LXXVI.

Si effectus, quem ens agens actione sua producit, contingens est, ut etiam determinata haec actio sit contingens, consequens est. Actio enim illa est ratio sufficiens, cuius rationatum effectus, qui per illam sequitur (§. 96. Ph. pr. & §. 12. Ont.). Si ergo effectus ille contingens est, ut etiam dicta actio, qua talis, sit contingens, consequens est (§. 75. Cor. 2.). *Si ergo effectus actionis contingens est, etiam actio contingens esse debet.*

COR. I. Ab agere ad determinato modo agere non valet consequentia (§. 32. C. 3. Pr. L.), ex eo ergo, quod ens obvium hoc modo contingenter agat, ut etiam omni modo substantia completa contingenter sit, inferri nequit (§. 33. Ont.).

COR. II. Quicquid enti solummodo contingenter competit,

eius oppositum etiam illi competere potest (§. 145. Ph. pr.). Si ergo effectus actionis suae contingens est, etiam oppositum huius actionis illi inesse potest. Ergo fieri potest, ut vel non agat, vel oppositio modo agat. Et si hoc sine aliorum principiorum extrinsecorum concursu fieri potest, ens illud inter spontanea referri debet (§. 39.).

§. LXXVII.

Possibilitas entium simplicium spontaneorum demonstratur.

Ens infinitum est ens spontaneum. Ens enim infinitum est ens activum (§. 164. Cor. 3. Ont.), quod ab aliis entibus in agendo dependere nequit (§. 164. C. 4. Ont.). Sed actione sua etiam ea producere potest, quae contingenter existunt (§. 168. seqq. Ont.). Ergo & sua vi sine externorum principiorum concursu ad actiones contingentes se determinare potest (§. 76.). Atque adeo inter spontanea referri debet (§. 76. Cor. 2.).

COR. I. Ens infinitum est ens simplex (per dem. 3. §. 9.), atque possibile §. 170. seqq. Ont.). Sed ens infinitum est etiam spontaneum. Ergo ens simplex esse, & spontaneum esse, contradictionem involvere nequit.

COR. II. Quae itaque de spontaneis hactenus demonstrata, etiam de ente infinito valere debent.

§. LXXVIII.

Alio modo.

Entia simplicia spontanea sunt possibilia. Entia simplicia activa sunt possibilia (§. 22.). Ergo & entia simplicia sunt possibilia, quae sine aliorum principiorum efficientium concursu agere possunt (§. 20.). Sed effectus, quas actionibus illis producunt, contingentes esse possunt (§. 82. Ont.). Ergo & entia simplicia sunt possibilia, quae sine aliorum principiorum efficientium extrinsecorum concursu contingenter agere possunt. Ergo & entia simplicia possibilia sunt, quae ita agunt, ut etiam sua vi oppositum agere possint (§. 145. Ph. pr.). Si ergo fieri possit, ut ad hocce oppositum principio suo efficiente intrinseco seu sua vi sine aliorum principiorum efficientium extrinsecorum concursu se deter-

determinent, inter entia spontanea referri debent (§. 39.). Quare, cum hoc salva simplicitate fieri possit (per dem. §. 77. & dem. 3. §. 9.), entium simplicium spontaneorum possibilitas evicta est.

COR. Quae ergo de entibus spontaneis hactenus demonstrata sunt, haec ad entia simplicia applicari possunt. Ex quibus simul eorum differentiae essentiales atque accidentales, atque adeo eorum genera, species, & species subalternae facili negotio inferri possunt, si modo conferantur, quae §. 11. seqq. demonstrata sunt.

§. LXXIX.

Diversitas entium spontaneorum & non spontaneorum specifica probatur.

Entia simplicia spontanea atque non-spontanea sunt entia saltem diversae speciei. Illorum enim essentia vim, qua sine aliorum principiorum efficientium extrinsecorum concursu ad diversas se determinare possunt actiones (§. 1. Cor. 2. & §. 39.), horum vero essentia vim, qua se dicto modo non determinare possunt, involvit (§. §. cit. cit.). Entium itaque simplicium spontaneorum atque non-spontaneorum essentiae sunt diversae (§. 33. Ph. pr.), atque adeo non habent eandem essentiam (§. cit.). Ergo sunt entia saltem diversae speciei (§. 172. Ont.).

COR. I. Entis itaque simplicis spontanei entis simplicis non-spontanei constitutivum fieri nequit (§. 8.). Ergo & plura hic ex iis inferri possunt, quae de differentia entium specifica in Ontologia demonstrata sunt.

COR. I. Et simul ex explicatis ea facili negotio inferri possunt, quae de entibus simplicibus activo-passivis dicenda. Quae enim ex entis simplicis idea, quatenus est ens passivum; & quae ex eiusdem entis idea, quatenus est activum, fluunt, sufficienter hactenus indicata atque explicata sunt. Hasce itaque meditationes mittam.

SCH. Maioris tamen perspicuitatis gratia, de entium simplicium diversitate hactenus explicata, ut in compendium redigantur, necesse esse, iudico, eius enim intuitus illorum ideas faciliori negotio excitare poterit. Sit ita tabula:

Entia

Entia simplicia sunt

I. Passiva

Haec agere nequeunt, nisi motu, vel ita, ut aliis entibus agentibus sint impedimento (§. 34.). Motus vero per illa possibilis est violentus (§. 35.). Ergo nec semel mota ad statum quietis pervenire possunt, nisi a caussa quadam externa sufficiente efficiente ad quietem redigantur (§. 36.). Ergo nec alio modo motu agere possunt, nisi ita, ut status agendi antecedens sit consequentis ratio sufficiens efficiens, metaphysice sumta (§. 36. Cor. 2.). Ergo nec sponte agere possunt (§. 40.). Ergo intrinsece spectata sunt perfecte eadem (§. 41.). Atque adeo sunt entia eiusdem speciei (§. 41. Cor. 1.), quae non nisi extrinsece diversa esse possunt (§. 42.).

II. Activa.

Quae esse possunt

A. Non-spontanea

Haec in agendo impediri nequeunt, nisi principio quodam extrinseco efficiente, metaphysice sumto (§. 45.). Ergo sua vi alio modo agere nequeunt, nisi ita, ut in serie continua status agendi antecedens sit consequentis ratio efficiens sufficiens, metaphysice sumta (§. 46.). Si ergo agunt, status agendi consequens cum antecedente, quatenus intrinsece spectantur, perfecte idem est (§. 47.). Atque adeo successive sua vi agere nequeunt, nisi motu naturali (§. 48.). Ergo nec immanenter agere possunt (§. 51.), & intrinsece diversa esse nequeunt, nisi per determinationes eorum virium ad certam celeritatem atque directionem (§. 50.).

Et ita a principiis illis facili negotio ea seiungi possunt generalia, quibus entia simplicia passiva atque activa non-spontanea conveniunt atque discrepant. Cum iis enim congruunt, quae ex non-spontanei constitutione atque essentia sunt deducta. Quoad ea vero non conveniunt, quae passivi atque activi notiones, qua tales, exhibent.

B. Spon-

B. Spontanea.

Eiusmodi ens in agendo se ipsum impedire (§. 53.), atque adeo tam immanenter quam transitive agere potest (§. 54. seq.), ita, ut, si transitive agat, hac de vis ipsius determinatione ratio quaedam in immanentibus ipsius entis actionibus esse debeat(§.56.). Ergo & obiecta percipere potest (§. 57.), in quibus perceptionibus, cur se ad actionem transeuntem determinaverit, ratio invenienda (§.57. Cor. Cor.), sed tamen ita, ut status agendi antecedens consequentis ratio sufficiens efficiens, metaphysice sumta, nominari nequeat (§. 58.). Quare necesse est, ut ante, quam transitive agat, effectum actionis suae perceperit (§. 59.), ita, ut simul diversitatem obiectorum percipiat (§.60.), quae perceptio illi dat occasionem, cur transitive agat (§.61.), ita tamen, ut rationem illam explicaturi formale dictae perceptionis spectare debeant (§. 62.). Ergo id agit, quod cum essentia ipsius convenire, percepit (§. 64. seq.), atque adeo, quod ad se retulit, & sibi bonum percepit (§. 65.). Qua ex ratione illud appetit; quod sibi vero malum percepit, aversatur (§. 66. seqq.). Quicquid itaque appetit vel aversatur, contingenter appetit vel aversatur, & in determinatione illa vis ratiocinium latet (§. 70. seq.). Ex quibus sequitur, entia illa spontanea, esse

α) eiusmodi, ut perceptiones materialiter spectatae illis vi essentiae insint,

β) vel eiusmodi, ut dictae perceptiones illis vi essentiae inesse nequeant (§. 72.).

Quoad ultima ratio materialis perceptionis, quae inest, saltem ex parte in aliis entibus inveniri debet (§. 73.), quae illis dant percipiendi occasionem (§. cit. Cor. 2.), ita ut, posita hac occasione, etiam perceptiones dictae entibus illis inesse debeant (§. cit. Cor. 3.), quarum occasione sua etiam vi sine aliorum externorum concursu alia obiecta percipere possunt (§. 74.). Etc. &c.

MONADOLOGIAE PARTIS GENERALIS

SECTIO III.

DE

ENTIVM SIMPLICIVM NEXV, VARIISQVE EIVSDEM CONSECTARIIS.

CAP. I.

DE

NEXV ENTIVM SIMPLICIVM EIVSDEM SPECIEI, HVIVSQVE NEXVS CONSECTARIIS.

TIT. I.

DE

VARIIS MODIS, QVIBVS ENTIA SIMPLICIA MERE PASSIVA CONNECTI POSSVNT, ET PRAESERTIM DE REGVLIS MOTVS, QVAE INDE FLVVNT.

§. LXXX.

Nexus eorum entium speciei generatim indicantur.

De nexu entium §. 74. seqq. Ont. dixi. Entia simplicia mere passiva sunt entia. Ergo & ibi demonstrata hic applicari possunt. Atque adeo nexus entium simplicium mere passivorum est vel *entitativus*, vel *substantialis* vel *entitativo substantialis* (§. 74. cit.). Inquiramus ergo in eorum determinationes specificas, ex entis simplicis passivi constitutione deducendas.

§. LXXXI.

Speciatim de nexu eorum entitativo dicitur.

Nexus entium simplicium mere passivorum entitativus mutari nequit, nisi eorum motu, a principio quodam efficiente extrinseco, metaphysice sumto, dependente. Nexus enim illorum entitativus mutari nequit, nisi modus, quo unum ceteris coexistit, sit mutatu (§ 127. & 129. Ont.). Mutari itaque nequit, nisi loca illorum relativa mutentur (§. 121. Ont.). Sed loca illorum relati-

relativa mutari nequeunt sine eorum motu (§. 26. Cor. 2.). Ergo nec nexus ille sine dictorum entium motu mutari potest. Quod vero motus ille a principio quodam efficiente extrinseco, metaphysice sumto, dependere debeat, demonstratio membri secundi §. 35. sufficienter docet.

COR. Quae itaque de motu violento in superioribus demonstrata, etiam hic applicari possunt. Et si fieri nequit, ut entia illa moveantur, fieri etiam nequit, ut nexus ille entitativus mutetur. Sed quid est, ut de nexu illorum entitativo pluribus hic dicam. Quoniam enim, quae de eiusmodi nexu dicenda, ex impenetrabilitatis idea solummodo deducenda sunt (§. 74. Cor. Ont.), facile patet, quae §. cit. seqq. & §. 126. sqq. Ont. de eiusmodi nexu demonstrata, sine ambagibus de illorum entium nexu entitativo dici posse.

§. LXXXII.

Nexus eorum substantialis magis determinatur.

Posito entium nexu subsstantiali vel entitativo-subsstantiali, ut eorum unum in alterum agat, necesse est (§. 142. Ont.). Eiusmodi itaque nexus ex actionibus entium mere passivorum determinandus est. Sed nullum ens simplex mere passivum agere potest, nisi motu, vel ita, ut alterius cuiusdam entis sit impedimentum (§. 34.). Si ergo duo entia simplicia mere passiva subsstantialiter connexa sunt, nexus ille aut ex motu, aut ex eo, quod eorum unum alteri sit impedimento, explicandus est.

§. LXXXIII.

Ex motu nexus ille explicari debet.

Entia mere passiva, ergo & simplicia mere passiva, subsstantialiter connecti nequeunt, nisi saltem eorum unum fuit in motu, quo nexus ille constitutus. Ponamus, entia simplicia mere passiva A & B esse subsstantialiter connexa, ergo eorum unum in alterum agit (§. 82.). Ponamus porro, nec A nec B fuisse in motu, quo nexus ille constitui potuisset. Ergo eorum unum in alterum agere nequit, nisi ita, ut unum alteri sit impedimento (§. cit.). Sed hoc dictis sub determinationibus fieri nequit. Enti enim simplici mere passivo nondum

moto non competit vis, nisi primitiva (§. 34. & 37. Cor.). Vis itaque, quae illi dictis sub determinationibus tribuenda, in se spectata insufficiens est ad agendum (§. 62. Cor. 2. & 61. Ont.), ut itaque in agendo impediatur, dici nequit (§. 104. Ph. pr.). Substantialiter itaque entia simplicia mere passiva connecti nequeunt, nisi saltem eorum unum fuit in motu, quo nexus ille constitutus est.

COR. Omnis itaque nexus substantialis entium simplicium mere passivorum ex motu deducendus est. Dictum itaque nexum explicaturus eorum motum magis explicare atque determinare debeo.

§. LXXXIV.

Leges motus earumque species definiuntur.

Principia generalia, ex quibus motus entium explicari possunt, vocantur *Leges motus*. Ut ergo Leges motus universales hic explicentur, necesse est. Hoc quo commode fieri possit, *Leges motus* in *absolutas* & *relativas* dividam, *illae* nimirum motus entium in se spectatorum, *hae* vero modum, quo unum ens in alterum motu agere possit, explicabunt.

SCH. Primo itaque de illis, deinde de his dicam, sed hic ita solummodo, ut entium mere passivorum motus commode inde explicari possint. Quoniam vero omnes, quae de motu entis in se spectati moveri possunt quaestiones, vel ortum, vel continuationem, vel quantitatem motus spectant, necesse est, ut prioris generis leges motus explicaturus, tam ex isto quam illo atque hoc respectu leges illas deducam atque determinem.

§. LXXXV.

Lex motus ex qua motus origo quoad ens passivum explicanda indicatur.

Nullum ens simplex mere passivum quiescens se ipsum movere potest, sed si est in motu, necesse est, ut status ille a caussa quadam externa efficiente dependeat. Demonstrationem huius principii vide §. 35.

COR. Si ergo ens aliquod quiescens se ipsum movere potest, & si fieri potest, ut sine caussa quadam externa efficiente moveatur,

veatur, ut ens illud inter activa referri debeat, consequens est (§. 20.).

§. LXXXVI.

Omne ens mere passivum semel motum perseverat in statu suo movendi uniformiter in directum, hoc est, eadem celeritate & secundum eandem directionem, nisi a caussa quadam externa efficiente statum suum mutare cogatur. Ens enim illud semel motum in statu suo movendi perseverare, nisi a caussa quadam externa efficiente ad quietem redigatur, patet ex §. 36. Quod vero in eodem perseveret uniformiter in directum, ita evinco. Ens illud semel motum agit (§. 29.). Ergo in eodem statu agendi perseverat, donec ab alia quadam ratione status ille mutatur (§. 50. Ont.). Sed in eodem agendi statu perseverare nequit, nisi celeritas atque directio eadem maneat (§. 30. Cor.). Ergo ens illud semel motum in statu suo movendi perseverare debet uniformiter in directum, donec ab alia quadam ratione status ille mutatur. Ratio itaque illa vel est in eodem ente, quod ut agens sumitur, vel extra. Si prius, ens illud sine respectu ad alia entia sua vi statum suum agendi mutare potest (§. 12. Ont.). Ergo non est ens mere passivum (§. 47. 39. 52. & §. 20.). Quare, cum hoc sit contra hypothesin, ut posterius sit, consequens est. Quod vero ratio illa externa caussam efficientem externam requirat, demonstratio, qua principium, §. 36. positum, corroboratum est, sufficienter docebit.

Lex motus, qua continuatio motus, quoad ens passivum explicanda, determinatur.

COR. Omnis motus est actio, qua mobile spatium aliquod describit (§. 28.). Omne mobile instar puncti cogitari potest, & spatium, quod motu puncti describitur, est linea. Ergo omne mobile lineam quandam describere, affirmare licet. Mutatur vero hac in linea vel directio mobilis vel non. Si prius, linea est *curva*, si vero posterius, *recta*. *Omne itaque mobile, si est ens mere passivum, in linea recta progreditur, nisi a caussa quadam efficiente externa directio ipsius mutetur, a qua in linea curva progredi cogitur.*

§. LXXXVII.

Lex motus, ex qua quantitas motus quoad entia mere passiva explicari potest.

Si ens mere passivum est in motu, quantitas huius motus est factum ex impenetrabilitate ipsius entis in celeritatem, qua movetur. Si enim ens illud est in motu, actio ipsius est successiva (§. 28.), actio vero entis passivi successiva aequalis est facto ex impenetrabilitate entis agentis in datam celeritatem (§. 65. Cor. Ont.). Ergo & quantitas motus entis mere passivi est factum ex impenetrabilitate ipsius entis in celeritatem, qua movetur.

COR. Motus huius entis est effectus ab actione causae efficientis externae, qua ad motum concitatum est (§. 85.), dependens (§. 12. & 43. Ont.). Sed effectus ille vi agenti, a qua dependet, aequalis esse debet (§. 49. Ont.). Ergo & ex dictis quantitas huius actionis determinari potest. Plura facili negotio ex illis hic inferri possunt, quae Sect. II. Ont. explicata sunt. Sufficienter itaque de motu entis passivi in se spectati hactenus dictum est. Iam etiam breviſſimis modum, quo unum ens passivum in alterum motu agere possit, explicabo.

§. LXXXVIII.

Varii termini, quibus modum, quo ens passivum ab altero moveri possit, explicantes utuntur, explicantur.

Si duo entia proxime coexistunt, *eorum unum alterum tangere* dicitur. Si ens A, quod est in motu, motum suum ita continuat, ut aliud quoddam ens tangat, *illud ens in hocce incurrere* dicitur. Si ergo ens illud in hoc incurrit, ut illud in hoc motu agat, necesse est. (§. 86.). Eiusmodi entis actio in aliud quoddam ens vocatur *ictus*, & quantitas huius actionis *impetus* accepit nomen.

COR. I. Nullus itaque ictus sine entium contactu possibilis est (per dem. §. 93. Ont.). Et nullum ens passivum ab alio quodam ente ad motum concitari potest, nisi per tactum (§. 85. & l. c.).

COR. II. Simul patet, impetum quoad entia passiva esse factum ex impenetrabilitate entis, quod est in motu, in celeritatem, qua movetur (§. 87.).

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Vis inertiae atque gravitatis constitutiones explicantur.

Omne ens aliquo modo motui alterius, quod in illud incurrit, resistit, magis vero ens mere passivum illi resistere potest, quam ens activum, licet aequalem habeant impenetrabilitatem. Ponamus ens A in aliud quoddam ens B incurrere (§. 88.). Ergo ens illud A incurrit in impenetrabile (§. 7. Ont.). Atque adeo motum suum in linea recta continuare nequit, nisi locus ipsius B sit mutatus (§. 7. & 127. Ont. coll. §. 86. Cor.), ut ergo ens B motui ipsius A aliquo modo resistat, consequens est (§. 104. Ph. pr.). Q. e. p.

Ponamus porro entia C & D aequalem habere impenetrabilitatem. Ergo & quatenus sunt impenetrabilia aequali modo motui alterius A, quod aequali motu in illa incurrit, resistunt (§. 49. Ont. & dem. membri primi). Ponamus porro ens illud C esse passivum, ens D vero activum. Ergo & illud agere nequit, nisi vis ipsius major sit facta (§. 63. Cor. 2. Ont.). Si vero hoc agat, non necesse est, ut vis ipsius fiat maior, quoniam impedimenti remotio, ut agat, sufficiens est (§. 67. seqq. Ont.). Atque adeo nec illud moveri potest, nisi vis ipsius sit maior facta, hoc vero moveri potest, licet vis ipsius non maior sit facta (§. 28. 35. & 50. seq.). Motus itaque, quo ens illud A efficit, ut ens hocce activum D locum suum absolutum mutet, minor esse potest, motu quo efficit, ut locus absolutus, quem ens passivum C occupavit, mutetur (§. 26. Mon. & §. 49. Ont.). Ergo & dictis sub determinationibus fieri potest, ut ens illud passivum motui ipsius A magis resistat, quam ens hocce activum (per dem. memb. pr.). Q. e. a.

COR. I. Quatenus ens aliquod motui alterius resistit, *vis inertiae* illi tribuitur, vis itaque inertiae entis passivi maior esse potest, vi inertiae, enti activo tribuendae, licet entia illa aequalem habeant impenetrabilitatem.

COR. II. Gravitatem entibus tribuimus, quatenus impenetrabilia sunt. Quo maior itaque impenetrabilitas entis, eo maior est ipsius gravitas. Patet ergo 1.) Ab aequalitate gravitatis, quae

quae enti passivo atque activo tribuenda, ad aequalitatem virium inertiae illis tribuendarum non posse concludi. 2) Aequalitatem gravitatis entium passivorum involvere aequalitatem virium inertiae. 3.) Nudam gravitatem vim inertiae constituere, universaliter dici non posse. Etc. &c.

SCH. Optime itaque LEIBNITIVS in Actis Eruditorum de anno 1698. p. 434. monuit, *materiam motui resistere per quandam suam inertiam naturalem, sed tamen ita, ut non sit indifferens ad motum & quietem, uti vulgo rem aestimare solent, sed ad motum pro magnitudine sua vi tanto maiore activa indigeat.*

§. XC.

Si ens passivum in aliud quiescens incurrit maiori actione, quam cui quiescens sufficienter resistere potest, quid inde.

Si ens aliquod passivum motum A in aliud quoddam ens passivum quiescens B incurrit, cuius impenetrabilitas seu gravitas aequalis est impenetrabilitati seu gravitati ipsius A. 1.) *ens illud* A *alterum B ad motum sollicitat.* 2.) *Ens* B *motum illum continuat, donec ab alio quodam ente in agendo impediatur.* 3.) *Ens illud A motum suum continuat in eadem directione, sed minori quadam celeritate.* Ens passivum resistit motui alterius tantummodo impenetrabilitate sua (per dem. §. 89.). Si ergo impenetrabilitas entis passivi A aequalis est impenetrabilitati alterius B, & ens illud A est in motu, B vero quiescens, necesse est, ut resistentia entis B sit minor actione ipsius A (§. 63. Cor. 2. Ont.). Si ergo ens illud A in hocce B dictis sub determinationibus incurrit, ut illud ens hocce ad motum sollicitet, consequens est (per dem. memb. 1. §. 35. & §. 88.). Q. e. p.

Alterum propositionis membrum sufficienter docet §. 36.

Ultimum vero ita evinco: Ens passivum semel motum ad statum quietis pervenire nequit, nisi a caussa quadam externa sufficiente efficiente ad eundem redigatur (§. 36. Cor. 1.). Sed ens dictum B motui ipsius A non resistit sufficienter (per dem. memb. 1.). Ergo & ens A, quod in motu fuit, motum suum continuare debet. Quoniam vero ens B motui ipsius A resistit, licet non sufficienter, necesse tamen est, ut motus

ipsius

ipsius A aliquo modo mutetur (§. 51. Ont.). Ergo vel directio ipsius motus mutatur, vel celeritas, vel directio & celeritas simul (§. 30. Cor.). Sed directio dictis sub determinationibus mutari nequit (per dem. membr. 1. coll. §. 86. Cor. & §. 29. Cor. 3.), ut ergo celeritas mutetur consequens est, haec itaque vel fit maior vel minor. Sed maior dictis sub determinationibus fieri nequit (§. 104. Ph. pr. & §. 49. Ont.), ut ergo minor fiat, consequens est. Q. e. t.

COR. I. Sufficienter simul ex dictis patet, ens passivum motum A, quod in aliud quoddam ens passivum quiescens B maiori actione incurrit, quam cui haec B resistere potest, ens hocce quiescens ad motum sollicitare.

COR. II. Et quoniam motus huius B est actionis illius A effectus (Cor. §. 87.), consequens est, ut actio ipsius B impetui, quo A illud ad motum sollicitat, sit aequalis (§. 49. Ont. & §. 88. Mon.).

COR. III. Quare, cum actio ipsius B aequalis sit facto ex impenetrabilitate seu gravitate (§. 89. Cor. 2.) in celeritatem, qua movetur (§. 65. Cor. Ont.) patet, ens illud B determinata actione ipsius A celerius moveri, si gravitas dicti B sit minor, quam si ea sit maior.

COR. IV. Impenetrabilitates entium simplicium passivorum separatim spectatorum sunt aequales (§. 2. Mon. & §. 48. Phil. pr.). Ergo & hactenus explicata ad entia simplicia mere passiva facili negotio applicari possunt. Et eodem modo fieri potest, ut magis determinata ex dictis inferantur.

SCH. Et ita sufficienter explicatum est, quomodo fieri possit, ut ens aliquod passivum alterum ad motum sollicitet, ita, ut non necesse sit assumere, unum ens in alterum vim suam motricem transferre. Patet enim ex demonstratis, vim illam motricem entibus dictis passivis essentialiter inesse, atque adeo ens A in alterum B, quod actione sua ad motum sollicitat, vim suam motricem non transferre, sed vim motricem ipsius B actione sua solummodo modificare, & ad motum determinare.

Quo ex principio quaedam principia Philosophiae posita explicantur.

vide meditationes LEIBNITII in *Actis Eruditorum* de anno 1691. p. 441. Et simul patet, quo sensu dici possit, in natura semper eandem virium quantitatem servari. vide meditationes LEIBNITII in *Actis Eruditorum* de anno 1686. p. 161. seqq. & de anno 1698. p. 429. seqq.

§. XCI.

Aliud ex motu illo ante determinato, consectarium.

Si ens aliquod passivum A, quod in motu est, in aliud quoddam ens passivum quiescens B incurrit, cuius impenetrabilitas seu gravitas aequalis est impenetrabilitati seu gravitati ipsius A, necesse est, ut motus ipsius B, ad quem ab A sollicitatum est, maiorem habeat celeritatem, quam motus, quem ens illud A continuat. Motus ipsius B est aequalis impetui, quo ens illud A hocce B dictis sub determinationibus ad motum sollicitavit (§. 90. Cor. 2.). Ergo celeritas, qua B dictis sub determinationibus movetur, aequalis est celeritati, qua A in illud incurrit, si eorum gravitates sunt aequales (§. 91. Cor. 3. coll. §. 88.). Sed eorum gravitates sunt aequales (per. hypoth.). Ergo & B ea movetur celeritate, qua A in illud incurrit. Sed facto impetu celeritas ipsius A minor facta est (§. 90.). Ut ergo B dictis sub determinationibus maiori moveatur celeritate, quam qua ens illud A motum suum continuat, consequens est.

COR. Entium simplicium passivorum separatim spectatorum impenetrabilitates sunt aequales (§. 90. Cor. 4.). Ergo & principium hocce ad motum entium simplicium passivorum facili negotio applicari potest.

§. XCII.

Ex quibus omnis motus entis simplicis passivi in aliud passivum quiescens explicari potest.

Ens simplex passivum in aliud quoddam ens simplex passivum incurrere nequit, nisi cuius impenetrabilitas est aequalis impenetrabilitati eius, quod in hocce incurrit (§. 20. Cor. 4.). Ex principiis igitur §. 90. & 91. demonstratis omnis motus explicari potest, qui inde oritur, si ens simplex passivum in aliud ens simplex passivum quiescens incurrit. Ergo necesse erit, ut etiam principia demonstren-

tur,

tur, ex quibus motus entis ſimplicis paſſivi in aliud ens ſimplex paſſivum non quieſcens explicari poſſunt.

§. XCIII.

Occurſus entium quid.

Unum ens alteri occurrere brevitatis gratia dicam, ſi ad contrarias directiones mota in ſe invicem incurrant.

COR. Vis entis paſſivi, quod eſt in motu, aequalis eſt facto ex impenetrabilitate ſeu gravitate in celeritatem, qua movetur (§. 90. Cor. 3.). Effectus itaque motus, quo unum ens paſſivum alteri occurrit, determinaturus, tam impenetrabilitatem ſeu gravitatem, quam celeritatem entium, quorum unum alteri occurrit, ſpectare debeo. Quoniam vero impenetrabilitates entium ſimplicium paſſivorum ſeparatim ſpectatorum ſunt aequales (§. 90. Cor. 4.), ea modo hic eruenda ſunt, quae inde oriuntur, ſi aequali & ſi inaequali celeritate unum alteri occurrat.

§. XCIV.

Si duo entia paſſiva, quorum impenetrabilitates aequales, aequali celeritate ſibi occurrunt, quid inde.

Si duorum entium paſſivorum, quae aequalem gravitatem habent, atque aequali celeritate moventur, unum alteri occurrit, poſt impulſum mutata atque contraria directione aequali celeritate motum ſuum continuant. Entia enim illa, quorum unum alteri occurrit, in motu erant. Ergo fieri non potuit, ut ad ſtatum quietis pervenirent, niſi fieri potuerit, ut a reſiſtentia quadam externa ſufficiente ad eundem redigerentur (§. 36.). Si ergo dictis ſub determinationibus ad quietis ſtatum pervenirent, neceſſe erit, ut eorum unum alteri ſufficienter reſiſtat. Hoc vero fieri nequit. Eorum enim unum motui alterius ſolummodo reſiſtere poteſt gravitate ſua (per dem. membri 1. §. 89. & §. cit. Cor. 2.). Quare, cum eorum gravitates ſint aequales (per hyp.), reſiſtentia illa ſufficiens eſſe nequit (§. 90. Cor. 3.). ut ergo entia illa, quorum unum alteri occurrit, motum ſuum continuent, conſequens eſt. Q. e. p.

Patet ſimul, motum, quem determinatis ſub circumſtantiis dictorum entium unum continuat, eſſe effectum impetus ab altero illorum entium dependentis (§. 88. & §. 93.

Mon. coll. §. 12. Ont.). Quare, cum impetus illi sint aequales (§. 88. Cor. 2. & per hyp.), ut etiam dicti motus continuati aequales sint, consequens est (§. 49. Ont.). Eadem itaque celeritate entia illa motum suum continuant (§. 90. Cor. 3.). Q. e. a.

Fig. 7. Quod tandem post impulsum eorum directiones mutari debeant, ita evinco. Ponamus, entia illa esse A & B. Ponamus porro, ens illud A, quod motum suum continuat, simul in eadem directione eundem continuare ad d. Ergo necesse erit, ut alterum ens B directionem suam, quae ante fuit ad D, mutet (per dem. membri 1. §. 89.). Sed quoniam ens A alteri B, & hocce B illi A aequaliter resistit (§. 89. Cor. 2. & hyp.), & ens illud A in B & vice versa aequali vi incurrit (per hyp. coll. §. 90. Cor. 3.), fieri non poterit, ut B & non A directionem suam mutaret (§. 49. Ont.). Ergo aut in quiete manere, aut ambo directionem suam mutare debent. Sed prius esse nequit (per memb. 1.), ut ergo posterius sit, consequens est. Q. e. t.

Motus, quem determinatis sub circumstantiis dictorum entium unum continuat, est effectus impetus ab altero illorum entium dependentis (per dem. memb. 2.). Quare, cum impetus illi ad contrarias directiones tendant (§. 93.), entia illa motum suum contraria directione continuare, patet (§. 49. Ont.). Q. e. q.

COR. I. Impenetrabilitates entium simplicium passivorum separatim spectatorum sunt aequales (§. 90. Cor. 4.) Ergo & hic demonstrata ad entia simplicia mere passiva immediate applicari possunt.

COR. II. Et ex demonstratione membri primi, etiam a priori patet veritas principii, ab Ill. HAMBERGERO in Element. Phys. Cap. I. §. 82. Sch. seqq. positi, atque experientia confirmati, *quod nimirum nullum corpus, qua movetur, i. e. motu suo, motui alius corporis resistere possit.*

§. XCV.

§. XCV.

Si vero inaequali celeritate dictis sub determinationibus fiat concursus, quid inde.

Si duo entia passiva A & B, quorum impenetrabilitates seu gravitates sunt aequales, inaequali celeritate moventur, ita ut celeritas ipsius A maior sit celeritate alterius B, & eorum unum alteri occurrit, post impulsum 1.) tam A quam B motum suum continuant, 2.) directio entis B non vero alterius A mutatur, & 3.) B maiori celeritate movetur, quam A. Primum propositionis membrum eodem modo corroborari potest, quo membrum primum propositionis §. 94. demonstratum est. Alterum vero ita evinco: Si ens illud A, motum suum continuans, directionem suam mutaret, alterum ens B rationem huius mutationis sufficientem continere debet (§. 86.). Si vero eam contineat, hocce B vel qua quiescens vel qua motum spectari debet (per hyp.). Si prius, rationem illam continere nequit (§. 90.). Nec illud fieri potest, si posterius. Quoniam enim impetus entis A impetu entis B maior est (per hyp. coll. §. 90. Cor. 3.), pars illius huic toti aequalis est (§. 49. Ph. pr.), atque adeo quoad alteram impetus ipsius A partem ens hocce B ut quiescens spectari potest. Ergo efficere nequit, ut ens illud A directionem suam mutaret (per dem. memb. 3. § 90.). Quod vero directio alterius B mutetur, patet ex demonstratione memb. 3. §. 94. Et quod B post impulsum maiori moveatur celeritate, quam ens illud A, eodem modo demonstrari posse, quam quo principium §. 91. confirmatum est, ex dictis simul sufficienter patebit.

COR. Eadem hypothesis, quae hic sumitur, valet quoad entia simplicia passiva separatim spectata (§. 90. Cor. 4.). Ergo & hocce principium ad eorum motum immediate applicari potest.

§. XCVI.

Cohaesio quid.

Si duo entia ita proxime coexistunt, ut unum moveri nequeat, nisi simul alterum qua proxime coexistens moveatur, *entia illa cohaerere* dicitur. Ergo & eiusmodi entium coexistentia in abstracto vocatur *cohaesio*.

COR. Entia itaque, quae non proxime coexistunt, nec cohaerent.

§. XCVII.

Entia quae cohaerent, quomodo in se invicem agunt.

Si Duo entia A & B cohaerent, necesse est, ut A in B & vice versa sine motu agat. Si enim entia illa cohaerent, eorum unum moveri nequit, nisi simul alterum, qua proxime coexistens moveatur, & vice versa (§. 96.). Sed entia qua entia moveri possunt (§. 27.). Ergo eorum unum continet determinationem sine altero impossibilem (§. 39. Ph. pr.). Atque adeo A & B sunt connexa (§. 90. Ph. pr.). A & B sunt entia (per hyp.). Ergo nexus ille est vel entitativus vel substantialis (§. 74. Ont.). Sed entitativus solummodo esse nequit. In nexu enim entitativo entia solummodo spectari possunt, qua entia (§. 74. Ont.). Eo vero respectu, unum sine altero moveri potest (per dem. 2. §. 27.). Ergo non cohaerent (§. 96.). Ut ergo nexus ille sit substantialis, consequens est. Ergo vi unius determinatio quaedam inest, quae sine vi alterius non possibilis (§. 74. Cor Ont.). Quoniam vero ea determinatio est eiusmodi, ut connexorum unum moveri nequeat, nisi simul alterum qua proxime coexistens moveatur (§. 96.), necesse est, ut vis unius efficiat, ut vis alterius non ita ad motum maneat sufficiens, ut antea ad eundem sufficiens fuerit (§. 96. Cor 1. Ph. pr. & modo dicta), atque adeo vis unius motui alterius resistat (§. 104. Ph. pr.). Eorum itaque unum in alterum & vice versa agit (§. 91. Ont.). Quod vero actiones illae sine motu fiant, ex definitione motus §. 26. datae immediate fluet.

COR. I. Si ergo duo entia sine motu in se invicem agere nequeunt, nec fieri potest, ut cohaereant.

COR. II. Et quoniam entia, quae cohaerent, connexa sunt (per dem.), entia, quae cohaerent, unum ens constituunt (§. 175. Ph. pr. & §. 1. Ont.). Quod inter entia extensa referri debet (§. 138. Ont. coll. dem. §. 137. Ont. & §. 96. Mon.).

SCH.

SCH. Et ita etiam a priori explicatio cohaesionis ab Ill. HAMBRGERO l. c. §. 109. posita evicta est, quod nimirum corpora cohaereant, quando, dum sese proxime contingunt, sine motu in se invicem agunt. *Vsus loquendi dictorum probatur.*

§. XCVIII.

Entia simplicia mere passiva, si solummodo adsunt, cohaerere nequeunt. Si enim cohaerent, huius cohaesionis fundamentum aut est eorum motus aut non. Si posterius, fieri nequit, ut eorum unum in alterum agat (per dem. §. 83.), ergo nec fieri potest, ut cohaereant (§. 97. Cor. 1.). Si ergo cohaereant, necesse erit, ut cohaesio illa eorum motu constituatur. Ergo vel eorum unum in alterum quiescens incurrit, vel eorum unum alteri occurrit (§. 88. & 93.). Si prius, proxime coexistentia manere nequeunt (§. 91. 29. Cor. 2. coll. §. 76. Ont.). Ergo nec fieri potest, ut cohaereant (§. 96. Cor.). Si posterius, sibi mutuo occurrunt vel aequali celeritate, vel celeritate inaequali. Sed nec priori nec posteriori casu proxime coexistentia manere possunt (§. 94. 95. 29. Cor. 2. coll. §. 76. Ont.). Ergo nec fieri potest, ut hisce sub determinationibus cohaereant (§. 96. Cor.). Si ergo entia simplicia, quae ponuntur, solummodo sunt passiva, ea non posse cohaerere, sufficienter patet. *Impossibilitas cohaesionis, quo ad entia simplicia mere passiva inde deducitur.*

COR. Nullum ens possibile est, nisi per entia simplicia (§. 9.). Et entia simplicia sunt vel activa vel passiva (§. 20.). Nulla itaque entium cohaesio possibilis est, nisi, quae entibus activis constituitur. Deinde itaque, ut in entium simplicium cohaesionem inquiramus, necesse est.

TIT. II.
DE
VARIIS MODIS, QVIBVS ENTIA SIMPLICIA ACTIVA NON SPONTANEA CONNECTI POSSVNT.

§. XCIX.

Entia simplicia activa non-spontanea spectari possunt vel quatenus sunt entia simplicia, vel quatenus sunt entia activa, vel quate- *Ratio instituti.*

quatenus sunt entia non-spontanea. Si ut entia simplicia spectantur, ut de eorum nexu pluribus hic dicam, non necesse erit. A genere enim ad speciem immediate valet conclusio, atque adeo, quae §. 74. seqq. Ont. de nexu entium tam entitativo quam substantiali demonstrata sunt, hic immediate applicari possunt. Ergo solummodo necesse est, ut hic in ea inquiramus, quae ex entis simplicis activi determinationibus specificis deducenda. Sunt vero entia simplicia activa vel spontanea vel non-spontanea (§. 44.). Necesse ergo est, ut nexum entium simplicium activorum explicaturus *primo*, quae ex differentia specifica activi non-spontanei, & *deinde* quae ex differentia specifica spontanei fluunt, evolvam. Primum fiat hoc in Tit. ultimum vero Tit. sequenti.

§. C.

Nexus substantialis entium simplicium activorum determinatur.

Entis simplicis, quod ut activum spectatur, vis est conatus efficax (§. 20. Cor. 1. & §. 62. Ont.), atque adeo vis, quae in se spectata sufficiens ad agendum (§. 67. Ont.). Entia itaque simplicia activa, quorum unum ab altero qua existens non dependet (quam hypothesin in sequentibus continuo ponam), substantialiter connecti nequeunt, nisi, ut eorum unum impediat, quo minus alterum agere possit, vel ut eorum unum per impedimenti remotionem efficiat, ut alterum agat (§. 80. Cor. 2. Ont. & §. 68. cum Cor. Cor.). Plura itaque consectaria facili negotio ex illis hic inferri possunt, quae §. 68. seqq. Ont. demonstrata sunt.

§. CI.

Conatus entium simplicium activorum non spontaneorum qualis.

Conatus entis simplicis activi non spontanei non est nisi conatus ad motum. Per ens enim simplex activum non spontaneum nullae actiones possibiles sunt, nisi, quae motum spectant (§. 51. Cor.). Eiusmodi itaque entis qua talis conatus (§. 99.) non esse potest, nisi conatus ad motum (§. 12. & 15. Ont.).

COR. I. Conatus itaque ille, vel ad certam directionem deter-

determinatus est vel non (§. 30. Cor.). Necesse ergo est, ut in ea inquiramus, quae hisce sub determinationibus de entium simplicium activorum non-spontaneorum nexu substantiali dici possunt.

COR. II. Ergo & eiusmodi entia sub hypothesi §. 99. posita substantialiter connecti nequeunt, nisi ita, ut eorum unum impediat, quo minus alterum conatu suo moveri possit, vel ita, ut eorum unum per impedimenti remotionem efficiat, ut alterum conatu suo moveatur.

§. CII.

Quomodo fieri potest ut eorum unum impediat quo minus alterum moveatur.

Si duo entia simplicia activa, quorum conatus in se aequales, atque ad contrarias directiones determinati, ita proxime coexistunt, ut eorum unum in eo sit loco, ad quem alterum tendit & vice versa, necesse est, ut eorum unum impediat, quo minus alterum moveatur & vice versa. Si enim dictis sub determinationibus moveantur, necesse erit, ut saltem eorum unum ad aliam quandam directionem determinetur (per dem. Membr. 1. §. 89.). Sed hoc dictis sub determinationibus fieri nequit. Aut enim propria vi ad aliam quandam directionem se determinant, aut eorum unum alterum ad aliam quandam directionem determinat. Sed prius esse nequit (§. 39.), nec posterius fieri potest (§. 111. Ph. pr. & 46. Mon.). Ut ergo dictis sub determinationibus neutrum eorum moveatur, consequens est. Necesse ergo est, ut eorum unum impediat, quo minus alterum moveatur & vice versa (§. 90. Mon. coll. §. 104. Ph. pr.).

COR. I. Si unum ens impedit, quo minus alterum agere possit, ut illud in hocce agat, necesse est (§. 91. Ont.). Datis itaque sub determinationibus fieri potest, ut unum ens simplex activum non-spontaneum in alterum sine motu agat.

COR. II. Dictis itaque sub determinationibus eorum unum in alterum agit, atque hoc in illud reagit (§. 95. 91. Ont.). Atque adeo sunt in conflictu. *Conflictus* enim entium, eorum dicitur status, quo in se invicem agunt & reagunt.

§. CIII.

Inde entium activorum non spontaneorum cohaesio possibilis deducitur.

Entia simplicia activa non-spontanea dictis sub determinationibus aliquo modo cohaerent. Ponamus enim, entium illorum unum esse A & alterum B. Ponamus porro, conatum entis A ad directionem C; conatum vero entis B ad directionem D determinatum esse. Ponamus porro, principio quodam extrinseco ens illud A moveri ad directionem D non majori celeritate ea, qua alterum B suo conatu moveri potest (quod vi §. 30. C. poni potest.). Ergo & necesse est, ut B ad eandem directionem D ita moveatur, ut semper A proxime coexistens maneat (§. 68. 15. 16. Cor. 1. Ont. coll. §. 29. Cor. 2. & 89. Mon. & §. 76. Ont.); & eodem modo A moveri debet ad directionem C, si B principio quodam extrinseco ad eandem ea celeritate, qua ante motum alterius A determinavi, moveatur. Entia itaque illa, dictis sub determinationibus, aliquo modo cohaerent (§. 96.) vid. §. 39.

SCH. Et ita a priori evictum est, quomodo fieri possit, ut entia simplicia activa non-spontanea cohaereant.

§. CIV.

Si conatus entis simplicis activi non spontanei ad certam directionem non determinatus quid inde.

Si conatus entis simplicis activi non-spontanei, in se spectatus, ad certam quandam directionem non determinatus est, fieri non potest, ut moveatur, nisi principio quodam extrinseco ad certam quandam directionem determinetur. Ponamus enim, ens illud moveri, ergo necesse erit, ut conatus ipsius ad certam quandam directionem sit determinatus (§. 30. Cor.). Quoniam vero illius entis conatus in se spectatus eam ad directionem non determinatus est, necesse est, ut huius determinationis ratio quædam adsit (§. 111. Ph. pr.). Haec ratio vel est solummodo interna, vel non, sed prius esse nequit (§. 44. & 39.), ut ergo posterius esse debeat, consequens est. Moveri itaque nequit illud ens, nisi extrinseco quodam principio conatus ipsius ad certam quandam directionem sit determinatus (§. 103. & 169. Ph. pr.).

COR. I. Nullum ens simplex activum non-spontaneum in se seu

se seu essentialiter spectatum ad certam quandam directionem determinatum esse, ex §. 30. Cor. coll. dem. §. 27. & §. 51. Cor. facile patebit. Ergo & moveri nequit, nisi principio quodam extrinseco ad certam quandam directionem determinetur.

COR. II. Si ergo principio illo extrinseco ad certam directionem determinatum, necesse est, ut perseveret in statu suo movendi uniformiter in directum, hoc est, eadem celeritate & secundum eandem directionem, nisi a caussa quadam efficiente externa statum suum mutare cogatur (§. 45. Mon. & §. 57. coll. Cor. §. 12. Ont.).

COR. III. Omne itaque ens non-spontaneum semel motum perseverat in statu suo movendi uniformiter in directum, hoc est, eadem celeritate & secundum eandem directionem, nisi a causa quadam externa efficiente statum suum mutare cogatur (§. 86.). Ergo & Leges motus absolutae, §. 85. seq. explicatae, facili negotio hic applicari possunt, si modo ea mutentur, quae natura entis activi mutari iubet.

§. CV.

Si ens simplex activum non-spontaneum A ab alio quodam ente B ad certam quandam directionem determinatum movetur, actio ipsius B minor esse potest actione, qua ens illud A movetur. Quoniam enim vis entis A in se spectata sufficiens est ad movendum (§. 67. Ont. §. 101. Mon.), ens illud moveri potest, si modo ab alio quodam ente vis ipsius ad certam quandam directionem sit determinata (§. 104. Cor. 1. Mon. coll. §. 12. Cor.). Sed determinatio illa ad certam quandam directionem ratio sufficiens esse nequit actionis, qua ens illud A movetur (§. 96. Ph. pr. & §. 30. Cor. Mon.). Ergo & actio, qua B vim ipsius A ad certam quandam directionem determinat, minor esse potest actione, qua ens illud A movetur (§. 48. Ont.). *Ergo actione moveri potest, qua minor illa, qua movetur.*

§. CVI.

Si ens aliquod simplex A quocunque impetu in aliud quoddam ens simplex activum non-spontaneum incurrit, necesse est, *Ergo quocunque impetu moveri poterit,*

si nullum impedimentum extrinsecum adesset.

ut B saltem ea moveatur actionis quantitate, ad quam in se spectatum sufficiens fuit, nisi alio quodam principio extrinseco impediatur. Ea enim actionis quantitate ens simplex activum saltem movetur, ad quam in se spectatum sufficiens fuit, si ab alio quodam ente ad certam quandam directionem determinatur, & ab alio quodam principio extrinseco non impediatur (§. 104. Cor. 2. & dem. §. 105.). Si vero dictum ens A quocunque impetu in aliud ens B incurrit, illud A hocce B ad certam quandam directionem determinat (§. 30. Cor. coll. §. 88.), ut ergo ens illud B dictis sub determinationibus ea actionis moveatur quantitate, ad quam in se spectatum sufficiens fuit, consequens est.

Fig. 8.

COR. I. Iam ponamus, duo entia simplicia activa non spontanea A & B vi §. 103. cohaerere. Ponamus porro, aliud quoddam ens C quocunque impetu incurrere in ens B ad directionem D. Ergo necesse erit, ut B eam ad directionem moveatur.

COR. II. Ergo inde patet 1) modus solvendi cohaesionem entium simplicium activorum non-spontaneorum 2) Leges motus relativas §. 89. seq. explicatas ad entia simplicia activa non spontanea facili negotio applicari posse, si modo ea mutentur, quae differentia specifica entis simplicis activi non-spontanei mutari iubet. Sed ne ambages fiant molestae, eiusmodi conclusiones meditationibus Lectorum concedam. Facili enim negotio ex hactenus explicatis, si modo ea conferantur, quae §. 67. seqq. Ont. posui, inferri possunt.

TIT. III.

DE

VARIIS MODIS QVIBVS ENTIA SIMPLICIA SPONTANEA QVA TALIA CONNECTI POSSVNT.

§. CVII.

Ratio instituti.

ENtia simplicia spontanea iterum considerari possunt vel quatenus sunt entia, vel quatenus sunt entia simplicia, vel quatenus sunt entia activa (§. 52.), vel quatenus speciatim

tim ſunt ſpontanea. Quatuor itaque ſunt capita, quae exponere debet, eorum nexum explicaturus. Sed de *primo* ſufficienter dixi §. 74. ſeqq. Ont. Quae ad *ſecundum* pertinent, ſufficienter explicata ſunt §. 32. ſq. *Tertium* indicat §. 99. ſeqq. Ergo neceſſe ſolummodo eſt, ut principia, quae *quartum* illud caput, nexum entium ſimplicium activorum explicans, exhibet, ex differentia ſpecifica ſpontanei magis hic determinentur. Haſce ad determinationes iam accedo, easque explicare aggredior.

§. CVIII.

Modus quo ens ſpontaneum ab alio in agendo impediri poſſit.

Nulla alia ratione fieri poteſt, ut ens aliquod impediret, quo minus aliud quoddam ens ſpontaneum exiſtens, qua tale, agere poſſit, quam occaſionis agendi ereptione. Ens enim ſimplex ſpontaneum exiſtens, qua tale, ſe ipſum ad agendum determinabit, ſi modo agendi occaſionem haberet (§. 61. Cor. & §. 73. Cor. 3.). Quicquid vero ſe ipſum ad agendum determinat, ſi modo agendi occaſionem habet, id ab alio quodam ente, quo minus agat, impedire nequit, niſi agendi occaſionis ereptione (§. 96. Cor. 1. & §. 104. Ph. pr.). Nulla ergo alia ratione fieri poterit, ut ens aliquod impediret, quo minus aliud quoddam ens ſpontaneum exiſtens, qua tale, agere poſſit, quam occaſionis agendi ereptione.

§. CIX.

Et quo eorum unum per impedimenti remotionem efficere poſſit, ut alterum agat, indicatur.

Nullum ens efficere poteſt, ut aliud quoddam ens ſpontaneum exiſtens, qua tale, per impedimenti remotionem agat, quam eo modo, quo illud huic agendi occaſionem dare poteſt. Quicquid enim per impedimenti remotionem efficere poteſt, ut aliud quoddam ens agat, illud idem efficere nequit, niſi per eiusmodi impedimenti, quod huic enti poni poteſt, remotionem (§. 70. & §. 1. Ph. pr.). Sed nullum ens impedire poteſt, quo minus aliud quoddam ens ſpontaneum exiſtens, qua tale, agat, niſi agendi occaſionis ereptione (§. 108.). Ergo & eo ſolummodo modo, quo enti ſpontaneo exiſtenti, qua tali, aliud quoddam ens agendi occaſionem dare poteſt,

fieri potest, ut hocce per impedimenti remotionem efficiat, ut illud ad agendum se determinet.

§. CX.

Varii modi, quibus entia spontanea substantialiter connecti possunt, inde deducuntur.

Entia simplicia activa, quorum unum ab altero, qua existens, non dependet, substantialiter connecti nequeunt, nisi ut eorum unum impediat, quo minus alterum agere possit, vel ut eorum unum per impedimenti remotionem efficiat, ut alterum agat (§. 100.). Entia simplicia spontanea sunt entia activa (§. 52.). Ergo & *omnis entium simplicium spontaneorum, dictis sub determinationibus consideratorum, nexus substantialis vel ex eo, quod eorum unum agendi occasionem alteri eripiat, vel ex eo, quod eorum unum alteri det agendi occasionem, deduci debet.*

COR. I. Si ens simplex spontaneum ad actiones transeuntes se determinat, ratio huius determinationis est in perceptionibus, quae enti illi insunt (§. 57. seqq.), substantialiter itaque entia simplicia spontanea connexa sunt, si eorum unum alteri percipiendi occasionem eripit, vel, si eorum unum alteri percipiendi occasionem praebet. vid. §. 73. Cor. Cor.

COR. II. Duplicem vero illum nexum actionibus entis spontanei transeuntibus constitui, immediate docet §. 12. & 21. Ont. Plura itaque facili negotio ex illis hic inferri possunt, quae §. 55. seqq. de actionibus entis spontanei transeuntibus demonstrata sunt.

§. CXI.

Et impossibilitas cohaesionis entium spontaneorum explicatur.

Entia spontanea, qua spontanea, cohaerere nequeunt. Quodlibet enim ens spontaneum sine aliorum principiorum efficientium extrinsecorum concursu ad motum se determinare potest (§. 39. & 55.). Unum ergo eorum ad motum se determinare potest, licet non alterum qua proxime coexistens moveatur (§. 26. Mon. & §. 76. Ont.). Ut itaque entia spontanea, qua spontanea, cohaerere possint, dici nequit (§. 96.).

COR.

COR. Ergo nec entia ſimplicia ſpontanea, qua ſpontanea, cohaerere poſſunt. Omnis itaque cohaeſio ab entibus activis non-ſpontaneis dependere debet (§.98 & §.103.coll. §.20.44.). Quod vero, ſi de vera, non occaſionali cohaeſionis cauſſa, ſermo ſit, notare velis. Sed de his pluribus infra. Explicata enim pro ſcopo hic ſufficiant.

CAP. II.

DE NEXV ENTIVM SIMPLICIVM DIVERSAE SPECIEI, HVIVSQVE NEXVS CONSECTARIIS.

TIT. I.

DE VARIIS MODIS, QVIBVS ENTIA SIMPLICIA PASSIVA ATQVE ACTIVA NON-SPONTANEA CONNECTI POSSVNT, ET PRINCIPIIS QVAE INDE PROXIME FLVVNT, QVORVMQVE EXPLICATIONE AD CORPORVM COGNITIONEM VIA STERNITVR.

§. CXII.

NExum entium eſſe vel entitativum, vel ſubſtantialem, vel entitativo-ſubſtantialem §. 74. ſeqq. Ont. dixi, varioſque illorum characteres ibi explicavi. Videtur itaque neceſſarium eſſe, ut varios entium ſimplicium diverſae ſpeciei nexus explicaturus, tam de eorum nexu entitativo, quam ſubſtantiali atque entitativo-ſubſtantiali ſpeciatim hic dicam. Quoniam vero nexus entitativi idea hic magis determinari nequit (§. 74. Ont.), neceſſe ſolummodo erit, ut in ea inquiramus, quae de eorum nexu ſubſtantiali magis determinari poſſunt. Triplici modo entia ſubſtantialiter connecti poſſe, §. 80. Cor. 2. Ont. demonſtravi. Sed & primum hic mittam, quoniam eiusmodi nexus explicatio maiorem notionis de ente infinito requirit evolutionem, quam infra ſuppeditabo. Sub eadem itaque hypotheſi, quam §. 100. poſui, *Ratio inſtituti.*

posui, reliquas solummodo nexus substantialis species magis hic determinabo.

§. CXIII.

Nexus dictorum entium fundamenta indicantur generatim.

Si ens passivum atque activum non-spontaneum substantialiter connectantur, necesse erit, ut eorum unum in alterum agat (§. 142.). Sed nec ens passivum in activum non-spontaneum, nec ens activum non-spontaneum in ens passivum agere potest, nisi motu, vel ita, ut eorum unum impediat, quo minus alterum agere possit (§. 34. & §. 50. sq.). Quae itaque de substantiali entium simplicium passivorum cum activis non-spontaneis nexu dicenda, illis ex positionibus explicari debent.

COR. Si itaque ens passivum atque activum non-spontaneum substantialiter connexa sunt, *aut* ens passivum motu agit in activum non-spontaneum, *aut* ens activum non-spontaneum motu agit in passivum, *aut* ens passivum conatui entis activi non-spontanei resistit, *aut* ens activum non-spontaneum actioni entis passivi resistit. Inquiramus itaque in eorum possibilitates, atque principia, quae inde proxime fluunt.

§. CXIV.

Speciatim ex eo si eorum unum in alterum motu agit.

Si ens passivum in activum non-spontaneum, vel ens activum non-spontaneum in passivum motu agit, eorum unum in alterum agit aut efficienter aut remotive (§. 85. Ont. conf. Sch. §. 90. l. c.). Si posterius, quae inde proxime fluunt, docet §. 68. seqq. Ont. coll. §. 101. Mon. Si prius, illud in hocce incurrat, necesse est (§. 88. Mon. & 93. Ont.). Atque adeo leges motus, quibus ea, quae ex eiusmodi nexu fluunt, explicanda, eodem modo detegi possunt, ut leges motus, quas §. 89. seqq. explicavi, investigatae sunt: si modo ea mutantur atque magis determinantur, quae idea entis passivi atque activi non-spontanei mutari iubet. Quod facili negotio fieri poterit, si modo ea conferantur, quae §. 26. seqq. de entibus passivis, §. 45. seqq. de entibus activis non-spontaneis, & §. 101. seqq. de nexu entium activorum non-spontaneorum explicata sunt. Ergo

&

& fieri potest, ut earum evolutiones meditationibus Lectorum concedam.

§. CXV.

Et ex eo, si eorum unum actioni alterius resistit.

Ens simplex mere passivum vi entis simplicis activi, & ens simplex activum non-spontaneum actioni entis simplicis mere passivi sufficienter resistere nequit. Ens enim simplex mere passivum vi entis simplicis activi resistere nequit, nisi nuda impenetrabilitate (per dem. membr. 1. §. 89. & §. cit. Cor. 2.). Ergo vi entis simplicis activi resistere nequit, nisi vi sua, quatenus ut nuda potentia spectatur (§. 64. Cor. 2. Ont.). Atque adeo vis, qua ens simplex mere passivum vi entis simplicis activi resistere potest, minor est vi huic enti tribuenda (§. 20. & 63. seqq. Ont.). Sed minor vis maiori sufficienter resistere nequit (§. 49. Ont.). Ergo nec ens mere passivum vi entis simplicis activi sufficienter resistere posse, patet. Q. e. p.

Ponamus, ens simplex activum non-spontaneum A actioni entis simplicis mere passivi B resistere, ergo necesse erit, ut ens illud A motui ipsius B resistat (§. 34. & memb. 1. h. §.), atque adeo ens hocce B in illud A incurrere debet (§. 93. Ont. & §. 88. Mon.). Necesse ergo est, ut ens illud A moveatur (§. 106.). Ergo & vis, qua ens illud A actioni entis B resistit, minor esse debet vi agente ipsius B (§. 50. seqq. Ont.), atque adeo ens illud A actioni entis B sufficienter resistere nequit (§. 49. Ont.). Q. e. a.

SCH. Patet itaque ex demonstratis, plura hic facili negotio ex iis inferri posse, quae §. 104. seqq. de motu entium simplicium activorum non-spontaneorum demonstrata atque explicata sunt.

§. CXVI.

Eorum entium cohaesio explicatur negative.

Si duo solummodo entia simplicia ponuntur, quorum unum est passivum, alterum vero activum non-spontaneum, fieri nequit, ut entia illa cohaereant. Ponamus enim entia illa cohaerere, ergo necesse erit, ut eorum unum in alterum sine motu agat

(§. 97. Cor. 1.), atque adeo eorum unum alteri resistat (§. 113.), vel sufficienter vel insufficienter. Sed prius esse nequit (§. 115.), ut ergo posterius sit, consequens est. Sed nec hisce sub determinationibus cohaerere posse, eodem modo probari potest, ut principium §. 98. positum corroboratum est, si modo conferantur, quae §. 114. dicta. Eiusmodi itaque entia cohaerere, dici nequit.

§. CXVII.

Positive. *Multa entia simplicia passiva mediante ente quodam simplici activo non-spontaneo cohaerere possunt.* Ponamus vim entis simplicis activi non-spontanei determinatam esse ad directionem D, quod per §. 101. & §. 104. Cor. 1. poni potest. Ponamus porro quantitatem huius conatus esse eiusmodi, ut quatuor entibus simplicibus passivis sufficienter resisti possit, quod etiam vi §. 63. sqq. Ont. poni potest. Hisce sub determinationibus collocemus quatuor illa entia simplicia passiva B C E F ea in directione, ad quam conatus entis A determinatur. Ergo necesse erit, ut omnia illa entia maneant in quiete (§. 52. Ont.). Ponamus porro, principio quodam extrinseco ens F moveri ad directionem D non maiori celeritate ea, qua ens illud A dictis sub determinationibus suo conatu ad directionem D moveri potest (quod vi §. 87. Cor. poni potest). Ergo & necesse erit, ut reliqua entia ad eandem directionem D ita moveantur, ut semper maneant cum F proxime coexistentia. Si enim F movetur, ratio, cur ens illud A, cuius conatus ad directionem D determinatus, non agat, non manet sufficiens (per hypoth. coll. §. 91. 93. Ont. & §. 26. Mon.), ergo necesse est, ut ens illud A suo conatu, entia vero B C E determinatione ab A dependente ad directionem D moveantur (§. 104. Cor. 2. §. 90. & 114.). Quoniam vero ens illud F principio dicto extrinseco ea solummodo celeritatis quantitate, qua ens illud A dictis sub determinationibus suo conatu ad directionem D moveri potest, eandem ad directionem movetur (per mod. dicta), fieri non potest, quin entia illa B C E A durante

Fig. 9.

rante illo motu cum F proxime coexistentia maneant (§. 29. Cor. 2. & Cor. 3. Mon. coll. §. 76. Ont.). Consequens itaque est, ut entia illa cohaereant (§. 96.).

COR. I. Entia simplicia mere passiva, si solummodo adsunt, cohaerere nequeunt (§. 98.). Sed entia illa mere passiva BCEF, posito ente simplici activo non-spontaneo, dictis sub determinationibus, cohaerent. Ergo nova quadam ratione patet, entium cohaesionem ab entibus activis non-spontaneis dependere. vid. Cor. §. 111.

COR. II. Quomodo vero possibile sit, ut eiusmodi cohaesio solvatur, eodem modo doceri poterit, quo modus solvendi cohaesionem entium simplicium activorum non-spontaneorum Cor. 1. & 2. §. 106. explicatus, si modo conferantur, quae §. 91. seqq. demonstrata sunt.

COR. III. Et ita simul patebit, 1.) cohaesionem illam, de qua in commate dictum, maiorem esse cohaesione entium simplicium activorum non-spontaneorum (§. 89. Mon. & §. 49. Ont.). 2.) Eiusmodi entium seriem esse extensum, variis entibus inter se cohaerentibus constitutum (§. 138. Ont.), atque adeo extensum, cuius constituentia tam substantialiter quam entitative connexa (§. 127. 142. 138. Ont. coll. §. 96. Cor. & 97. Mon.). Sed de eiusmodi extenso infra pluribus.

TIT. II.
DE
NEXV ENTIVM SIMPLICIVM SPONTANEORVM PASSIVORVM ATQVE ACTIVORVM NON-SPONTANEORVM INTER SE, ET PRINCIPIIS, QVAE INDE PROXIME FLVVNT, QVORVMQVE OPE COMMERCIVM INTER MENTEM ET CORPVS COMMODE INFRA EXPLICARI POTERIT.

§. CXVIII.

Ratio instituti.

FAcile ex §. 112. intelligi potest, nec de nexu positorum entium entitativo, nec de substantiali eorum nexu a dependentia unius ab altero qua existentis constituto, sed de eo

solummodo dictorum entium nexu substantiali, cuius terminus status substantialitatis completae, aut status substantialitatis incompletae propter impedimentum, conf. §. 80. Cor. 2. Ont. dicendum esse. Duplicem vero illum positorum entium nexum substantialem explicaturus, *nexum entis simplicis spontanei cum entibus passivis atque activis non-spontaneis a nexu entium passivorum atque activorum non-spontaneorum cum ente simplici spontaneo distinguere debeo.* Primo itaque de hoc, deinde etiam de illo breviſſimis, pro ratione tamen instituti sufficienter, dicam.

§. CXIX.

Varii modi quibus entia passiva & activa non-spontanea cum spontaneis connecti possunt, generatim indicantur.

Si entia simplicia passiva atque activa non-spontanea cum ente simplici spontaneo dictis sub determinationibus connectantur, duplex solummodo possibilis erit modus, quo eiusmodi nexus cogitari poterit, *aut enim illa huic percipiendi occasionem eripere, aut percipiendi occasionem huic praebere debent* (per dem. §. 110. & h. §. Cor. 1.). Necesse ergo est, ut in illorum possibilitates magis inquiramus.

§. CXX.

Per quae illi possibiles generatim docentur.

Si entia simplicia passiva atque activa non-spontanea spontaneis percipiendi occasionem praebeant, necesse erit, ut illud fiat mediante motu; & si illa hisce percipiendi occasionem eripiant, eiusmodi etiam operationis fundamentum motus esse debet. Si enim entia illa passiva atque activa non-spontanea spontaneis percipiendi occasionem praebeant, necesse erit, ut hocce actionibus illorum transeuntibus fiat (§. 110. Cor. 2.). Sed nec entia simplicia passiva nec activa non-spontanea transitive agere possunt, nisi motu, vel ita, ut alterius cuiusdam entis sint impedimentum (§. 34. & 48. seqq.). Si ergo entia illa hisce percipiendi occasionem praebeant, necesse erit, ut hocce vel mediante motu illorum, vel ita, ut hisce sint impedimento, fiat. Sed posterius esse nequit (§. 104. Ph. pr. §. 52. Pr. Log. & §. 12. Ont.), ut ergo prius sit, consequens est. Q. e. p.

Si en-

Si entia ſimplicia mere paſſiva atque activa non-ſpontanea ſpontaneis percipiendi occaſionem eripiant, illa hiſce erunt impedimento (§. per dem. §. 74. §. 61. Mon. & §. 104. Ph. pr.), ergo & neceſſe erit, ut illa in haecce agant (§. 91. Ont.), atque adeo cum hiſce proxime coexiſtant (§. 93. Ont.). Ergo & eiusmodi nexus fundamentum motum ponere debemus (§. 26.). Q.e.a.

SCH. Neceſſe itaque eſt, ut notemus, aliud eſſe, *mediante motu aliquid fieri, aliud, alicuius fundamentum eſſe motum.*

§. CXXI.

Et magis determinantur.

Motus ille, quo entia ſimplicia paſſiva atque activa non-ſpontanea ſpontaneis percipiendi occaſionem praebent, eius, quod ens illud ſpontaneum dicta occaſione primo percipit, repraeſentatio eſſe debet. In motu enim illo ratio quaedam contineatur, cur ens hocce ſpontaneum hoc & non aliud primo perceperit (§. 61. vide §. 74.). Ergo & ex motu illo id aliquo modo intelligi poteſt, quod ens illud ſpontaneum dictis ſub determinationibus percipere poterit (§. 96. Ph. pr.). Ut ergo motus ille repraeſentatio quaedam eius, quod dictum ens ſpontaneum data occaſione primo percipit, nominari poſſit, conſequens eſt. (vid. dem. §. 57.).

COR. Eiusmodi itaque motus ita comparati eſſe debent, ut eorum ope unum ab aliis poſſit diſtingui, ſeu, ut diverſitatem obiectorum praeſentent; ſed in motu qua motu nil diſtinguere licet, niſi celeritatem atque directionem (§. 30. Cor.). Ergo entium illorum mobilium celeritates atque directiones ita modificatae eſſe debent, ut hiſce modificationibus diverſitates obiectorum praeſentari poſſint. Qua ex ratione etiam a non-nullis *motus clari* atque *diſtincti* nominantur.

SCH. Et ita etiam a priori explicatum eſt fundamentum *idearum*, quae a Philoſophis *materialium* acceperunt nomen.

§. CXXII.

Ex quibus fundamentum ſchematis

Nec unicum ens ſimplex paſſivum, nec unicum ens ſimplex activum non-ſpontaneum ſufficit, ut enti ſimplici ſpontaneo percipien-

perceptionis deducitur.

cipiendi occasio omnimode praebeatur. Si enim percipiendi occasionem enti spontaneo omnimode praebeant, motu, ut hocce fiat, necesse erit (§. 120.), sed dictis sub determinationibus eorum motus ita modificari nequit, ut fieri debet, si spontaneo percipiendi occasionem omnimode praebeant (Cor. §. 121. coll. §. 86. & §. 104. Cor. 2.). Ergo nec fieri potest, ut dictis sub determinationibus percipiendi occasionem spontaneo omnimode praebeant.

COR. Si ergo spontaneis activa & passiva entia percipiendi occasionem praebeant, necesse erit, ut vel plura entia simplicia passiva, vel plura activa, vel plura activa atque passiva ita connectantur, ut motus clarus atque distinctus seu ideae materiales inde ortum trahere possint.

§. CXXIII.

Atque explicatur.

Et ita incidimus in notionem continui, quod *schema repraesentationis* a Philosophis dicitur. Est enim *schema repraesentationis* seu *perceptionis* continuum ab eiusmodi entium non-spontaneorum nexu constitutum, cuius ope connexorum motus ita determinari possint, ut enti spontaneo percipiendi occasionem praebere valeant.

COR. I. Si ergo ens aliquod spontaneum eiusmodi est, ut non-spontanea percipiendi occasionem illi praebere debeant, non necesse solummodo est, ut schema perceptionum constituatur (§. 122. Cor. Mon. §. 175. & §. 86. Ph. pr. 93. Ont.), sed & ut ens illud spontaneum cum schemate dicto perceptionum connectatur (§. 90. Ph. pr.).

COR. II. Ergo & schema dictum perceptionis atque ens illud spontaneum constituunt unum (§. 175. Ph. pr.). Sed quaeritur quale? infra respondebo.

COR. III. Simul hactenus ex explicatis facili negotio inferri potest, schema illud perceptionum ens spontaneum, cum quo connexum, non limitare, ut vulgo dicitur, sed potius perficere (§. 33. Cor. Ont. & 159. Cor. Ph. pr.), atque adeo ex schematis perceptionum perfectione, spontanei, cum quo illud connexum, perfectionem aliquo modo inferri posse. *SCH.*

SCH. Et ita Lectores cognoscent, amplum dicendi campum hic supereſſe, ſi omnia accuratius intueri inſtituiſſem, ſed id hic agere non licet, pro ſcopo enim ſufficere debet, ea explicare, quae reliquorum principia, & quorum ope faciliori quodam negotio ſpecialiora inferri poſſunt. Ea vero ante explicata eſſe, ſufficienter patet. Quaedam tamen ex ratione hic poſita breviſſimis addam.

§. CXXIV.

Ens ſpontaneum cum dicto ſchemate connexum, quale ſit, generatim indicatur.

Duplex entium ſpontaneorum ſpecies cogitari poteſt. Aliud enim eſt ens ſimplex ſpontaneum, cui perceptiones materialiter ſpectatae vi eſſentiae inſunt, aliud, cui non vi eſſentiae inſunt §. 72.). Quicquid enti vi eſſentiae ineſt, id minime rationem, cur illi inſit, extrinſecam habet (§. 40. C. & 103.). Ergo nec ratio adeſt, cur ens ſimplex ſpontaneum, cui perceptiones materialiter ſpectatae vi eſſentiae inſunt, cum ſchemate perceptionum ſit connexum (§. 123. Cor. 1. & §. 74. Cor. 1. Conf. §. 96. & 103. Ph. pr.). *Omne itaque ens ſimplex ſpontaneum cum ſchemate perceptionum connexum eiusmodi eſſe debet, cui perceptiones materialiter ſpectatae vi eſſentiae minime inſunt* (§. 111. & 4. Ph. pr.). Quod vero eiusmodi ens, ſi obiecta quaedam percipiat, cum ſchemate perceptionum connexum eſſe debeat, ex hactenus demonſtratis immediate patet (§. 123. Cor. 1. §. 73. cum Cor. Cor. coll. §. 111.).

§. CXXV.

Speciatim decetur, illud eſſe ens finitum.

Ens ſimplex ſpontaneum, cui perceptiones materialiter ſpectatae vi eſſentiae non inſunt, inter entia finita referri debet. Si enim ens illud agit, aut agit immanenter, aut tranſitive (§. 21. Ont.). Si prius, obiecta quaedam percipit (§. 57.), atque adeo neceſſe eſt, ut ab aliis quibusdam entibus ſuſtentetur (§. 73. cum Cor. Cor. §. 12. Cor. Mon. coll. §. 34. Ont.). Si poſterius, neceſſe eſt, ut iterum obiecta percipiat (§. 59.), ergo & hiſce ſub determinationibus ab aliis quibusdam entibus, ut ſuſtentetur, neceſſe eſt (§. 73. cum Cor. Cor.

Cor. §. 12. Cor. Mon. coll. §. 34. Ont.). Sed ens, quod agere nequit, nisi ab aliis quibusdam entibus sit sustentatum, inter finita referri debet (§. 164. Cor. 4. Ont.). Ergo & positum ens simplex spontaneum summa cum ratione finitum nominari debet.

COR. Ens itaque simplex spontaneum finitum eiusmodi esse potest, ut cum schemate perceptionum connexum esse debeat, si obiecta percipiat atque adeo sponte agat. Et ens simplex spontaneum, quod sponte agere nequit, nisi cum eiusmodi schemate connexum sit, inter entia finita referri debet (§. 124.). In universalitatem categoricam principii primi infra inquiram.

SCH. Hactenus modos, quibus entia simplicia passiva atque activa non-spontanea cum spontaneis connecti possunt, brevissimis, pro scopo tamen sufficienter, explicavi. Ergo & necesse erit, ut modos, quibus spontanea cum entibus passivis atque activis non-spontaneis atque adeo cum schemate illo perceptionum sub determinationibus §. 118. positis connecti possunt, brevissimis exponam.

§. CXXVI.

Varii modi quibus spontaneum ens cum passivo atque activo non spontaneo substantialiter connecti potest, generatim indicantur.

Terminus nexus entium substantialis dictis sub determinationibus esse nequit, nisi status substantialitatis completae, vel status substantialitatis incompletae (§. 80. Cor. 2. Ont.). Sed ens est in statu substantialitatis completae, si agit, & in statu substantialitatis incompletae, si non agit (§. 83. Ont.), & ens simplex passivum qua tale, atque ens simplex activum non-spontaneum qua tale agere nequit, nisi motu (§. 34. 51. Cor. dem. m. 1. §. 89.). Ergo & ens spontaneum cum illis dictis sub determinationibus substantialiter connecti nequit, nisi ita, ut illorum statum motus vel illorum statum quietis determinet.

COR. Schema illud perceptionum, de quo ante dixi, est solummodo nexus entium passivorum atque activorum non-spontaneorum (§. 123. seq.). Si ergo ens simplex spontaneum cum eiusmodi schemate substantialiter sit connexum, aut statum motus aut statum quietis eiusdem schematis determinabit.

§. CXXVII.

§. CXXVII.

Et quae inde inferenda magis determinantur.

Ens ſimplex ſpontaneum dictum ſchematis perceptionum ſtatum determinare non poſſe, niſi actione quadam tranſeunte, patet (§. 12. & 21. Ont.). Si vero ens ſimplex ſpontaneum, qua tale, tranſitive agit, neceſſe eſt, ut effectum actionis ſuae ante perceperit (§. 59.), ut effectum huncce ad ſe retulerit (§. 66.), atque adeo eum ante ſibi bonum perceperit (§. 65.). *Si ergo qua ſpontaneum dictum ſchematis perceptionum ſtatum determinat, effectum huius ſtatus ante percepit, eundem ad ſe retulit, ſibique bonum repraeſentavit.*

COR. Notare inde velis, 1.) alios eſſe motus, qui ex ſitu partium in ſchemate illo deducendi, atque adeo ope legum motus de entibus paſſivis §. 84. ſeqq. de entibus activis non-ſpontaneis §. 102. ſeqq. & de paſſivorum atque activorum non-ſpontaneorum nexu §. 115. ſeqq. explicatarum commode explicari poſſunt: alios vero, qui ab actionibus tranſeuntibus entis ſpontanei qua talis, quod cum ſchemate illo perceptionum connexum, dependent. Quare & hi *motus ſpontanei* ſeu *voluntarii*, illi vero *motus non-ſpontanei* ſeu *neceſſarii* dicuntur. 2.) Motus ſpontaneos in perceptionum ſchemate, cui inſunt, non habere rationem ſufficientem (§. 43. Ont. & §. 103. Ph. pr.), atque adeo ex ſtatu ipſius ſchematis antecedente illi ut conſequentes non poſſe deduci. vid. §. 58. 3.) Ens ſimplex ſpontaneum motum dicti ſchematis, cum quo connexum, ea ex ratione determinare, quo ea acquirere poſſit, quae pro iis, quae ſtatum ſuum perfectiorem reddere poſſunt, habuit (§. 63. Cor. 1.). 4.) Schema perceptionum motu, ad quem ab ente ſpontaneo, cum quo connexum, determinatum, dicto enti ſpontaneo novam percipiendi occaſionem praebere poſſe (§. 120. ſeqq.). Quo ſenſu cum HANSCHIO *in Princip. Phil. Leibnitii* Def. 98. dicere poſſum, *appetitum eſſe conatum ad producendam novam repraeſentationem*, an vero *repraeſentatio illa exiſtentiae ſuae rationem ſufficientem in repraeſentatione praecedenti agnoſcat*, ut acutiſſimus ille Autor affirmavit,

non ea solum, quae hactenus explicavi, sed & infra explicanda docebunt. Etc. &c.

SCH. Et ita permulta a priori constituta sunt principia, ex quibus commercium inter ens simplex spontaneum atque schema perceptionum infra explicari potest. Demonstratum enim est, schema illud perceptionum enti simplici spontaneo, cum quo connexum, motu suo percipiendi occasionem praebere, aut percipiendi occasionem eripere (§. 119.); posita illa occasione ens dictum spontaneum objecta materialiter percipere (§. 73. Cor. 3.); occasione hujus perceptionis ens illud spontaneum sua vi sine externorum concursu alia percipere (§. 74.); percepta ad se referre (§. 66.); quo facto illa vel sibi bonum vel sibi malum percipere, atque adeo illa in priori casu appetere, posteriori vero aversari (§. 67. seqq.); & si prius, motum schematis ad acquirenda illa obiecta determinare (§. 126. Cor. & §. 127. Cor.); quo facto schema illud motu suo enti spontaneo novam percipiendi occasionem praebere posse. Et ita porro. Sed hactenus explicata pro scopo sufficere debent. In horis vero succisivis alio tempore non hasce solum meditationes, sed & alias, quarum fundamenta hoc in systemate solummodo enodare atque pro scopo exponere potui, successive magis perficiam, atque ita uberius fusiusque explicabo.

MONADOLOGIAE PARS SPECIALIS

QVAE

IN NATVRAM ATQVE CONSTITVTIONEM ELEMENTORVM BREVISSIMIS INQVIRIT.

§. CXXVIII.

Varia entia, si unum ens constituant, extensum constituere.

Si varia entia unum ens constituant, necesse erit, ut constituant extensum. Si enim varia entia unum ens constituant, necesse erit, ut illa ita connexa sint, ut constituant unum impenetrabile (§. 21. & 90. Ph. pr. coll. §. 8. Ont.). Ergo varia

varia entia, quae unum ens constituunt, qua unum aliquo modo motui cuiuscunque entis, quod in illud incurrit, resistunt (per dem. memb. 1. §. 89.). Ergo & qua unum motui entis, quod in unum connexorum incurrit, aliquo modo resistunt (§. 4. & 10. Ph. pr.). Motui itaque huius vel mediate vel immediate resistunt. Sed ultimum esse nequit (§. 91. 93. & 76. Ont.), ut ergo prius sit, consequens est, atque adeo motui illius resistunt mediante ente, in quod illud incurrit. Hocce itaque cum ente proxime coexistere debet (§. §. cit. cit.). Atque adeo entia illa, quae unum ens constituunt, extensum aliquod constituere, patet (§. 138. & dem. §. 137. Ont.).

§. CXXIX.

Et cohaerere debent.

Si plura entia unum ens constituant, necesse erit, ut cohaereant. Ponamus, plura entia A & B constituere unum ens, ergo non proxime solum coexistunt, atque adeo extensum constituunt, sed & coniunctim sumta motui entis, quod in alterum eorum incurrit, resistunt (per dem. §. 128.). Ponamus porro, in A ens C non maiori impetu, quam quo A in se spectatum moveri possit, incurrere (quod vi §. 87. Cor. & §. 104. Cor. 1. poni potest). Ergo fieri nequit, ut impetu illo ens A moveatur (§. 49. Ont. & 49. Ph. pr.). Ponamus porro, C incurrere in A non maiori impetu, quam qui sufficit, ut resistentia illa motus removeatur (quod etiam vi §. §. ante positorum poni potest). Ergo necesse erit, ut impetu illo tam A quam B moveatur (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.). Hoc facto, A & B vel qua proxime coexistentia moventur vel non. Sed posterius impetu illo fieri nequit (§. 49. Ont. 49. Ph. pr. coll. dem. §. 128.), ut ergo prius sit, consequens est. Dictis itaque sub determinationibus ens A cum B ita proxime coexistit, ut A moveri nequeat, nisi simul B qua proxime cum eodem coexistens moveatur. Summa ergo cum ratione, entia illa cohaerere, affirmari potest (§. 96.).

COR. I. Patet itaque 1.) plura entia, quae cohaerere nequeunt,

queunt, nec unum ens constituere posse. 2.) Entia simplicia mere passiva non posse unum ens constituere (§. 98.). 3) Unum, quod nexu entis simplicis spontanei cum entibus non spontaneis constituitur, non esse unum ens (per dem. §. 111.). 4.) Unum ens, quod pluribus entibus constituitur, aut entibus activis non-spontaneis, aut entibus passivis atque activis non-spontaneis esse compositum (§. 103. 117. III. Cor.). 5.) Plura entia, quae unum ens constituunt, substantialiter esse connexa (§. 97. Mon. & §. 74. Cor. Ont.). Etc. &c.

COR. II. E nexu itaque plurium entium, ut unum ens constituant, inferri nequit. Aliud igitur est, plura entia constituere unum, aliud plura entia constituere unum ens (§. 175. Ph. pr.). Atque adeo ab illo ad hoc non valet consequentia. vid. Sch. 3. §. 1. Ont.

Vsus principii demonstrati docetur.

SCH. Haecce differentia, licet plerumque neglecta, ante cetera meretur attentionem. Plerumque enim ex eo, si plura entia proxime coexistentia unum aliquod constituunt, infertur, ut unum illud inde constitutum sit unum ens. Sed, ne dicam de consequentia, conclusiones, posita illa hypothesi, legitime inferendae permagnas adferunt difficultates, per quas nunquam eniti possumus. Probationis gratia ita argumentor: Si eiusmodi entium nexus efficiat, ut unum inde oriatur ens, necesse etiam erit, ut unio seu nexus animae atque corporis unum ens constituat. Hocce vero ens aut est ens compositum, aut ens simplex. Sed ultimum nullus forsan concedet, ut ergo prius sit, consequens est. Iam ponamus, omne ens compositum esse machinam, ut plerumque ponitur. Ergo & anima rationalis erit pars essentialis seu constitutiva machinae. Sed quid est, ut plura, quae inter philosophos disputata sunt, & quae huc pertinent, enumerem. Sufficiet postulare, ut ad principia hic demonstrata attendant Lectores, illorum enim ope omnes, de quibus dixi, difficultates facili negotio removeri posse, infra de corporum possibilitate atque libertate animae explicanda sufficienter docebunt.

§. CXXX.

§. CXXX.

Omnis entium nexus est contingens (§. 82. Ont.), ergo & resolubilis (§. 159. & §. 20. Ph. pr.). Ergo & unum illud ens, quod plurium entium cohaesione constituitur, in entia, ex quibus constituitur, resolubile est (§. 129. Cor. 1.). Atque adeo entia simplicia ultimato adesse debent, quorum cohaesione unum illud constitutum (per dem. 1. & 2. §. 9.). Quare, cum prima seu irresolubilia entia, quorum cohaesione alia constitui possunt, *elementa* dicantur, posito ente, quod pluribus entibus constituitur, etiam eiusdem entis elementa poni debent. *Elementa eorumque existentia definiuntur.*

COR. I. Elementa sunt entia simplicia. Omnia itaque, quae de entibus simplicibus, qua talibus, demonstrata, etiam de elementis valent. vid. §. 10. seqq.

COR. II. Elementa eiusmodi entia simplicia esse debent, quorum cohaesione alia entia constitui possunt. Entia itaque, quae cohaerere nequeunt, nec inter elementa referri possunt. Entia itaque simplicia spontanea inter elementa non sunt referenda (§. 129. Cor. 1.).

COR. III. Entia simplicia, quae cohaerere possunt, etiam inter elementa referri possunt. Ergo entia simplicia activa non-spontanea, atque entia simplicia passiva summa cum ratione elementa nominantur. Qua ex ratione etiam omnia, quae §. 26. seqq. de entibus simplicibus mere passivis; §. 44. seqq. de entibus simplicibus activis non-spontaneis; & §. 80. seqq. de nexu entium simplicium mere passivorum; §. 99. seqq. de nexu entium simplicium activorum non-spontaneorum; & §. 112. seqq. de nexu entium simplicium activorum non-spontaneorum cum entibus simplicibus mere passivis, & vice versa, demonstrata atque explicata sunt, ad elementa applicari possunt, quoniam vero haecce applicatio facili negotio fieri poterit, quaedam modo brevissimis addam.

SCH. I. Notionem Elementi, quam dedimus, tam cum notione elementi communi, quam cum notione, a philosophis recepta, *Vsus loquendi probatur.*

recepta, consentire, facile probari potest. Nil enim notius est, quam quod vulgo literae, non vero dictiones neque syllabae elementa orationis nominentur, quoniam literae, non vero dictiones atque syllabae, sunt prima illa atque irresolubilia principia, quorum compositione orationes constituuntur. Atque adeo ex usu loquendi communi rei cuiusdam elementa sunt prima atque irresolubilia illa principia, quibus res illa componitur. Qua ex ratione etiam Philosophi cum ARISTOTELE L. 5. Met. cap. 3. *Elementa esse prima & simplicia & irresolubilia in alia, & quae in ipsa re*, cuius nimirum sunt elementa, *insint*, affirmaverunt. vid. Ill. WOLFII Cosmol. §. 181. Elementis stricte atque proprie sic dictis corpora constituuntur. Corpus est unum ens, quod in alia entia resolvi potest. Ergo elementa stricte atque proprie sumta, de quibus hic dicitur, ex usu loquendi recepto nominari debent prima atque irresolubilia entia, quorum compositione alia entia constitui possunt. vide CAROLI RENALDINII *Philosophiam Naturalem* Tom. III. Part. I. & GASSENDVM, Tom. I. p. 230. Sed plura entia unum ens constituere nequeunt, nisi cohaereant (§. 119.). Elementa itaque stricte atque proprie sumta eiusmodi sunt entia, quae in commate definivi. Et ita sufficienter intelligi potest, cur Elementorum complexus a Graecis ὕλη *sylva* vocatus sit, uti enim sylva est respectu lignariae artis prima materia, ex qua omnia lignea opera conficiuntur; ita ex elementis omnia Naturae opera depromuntur atque fiunt. vide, quae §. 41. & 51. sunt demonstrata.

Aequivocatio termini explicatur.

SCH. II. Elementa sunt entia simplicia seu irresolubilia. Irresolubilia sunt vel absolute vel secundum quid talia (§. 1. Cor. 3.). Inde etiam factum est, ut Philosophi, elementa in prima & secunda, seu remotiora & propiora dividenda esse, affirmaverint. vide GASSENDVM. l. c. Quoniam vero secundum quid solummodo irresolubilia adhuc resolubilia sunt, facile patebit, elementa secunda improprie elementa nominari, atque adeo sola elementa prima proprie esse elementa. vide pluribus GOCLENIVM *in Lex. phil.* & CHAVVINVM *in Lex. phil. hoc* Titulo.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

Genera elementorum possibilia docentur.

Duo solummodo elementorum genera possibilia sunt. Elementa enim sunt entia simplicia (§. 130. Cor.). Ergo sunt vel entia simplicia passiva vel activa (§. 20. seqq.). Et si inter activa referri possunt, aut sunt spontanea aut non-spontanea (§. 44.). Sed spontanea esse nequeunt (§. 130. Cor.). Ergo solummodo inter passiva atque activa non-spontanea referri possunt. Sed entia simplicia passiva possibilia esse, demonstravi §. 21., & possibilitatem entium simplicium activorum non-spontaneorum docui §. 49. Duo ergo solummodo elementorum genera possibilia esse, patet.

COR. Alterum itaque elementorum genus entia simplicia passiva, alterum vero entia simplicia activa non-spontanea continet. Quare, cum entia simplicia passiva atque activa sint entia saltem diversae speciei (§. 23.), omnia elementa esse entia eiusdem speciei, affirmari nequit. Velim, ut hic evolvas, quae Cor. §. 130. indicata, ut & ea, quae NICOLAVS HARTSOECKER *in principiis Physicae* Cap. I. de duobus rerum naturalium elementis fluido nimirum atque duro exposuit atque affirmavit.

Controversiae de elementorum numero explicantur.

SCH. I. Maxima est Philosophorum discordia in assignandis elementorum generibus, quoniam alii in ordine ad sensus, alii vero ope notionum atque rationis ea determinare voluerunt. Prioris generis Philosophorum *quidam* genera elementorum cum ARISTOTELE in ordine ad tactum describentes, quatuor elementorum genera inde ponunt. Quoad tactum enim res naturales in siccas, frigidas, humidas atque calidas dividi possunt. In siccis nihil frequentius quam terra, in frigidis nihil communius quam aqua, in humidis nihil notius quam aër, & in calidis nihil notabilius quam ignis mediante tactu observare licet. Hac itaque ex ratione *terram*, *aquam*, *aerem* atque *ignem* quatuor elementorum genera esse affirmaverunt. *Alii* huius generis Philosophi in ordine ad alium quendam sensum ad gustum nimirum, vel odoratum, vel visum, vel auditum genera elementorum eodem modo definiverunt. Non sine commodo hic legi possunt, quae FRANCISCVS BAYLE in *Institutionibus*

nibus Physicae Part. Spec. Lib. I. Sect. I. de Elementis explicavit. Sed ejusmodi fundamentorum ope genera elementorum accurate non posse determinari, ita evinco. Elementa sunt entia, genera itaque elementorum determinaturus diversa entium genera indicare debet. Sed quibus ex fundamentis solummodo diversae rerum operationes atque diversi respectus poni possunt, eorum ope diversa entium genera determinari nequeunt. Ergo nec eorum ope genera elementorum possunt constitui. Sed sensus, qua tales, docent solummodo diversas rerum operationes atque diversos earum respectus. Eorum itaque ope, quae solummodo sensus de entibus docent, genera elementorum constituere, inconveniens est.

Quae continuatur.

SCH. II. Genera itaque elementorum, quae possibilia, rationis ope constitui debent. Sed non ab omnibus, qui hocce medio uti voluerunt, generum dictorum determinatio ex sententia confecta est. Fuerunt enim Philosophi, qui quatuor illa rerum genera vera quidem elementa continere, sed vi principii: *ex quo omnia oriuntur, & in quod omnia intereunt*, non omnia, sed quaedam solummodo inter elementa referenda esse, affirmaverunt. Et ita *alii* ex principio illo tria, *alii* duo, alii unicum elementorum genus constituerunt. De quibus pluribus vide GASSENDVM Tom. I. p. 234. seq.

Et Cartesii sententia de tribus elementis deinde explicatur.

SCH. III. Verum quidem nominare debeo principium illud, cuius ope Doctores illi genera elementorum constituere voluerunt, sed ratio, cur illud principium ad quatuor dicta elementa adplicaverint, minime sufficiens erit (Sch. 1.). Qua ex ratione etiam CARTESIVS illa reiecit, atque ita argumentatus est: secundum corporum, quae in mundo reperiuntur, diversitatem, ponenda est Elementorum distinctio. Verum, cum triplicis duntaxat generis corpora assignari queant, totidem & non plura Elementa sunt in mundo constituenda. Nam corpora aut *lucida* sunt sive lucem emittunt, & haec *Elementis* componuntur, quae sunt *prima*, & quae ita comparata sunt, ut ad contiguorum corporum figuras sese facile accommodare possint; aut corpora sunt *pellucida* seu lumen a corporibus ex primis

primis elementis compositis receptum, transmittunt, & haec elementis constituuntur, quae sunt *secunda elementa*, & quae globosam figuram induunt; aut tandem corpora sunt *opaca* sive in se vibratos radios reflectunt, atque adeo crassis & angulatis partibus constant, quae sunt *elementa tertia*. De tribus hisce Elementis CARTESII vide pluribus ANTONIVM LE GRAND *in Instit. Philos. Cartesianae* Edit. sec. p. 216. seqq. Et de primo ac secundo speciatim non sine commodo legi possunt, quae NICOLAVS HARTSOECKER in principio *Tentaminis Dioptrices* de iisdem explicavit. Sed meo iudicio nec CARTESIVS, ut voluerunt permulti Philosophi, solius rationis ope, sed potius in ordine ad visum, mediante ratione, genera elementorum constituit. Non itaque sine ratione GVILIELMVS MVYS in diss. *de caussa soliditatis corporum*, (quae diss. Elementis ipsius Physices accedit) tertium Cartesii elementum reiecit. Et ita evolutis illis rationibus iterum in sententiam ante a me affirmatam incido, quod nimirum duo solummodo elementorum genera possibilia sint, quorum *alterum* entia simplicia passiva, *alterum* vero entia simplicia activa non-spontanea complectitur.

§. CXXXII.

Non omnia entia simplicia elementa nominari possunt. Entia enim simplicia spontanea etiam possibilia sunt (§. 78.). Sed entia simplicia spontanea inter rerum elementa referri nequeunt (§. 130. Cor. 2.). Fieri ergo nequit, ut, omnia entia simplicia inter elementa referenda esse, affirmetur. *Ergo non omnia entia simplicia elementa dici possunt.*

COR. Quae itaque de elementis demonstrantur, non statim de omnibus entibus simplicibus affirmari possunt, licet, quae de ente simplici, qua tali, demonstrata, etiam de elementis valere debeant.

SCH. ARISTOTELES quatuor elementorum genera, ex quibus omnes res compositas esse, docens vid. Sch. 1. §. 131. verum an falsum dixerit, nescit, cum ex illo determinatio naturae atque constitutionis animarum atque spirituum quaereretur, donec tandem *L. II. de generat. animal. Cap. III.* consilium *Quo de principio Aristotelis sententia explicatur.*

cepit, affirmare, quintam quandam materiam adesse, quae coelestis nominari debet, quae omnia superat elementa & divinae magis naturae cognata est, quam ulla res alia. Quam materiam non nulli quintum ARISTOTELIS elementum nominaverunt, licet potius quintum entium genus ex Philosophi sententia nominari debeat. Sed dicta haec Philosophi magna laborant obscuritate, hanc si removemus, quod optime fieri potest, si in fundamentum distinctionis accurate inquirimus, necesse erit, ut in eam incidamus sententiam, quam in commate affirmavi. Velim tamen, ut hic legas, quae magnus nostrae aetatis Theologus SVMME REVERENDVS MOSHEMIVS *in notis ad* CVDWORTHI *systema intellectuale Cap. V. Sect. V.* §. *V. p. 1172. n. 6.* solidissime observavit.

§. CXXXIII.

Elementa inter entia finita referenda.

Elementa inter entia finita referri debent. Elementa enim sunt entia non spontanea (§. 130. & §. cit. C. 2.), ergo sunt entia non-infinita (§. 77.). Sed entia non-infinita sunt finita (§. 158. Ont.). Ergo & elementa inter entia finita referri debent.

COR. Quae itaque de entibus finitis in superioribus demonstrata sunt, omnia etiam de elementis valere debent. Ergo salvis essentiis suis etiam non-existentia esse possunt (§ 167. Ont.). sunt itaque entia contingentia (§. cit. Cor. 1.). Si ergo existunt, necesse est, ut etiam ens infinitum, a quo illa ut existentia dependent, existat (§. 168. Ont.). Et ita porro. Eiusmodi enim conclusiones, ut & reliqua de elementis dicenda ab illis, qui hactenus explicata intelligunt, facillimo negotio inferri possunt, atque adeo pro scopo de elementis sufficienter hic dictum est. Adfero itaque

MONADOLOGIAE FINEM.

ELE-

ELEMENTA
SOMATOLOGIAE
QVIBVS
NATVRA ATQVE CONSTITVTIO
CORPORVM QVA TALIVM EORVMQVE
AFFECTIONES ATQVE POSSIBILITATES
EXPLICANTVR
ATQVE EX PRINCIPIIS ANTE EXPLICATIS
DEDVCVNTVR.

SOMATOLOGIAE

SECTIO I.

DE

CORPORVM IN SE SPECTATORVM NATVRA ATQVE DETERMINATIONIBVS.

CAP. I.

DE

CORPORVM QVA TALIVM ESSENTIA ATQVE POSSIBILITATE.

§. I.

Ens compositum atque corpus quid.

VNum, quod in varia resolvi potest, sensu generaliori vocatur compositum (§. 16. Phil. pr.). Et si unum illud est unum ens, quod in varia entia resolvi potest, tunc ens illud dicitur *ens compositum* Sed plura entia unum ens constituere nequeunt, nisi cohaereant (§. 129. Mon.). *Ens* itaque *compositum* est ens, cohaesione plurium entium constitutum. Eiusmodi etiam entia vocantur *corpora*.

COR. I. Ens compositum seu corpus est ens. Quæ itaque in Ontologia de ente demonstrata sunt, etiam de ente composito valere debent, atque adeo est impenetrabile (§. 8. Ont.), vim habere debet (§. 19. Ont.). Etc. &c.

COR. II. Ens compositum seu corpus ex pluribus entibus constat. Ergo in plura entia est divisibile (§. 20. Ph. pr.). Omnia entia essentialiter a se invicem distincta sunt (§. 3. Cor. Ont.). Ergo ens compositum in plura essentialiter a se invicem distincta divisibile est. Permulta itaque & hic inferri possunt consectaria ex iis, quae §. 20. seqq. Ph. pr. de divisione, & §. 137. seqq. Ph. pr. de distinctione essentiali demonstrata sunt.

COR. III. Ens compositum seu corpus plurium entium cohaesione

conſtituitur. Ergo ens compoſitum eſt unum, quod plurium entium nexu conſtituitur (§. 129. Cor. 1. Mon.). Atque adeo eſt ens contingens (§. 82. Cor. Ont. & §. 153. Ph. pr.), conſequenter inter entia ſecundi ordinis atque finita referri debet (§. 153. Cor. 1. Ph. pr. & §. 165. Cor.). Ergo & permulta conſectaria hic deduci poſſunt ex illis, quae de entibus ſecundi ordinis, entibus contingentibus atque finitis in ſuperioribus explicavi atque demonſtravi.

COR. IV. Entia, quorum nexu ens compoſitum ſeu corpus conſtituitur, cohaerere debent. Patet itaque 1.) Ex eo, quod unum plurium entium nexu conſtituatur, non inferri poſſe, quod unum illud ſit ens compoſitum ſeu corpus (§. 129. Cor. 2. Mon.). 2.) Corpora eſſe aggregata entium ſimplicium (per dem. 2. §. 19. Mon.), quae ſunt elementa (§. 130. Mon.). Atque adeo entia ſimplicia, quorum compoſitione corpora conſtituuntur, ſolummodo inter entia ſimplicia paſſiva atque activa non-ſpontanea referri poſſe (§. 131. Cor. Mon.). Ergo & plura hic ex illis inferri poſſunt, quae de elementis atque entibus ſimplicibus paſſivis & activis non-ſpontaneis in Monadologia dicta ſunt.

Vſus loquendi probatur quoad ens compoſitum.

SCH. I. Et ita ope conſectariorum, quae immediate ex definitione, de ente compoſito data, deduxi, ens compoſitum tam uſui loquendi communi, quam a Philoſophis recepto convenienter definitum eſſe, facili negotio probari poteſt. Tam enim ex illo, quam ex hoc ſufficienter patet, 1) *non omnem compoſitionem ens compoſitum efficere*, atque adeo aliud eſſe *compoſitum eſſe*, aliud *ens compoſitum eſſe*. Nam omnium fere conſenſu cogitationes meas ita flecto: compoſitum a compoſitione dicitur, quot itaque modis hic terminus accipitur, tot etiam modis compoſitum ſumi poteſt. Sumitur vero terminus compoſitionis iis modis, quibus unum ab altero diſtinguendum eſſe, dici poteſt, vide §. 130. ſeqq. Ph. pr. Ergo & tot modis compoſitum ſumi poteſt. Atque adeo compoſitum dividi poteſt in *effectivum* & *formale*; & hoc in compoſitum *rationis* & *reale*; illud in *compoſitum rationis ratiocinatae*, & *rationis ratiocinantis*; & compoſitum reale in *phyſicum*, *metaphyſicum* &

& *reale*, & ita porro, vide pluribus PASCHAE *Ontologiam thetico-axiomaticam Cap. XI. Praecept. III.* Et ita sufficienter patet, ex usu loquendi non omnem compositionem dare ens compositum. Patet 2) *illud compositum, in quo varia essentialiter distinguenda, esse, quod ens compositum constituit.* Quod ex canone: *distinctio non arguit compositionem*, & ex ratione, *cur anima non possit ens compositum nominari*, deduci potest. Ergo ens compositum est unum, quod nexu plurium entium constituitur. Patet 3) *Non omne unum, quod nexu plurium entium constituitur, esse ens compositum.* vid. Sch. ad §. 129. Mon. Et ita datae definitionis usus loquendi sufficienter probatus est.

Et quod corpus idem significet ac ens compositum, docetur.

SCH. II. Iam movetur altera quaestio, an nimirum ex usu loquendi tam vulgari quam a Philosophis recepto ens compositum pro data definitione idem sit ac corpus. Illud sine probatione patebit, de hoc itaque ut speciatim dicam, solummodo necesse erit. Notionem de corporibus a Philosophis tam veteribus quam recentioribus in controversiam vocatam esse, historia Philosophiae sufficienter docet, iis vero, qui eorum sententias, quas infra sufficienter determinabo, evolvunt, sufficienter patebit, omnes huic sententiae congruere, quod corpus proprie sic dictum sit ens triplicis dimensionis. Sed ens triplicis dimensionis certissime est ens compositum. Ergo ex Philosophorum sententia omne corpus est ens compositum. Quod vero ex eorum sententia etiam omne ens compositum sit corpus, affectiones, quas corporibus tribuunt, & quas deinde evolvam, concedent.

§. II.

Extensio corporis probatur.

Omne corpus est ens extensum. Corpus enim cohaesione plurium entium constituitur (§. 1.). Ergo est unum (§. 129. C. 1. Mon. & §. 175. Ph. pr.), continuum (§. 97. Mon. 93. Ont. & 86. Ph. pr.), permanens (§. 85. Ph. pr.), in quo unum est extra alterum (§. 8. Ont.). Consequenter inter extensa referri debet (§. 138. Ont.). Et quoniam omne corpus est

ens

ens (§. 1.), ut corpus ens extensum nominari possit, consequens est.

COR. Ergo & principia, quae §. 138. sqq. Ont. de extenso demonstrata sunt, etiam ad doctrinam de corporibus applicari possunt. Omne itaque corpus occupat spatium (§. 138. Cor. 2. Ont.). Corpus esse potest longum, latum & profundum (§. 139. Ont.). Omne corpus circumscriptive est in loco (§. 141. Ont.). Etc. &c.

§. III.

Sed illam non dare corporis ideam evincitur.

Nuda extensionis idea non dat ideam corporis. Posita enim proxima entium coexistentia, poni debet extensum (per dem. §. 137. & 138. Ont.). Sed ex proxima entium coexistentia eorum cohaesio inferri nequit (§. 98. Mon.). Ergo nec, ideam extensionis ideam corporis dare, affirmare licet (§. 1.).

COR. Principia itaque non permittunt, ut, essentiam corporis in extensione consistere, affirmemus.

Contra Cartesianos.

SCH. Contra CARTESIANOS itaque disputavi, qui essentiam corporis in sola extensione consistere hac ex ratione volunt, quoniam, ut putant, omnes corporum qualitates, quae sensus afficiunt, a corpore possunt tolli, integra manente corporis natura; sublata vero extensione, statim ens corporeum tolletur. Vide hac de corporis explicatione pluribus RVARDVM ANDALAM *in Exercit. Acad. in Philosophiam primam & naturalem* P. II. ANTONIVM LE GRAND *in Institutionibus Philosophiae* P. IV. Cap. III. IACOBVM ROHAVLTVM *in Tract. phys.* P. I. Cap. VII. &c. &c. interpretes CARTESII meritissimos. Sed, si etiam principium, ex quo CARTESIANI argumentati sunt, concederem, nihil tamen inde legitime deduci poterit, quam quod omne corpus sit extensum. Sed ut ex illo, quod omne extensum sit corpus, inferamus, principia Logices non permittent. Qua ex ratione etiam non-nulli Cartesianorum Praeceptoris mentem aliquo modo limitaverunt, essentiam corporis cum SCHWELINGIO in Tract. sub. Tit. *Mens immortalis contra Atheos Scepticosque demonstrata* non

in

in nuda extensione, sed in extensione per se subsistente ponentes. Et ita incidimus in STOICORVM sententiam. *Corpus* enim illi *non rem* solum *extensam, sed & resistendi virtute praeditam, nec penetrabilem* nominaverunt. Incommoda ex principiis cartesianis haurienda infra explicanda docebunt.

§. IV.

Structura corporis quid, eiusque necessitas.

Constituentia corporum eiusmodi sunt, ut eorum unum extra alterum existat (§. 1. Som. §. 8. Ont.). Ergo & quodlibet eorum determinato quodam modo ceteris coexistere debet (§. 127. Ont.). Determinati illi modi ceteris partibus coexistendi dant *modum compositionis*, quem etiam *structuram* vocant. Patet itaque 1) *structuram* non esse, nisi determinatum nexum entitativum entium, quae corpus constituunt (§. 130. Ont.). 2.) nullum corpus sine structura existere posse.

COR. I. Ergo & plura hic ex illis inferri possunt, quae §. 129. seqq. Ont. de loco relativo, & §. 74. seqq. Ont. de nexu entitativo explicata sunt.

COR. II. Hocce modo velim, ut hic notes, consectarium, quod diversitas structurae a diversitate in modo, quo entia corpus constituentia coexistunt, dependeat.

§. V.

Atque magnitudo corporis probatur.

Omne corpus habet magnitudinem. Omne enim corpus est unum, quod nexu plurium entium constituitur (§. 1. Cor. 3.). Ergo omne corpus est unum, quod multitudine entium constituitur (§. 35. Ph. pr.). Atque adeo de illo dici debet, quod habeat magnitudinem (§. cit.).

COR. Magnitudo corporis entium multitudine constituitur. Sed non omne possibile est ens (§. 1. Cor. Ont.). Ergo nec omnis magnitudo inter magnitudines corporum referri potest (§. 35 Ph. pr.). Summa ergo cum ratione Philosophi *magnitudinem* in *extensivam* & *intensivam* dividunt, magnitudinem corporis extensivam non intensivam esse affirmantes. vid. §. 2. Som. & §. 14. C. 3. Mon. Quantitatem extensivam etiam *quantitatem molis*,

lis, & intensivam *quantitatem perfectionis*, *gradualem* & *virtualem* nominant.

§. VI.

Quae in corpore absolute spectato distinguenda vel entia vel structuram, vel magnitudinem, vel cohaesionem spectant.

Omnia, quae in corpore in se seu absolute spectato distinguenda, vel entia, quibus corpus illud constituitur, vel structuram, vel magnitudnem, vel cohaesionem spectant. Omnia enim, quae in corpore in se seu absolute spectato distinguenda, ea spectare debent, quae definitionem ipsius ingrediuntur. Sed vi definitionis corpus non ingrediuntur, nisi plura entia, eorum cohaesio atque nexus (§. 1.). Quae ergo in corpore absolute spectato distinguenda, determinationes illas solummodo spectare debent. Si ad primam determinationem referenda, sufficienter patebit, illa vel entia, vel eorum multitudinem atque adeo magnitudinem corporis (§. 35. Ph. pr.) spectare. Si ad ultimam determinationem referenda, etiam sufficienter patebit, illa vel nexum entium entitativum, vel eorum nexum substantialem spectare (§. 74.). Sed ultimus entium nexus ut a cohaesione hic dependeat, necesse est (§. 142. Ont. §. 1. Som. vid. §. 97. Mon.). Quare, cum de eorum cohaesione iam antea dictum sit, primus eorum nexus hic solummodo spectari potest. Nexus ille entitativus dat corporis structuram (§. 4.). Ergo patet, omnia, quae in corpore absolute spectato distinguenda, vel entia, quibus corpus illud constituitur, vel structuram corporis, vel magnitudinem corporis, vel cohaesionem entium corpus constituentium spectare.

COR. I. Si corpora absolute spectata sint diversa, in iis diversa esse debent, quae in corporibus absolute spectatis distingui possunt. *Corpora itaque absolute spectata diversa esse nequeunt, nisi diversitas haec aut in diversitate entium, quibus componuntur, aut in diversitate structurae, aut in diversitate magnitudinis, aut in diversitate cohaesionis entium illa constituentium ponenda.*

COR. II. Actiones eiusdem speciei absolute spectatae distingui nequeunt, nisi quantitate (§. 172. cum Cor. Ont. 42. Cor.

42. Cor. 23. & 43. Ph. pr.). Ergo nec cohaesiones absolute spectatae distingui possunt, nisi quantitate (§. 96. seq. Mon.). Sed cohaesiones entium, quatenus corpus constituunt, absolute spectantur (§. 1. Som. & §. 27. Ph. pr.). Ergo diversitas corporum, ex cohaesionis diversitate concipienda, a diversa cohaesionis quantitate dependet Atque adeo propositio Cor. 1. demonstrata hoc modo enuntiari potest: *Si corpora absolute spectata sint diversa, diversitas haec vel in entium, quibus componuntur, diversitate, vel in diversitate structurae, vel in diversitate magnitudinis, vel in diversa cohaesionis quantitate poni debet.*

§. VII.

Essentiam corporis determinaturus, ut determinatam ipsius magnitudinem spectet, non necesse est. Quicquid enim non inter entis qualitates referendum, illud non spectare debet essentiam illius entis determinaturus (§. 43. Ph. pr.). Sed determinata corporis magnitudo inter qualitates ipsius referri nequit (§. 42. Ph. pr.). Non itaque necesse est, ut essentiam corporis determinaturus determinatam ipsius magnitudinem spectet. *Essentiam corporis determinaturus, non debet determinatam ipsius magnitudinem spectare.*

COR. I. Determinata itaque corporis magnitudo nec ad corporis essentiam, nec ad ea, quae vi essentiae corpori competunt, pertinet (§. 4. & 96. Cor. 1. Ph. pr.). Atque adeo corpora salva essentiarum indentitate ratione quantitatis diversa esse possunt (§. 151. & 159. Ph. pr.).

COR. II. Si corpora absolute spectata sint diversa, necesse erit, ut ratione eorum, quae ad essentias illorum pertinent, sint diversa (§. 43. Pr. Log.). Diversitas itaque corporum absolute spectatorum non potest deduci ex iis, quae nec ad essentias illorum, nec ad ea, quae vi essentiarum illis insunt, pertinent. *Ergo corpora absolute spectata diversa esse nequeunt, nisi ratione structurae, aut ratione entium, quibus corpora illa componuntur, aut ratione quantitatis in cohaesione dictorum entium observandae* (Cor. 2. §. 6.).

§. VIII.

Essentialia corporis determinantur.

Inter essentialia corporis referri nequeunt, nisi ipsius structura, entia quibus componuntur, atque determinata illorum cohaesio. Possunt vero illa corporis essentialia nominari. Quae enim in corpore absolute spectato distingui nequeunt, nec inter essentialia ipsius referri possunt (§. 28. Pr. Log.). Ergo inter essentialia corporis referri nequeunt, nisi ipsius structura, entia quae illud constituunt, determinataque illorum cohaesio (§. 6. & §. 7. Cor. 1.). Q. e. p.

Quod vero illa, quae posui, essentialia corporis nominari possint, ita evinco. Posito corpore, poni etiam debent entia, quae corpus illud constituunt, determinata cohaesionis quantitas, qua corpus illud constituunt, atque determinata structura (per dem. §. 6.). Sed nec eorum unum alterum determinat, nec in alio quodam, quod corpus ingreditur, rationem habent. (*Primum* ita evinco: Ex eo, quod plura entia ponantur, nec inferri potest, ut entia illa cohaereant (§. 74. seqq. Ont. & §. 97. Mon. vid. §. 98. 116. Mon.), nec ut hoc & non alio modo coexistant (§. 76. seqq. Ont.). Et ex eo, quod plura entia determinata quadam quantitate cohaereant, inferri quidem potest, ut plura entia adsint, & ut certo quodam modo coexistant (§. 4.), non vero ut haec & non alia entia hoc & non alio modo coexistant (§. 76. sqq. Ont. §. 96. Mon.). Modus ille coexistendi dat structurae ideam (§. 4.), eorum itaque, quae posui, unum alterum non determinat. *Alterum* definitio de corpore §. 1. data immediate docebit.). Quae itaque posui, eiusmodi sunt, quae primo loco in corpore ponenda (§. 4. Ph. pr.). Atque adeo essentialia corporis nominari debent (§. 17. Ph. pr.). Q. e. a.

§. IX.

Eiusque essentia inde determinatur.

Omnium essentialium compositio dat rei, cuius sunt essentialia, essentiam (§. 17. Cor. 2. Ph. pr.). Essentia itaque corporis consistit *in nexu entitativo datorum entium determi-*

terminata quantitate cohaerentium, seu *in structura determinata datorum entium cohaesione constituta.* (§. 8.).

COR. I. Tria itaque spectare debet obvii corporis essentiam determinaturus, *primo* scilicet entia, quae illud constituunt, *deinde* structuram, & *tandem* illorum entium cohaesionem eiusque quantitatem. Quo ex principio divisio corporum in *mathematica* & *physica* intelligi potest.

COR. II. Ex eo itaque, quod duo corpora eandem habeant structuram, & quod iisdem ex entibus sint composita, ut corpora illa eandem etiam essentiam habeant, inferri nequit (§. 31. Cor. Pr. Log.). Optime itaque Ill. HAMBERGERVS in *Elem. Phys. §. 4.* monuit: *quae de corpore dici possunt, non ex natura compositionis solum, sed & ex vi entium, quibus componitur, derivanda esse.*

COR. III. Et ita simul patet, ex eo, quod duo corpora diversam essentiam habeant, non posse inferri, ut corpora illa diversis entibus sint composita. vid. §. 77. seqq. Ont. & §. 159. Ph. pr.

§. X.

Ortus atque interitus corporis explicatur.

Corpora ex aliquo oriri, & sine annihilatione interire possunt. Obvium enim corpus est hoc & non aliud corpus, quia determinata datorum entium cohaesione haec & non alia structura constituitur (§. 9.). Si ergo fieri possit, ut data entia existant, licet non determinato modo cohaereant, & obviam structuram constituant, fieri etiam poterit, ut obvium corpus ex aliquo oriatur atque sine annihilatione intereat (§. 5. Mon.). Sed tam illud quam hoc fieri potest. (Illud enim datorum entium nexum substantialem determiant (§. 97. Mon. & §. 64. Cor. 1. Ont.), hoc vero illorum nexum entitativum involvit (§. 4.). Ergo tam sine hoc quam illo nexu data illa entia existere possunt (§. 77. seqq. Ont.)). Ergo & fieri poterit, ut corpora ex aliquo oriantur, atque sine annihilatione intereant.

COR. I. Simul inde patet 1.) corpora tam successive oriri,

quam successive interire posse (§. 6. cum Cor. Cor. Mon.). 2.) Nexus cuiusdam entium ortum aut interitum ex eo, quod corpus oriatur, aut intereat, solummodo inferri posse.

COR. II. Quare, cum eiusmodi entium nexus inter accidentia solummodo referri possit (§. 1. Ont. & §. 90. Ph. pr.), recte a Philosophis dicitur, ex eo, quod corpus aliquod oriatur aut intereat, non inferri posse, nisi ut accidens aliquod oriatur aut pereat. Et ita sufficienter intelligitur, quo sensu dici possit, *essentiam corporis non constare nisi meris accidentibus, atque adeo corpus non esse substantiam, nisi quatenus est substantiarum aggregatum.* Qua ex ratione etiam LEIBNITIVS corpus *substantiatum*, id est, aggregatum ex substantiis nominavit.

§. XI.

Atque corporum possibilitas demonstratur.

Corpora sunt possibilia. Entia enim, quae cohaerere possunt, possibilia sunt (§. 103. 117. 21. & 49. Mon.). Possibile etiam est, ut cohaereant (per dem. §. 103. 117. Mon.). Ergo & possibilis est structura determinata datorum entium cohaesione constituta (§. 127. seqq. Ont. & §. 4. Som.). Ideoque essentia corporis possibilis est (§. 9.). Quare, cum posita essentia etiam id poni debeat, cuius est essentia (§. 15. & 6. Ph. pr.), corpora possibilia esse, summa cum ratione affirmatur.

Quo principio quaedam Idealismi species refutatur.

SCH. I. Habes hic forsan *Idealismum* a priori confutatum. Idealistae enim negant existentiam corporum, atque adeo corpora vel impossibilia nominant, vel eorum possibilitatem concedunt. Prioris generis idealistas hactenus sufficienter, credo, refutavi. Possibilitatem enim corporis negaturus aut possibilitatem entium, quae corpus constituere possunt, aut possibilitatem cohaesionis, aut possibilitatem structurae negare debet (§. 9.). Horum vero possibilitatem sufficienter hactenus demonstratam esse, demonstratio, qua principium in commate positum corroboravi, docet. Eiusmodi itaque idealismum, ope principiorum hactenus confirmatorum inter falsa referre possum. Quod secundi generis Idealismum attinet, per-

permulti, eum optime ope sensus confutandum esse, affirmant, cum LVCRETIO exclamantes: *Corpus enim per se communis deliquat esse sensus, quo nisi prima fides fundata.* Mea vero sententia sensus quidem hic admittere debemus, minime tamen sufficient. Ergo & huncce idealismum infra argumentis refellam. Velim interim, ut hic evolvas, quae §. 122. seqq. Mon. explicavi.

SCH. II. Permulti contra Idealistas disputantes systema illorum confutatum esse putant, corporum necessitate atque extensionis consequenter proximae entium coexistentiae possibilitate demonstrata. Sed ideam extensionis consequenter proximam entium coexistentiam non dare ideam corporis, docet §. 3.; necessariam corporum existentiam (dicitur de necessitate hypothetica) ab illis non demonstratam esse, nisi sub hypothesi, quod corpora sint possibilia, docent scripta, quibus eiusmodi argumenta sunt composita. Idealismus itaque eiusmodi argumentis minime explosus est. Haec ea solummodo ex ratione monere volui, quo scopus principiorum, quae ante posui atque explicavi, perspici possit. *Monitum.*

CAP. II.

DE CORPORVM QVA TALIVM QVALITATIBVS ATQVE AFFECTIONIBVS ET QVAE INDE IMMEDIATE FLVVNT.

§. XII.

Affectiones rei sunt determinationes, quae illi competere possunt, ad essentialia vero ipsius minime pertinent (§. 26. Ph. pr.). Essentialia corporis explicavi §. 8. Affectiones itaque corporis, qua talis, explicaturus ea evolvere debeo, quae corpori competere possunt, sed nec ad considerationem entium, quae illud constituunt, nec ad eius structuram, nec ad quantitatem, qua entia illa cohaerent, pertinent. *Scopus capitis.*

COR.

COR. Patet itaque extenſionem (§. 2.), magnitudinem extenſivam ſeu molis (§. 5.), quod corpora ex aliquo oriri & ſine annihilatione interire poſſint (§. 10.), ad affectiones corporum pertinere (§. 7. ſeqq.). Plures itaque ex principiis hactenus explicatis breviſſimis evolvam.

Monitum.

SCH. Modo notes, velim, ut aliud ſit ad eſſentialia rei pertinere, aliud ex rei eſſentialibus ſequi. Attributa ſequuntur ex rei eſſentialibus, ad ea tamen minime pertinent. Inter affectiones itaque corporis etiam ea referri debent, quae ex eſſentialibus ipſius, atque adeo ex natura entium, quibus conſtituitur, ex corporis ſtructura & ex cohaeſionis quantitate legitime deducenda.

§. XIII.

Gravitas corporis ut determinatio ipſius intrinſeca demonſtratur.

Primo itaque magis evolvamus affectiones, quae corpori competunt, quatenus eſt unum ens, quod variis entibus conſtituitur, quo ex proxime ſequitur, *ut inter intrinſecas corporis determinationes etiam gravitas referri debeat.* Quicquid enim ut impenetrabile ſpectari debet, inter illius determinationes intrinſecas ut etiam gravitas referatur, neceſſe eſt (§. 89. Cor. 2. Mon. §. 8. Ont. & §. 40. Ph. pr.). Sed corpus qua corpus ut impenetrabile ſpectari debet (§. 1. Cor. 1.). Ergo & inter intrinſecas corporis determinationes gravitas referri debet.

COR. I. Corpori itaque gravitas competit, quatenus eſt impenetrabile. Sed impenetrabile eſt, quatenus eſt unum ens, quod nexu plurium entium conſtituitur. vid. Cor. 1. § 1. Ergo numerus entium, quibus corpus illud conſtituitur, determinat quantitatem gravitatis corpori tribuendam (§. 89. Cor. 2. Mon.). Quo maior igitur eſt numerus entium ſimplicium ſeu elementorum (§. 1. Cor. 4.), quae corpus obvium conſtituunt, eo maior etiam ipſius gravitas eſſe debet.

COR. II. Corporis magnitudo proprie ſic dicta in multitudine elementorum, quibus conſtituitur, conſiſtit (§. 5. Cor.). Et haec multitudo determinat corporis gravitatem. Magnitudo itaque corporis proprie ſic dicta aequalis eſt ipſius gravitati, & vice verſa.

COR.

COR. III. Omne corpus occupat ſpatium (§. 2. Cor. 1.). Ergo & fieri poteſt, ut magnitudinem corporis, quantitate ſpatii, quod occupat, determinemus. Eiusmodi vero corporis magnitudinem non veram, ſed apparentem ſolummodo ipſius magnitudinem eſſe, ea facili negotio docebunt, quae de ſtructura corporis §. 4. ſeqq. explicavi. Quae ergo de corporis magnitudine proprie ſic dicta probavi, ad corporis magnitudinem apparentem non ſtatim applicari poſſunt, & vice verſa. Optime itaque fiet, ſi magnitudinem corporis proprie ſic dictam poſt haec *magnitudinem molis*, quam etiam *maſſam* vocant Philoſophi, apparentem vero *magnitudinem extenſionis* velimus nominare. vid. §. 5. Cor.

COR. IV. Gravitas itaque corporis aequalis eſt ipſius magnitudini molis ſeu maſſae, non vero ſtatim aequalis eſt magnitudini corporis extenſivae. Et magnitudo corporis molis ſeu maſſa, non ſtatim magnitudo eiusdem extenſiva, aequalis eſt gravitati eiusdem corporis (Cor. 2. 3.).

Quo de principio ſententia Carteſianorum explicatur.

SCH. Haecce ſententia, quod ſcilicet gravitas ſit corporis determinatio intrinſeca, contra CARTESIANOS, corpora in ſe nullam gravitatem habere affirmantes, dicta eſſe videtur. Sed de gravitate, quam CARTESIANI definiverunt, minime diſputavi. Illorum enim de gravitate notio fuit phyſica, ſeu ex praeſenti rerum nexu determinata, tendentiam nimirum corporum ad centrum terrae gravitatem ipſius nominaverunt. Eiusmodi vero gravitatem inter intrinſecas corporis determinationes minime referri poſſe, recte inde probaverunt, quoniam corpora intrinſece ſpectata nullam inclinationem naturalem ad Deſcenſum aut Aſcenſum habere poſſunt. vid. LE GRAND in Inſt. Phil. Carteſ. P. IV. Cap. XI. Quae itaque de gravitate affirmavi, minime ideam de gravitate ex praeſenti rerum nexu determinatam, ſed gravitatem generatim ſumtam ſpectant. Generatim enim de eadem ut Metaphyſicus dicat, neceſſe eſt. Simul velim, ut notes, *abſoluta generatim ſumta per relationes non eſſe definienda.* vid. P. I. Log. §. 61. Interim non eſt ut dicas, datam de gravitate notionem a loquendi uſu a Philoſophis recepto abhorrere. Eadem enim ex notione, quod

nimirum gravitas corporis sit magnitudo molis, iam ante NEVTON *in Principiis mathematicis Philosophiae naturalis p. 411., ut necessario vacuum detur*, deduxit.

§. XIV.

Gravitas specifica explicatur.

Omne ens compositum seu corpus duplicem habet magnitudinem, molis nimirum atque extensionis (§. 13. Cor. 3.). Identitas magnitudinum dat aequalitatem (§. 43. Ph. pr.). Duplici itaque ratione fieri potest, ut corpora dicantur aequalia. Altera nimirum eorum aequalitas ex identitate massae, & altera ex identitate extensionis deduci potest. Si duo corpora ratione extensionis sunt aequalia, ratione massae vero inaequalia, necesse erit, ut eorum unum sit gravius altero (§. 13. Cor. 4.). Et ita incidimus in *gravitatis specificae* notionem. Est itaque *corpus A specifice gravius corpore B*, si illud ratione massae maius est corpore B, ratione extensionis vero cum eodem aequale. In possibilitatem gravitatis specificae infra inquiram.

COR. Notio itaque de gravitate specifica est notio relativa. Corpus ergo A, quod specifice gravius corpore B, altero quodam corpore specifice levius esse potest (§. 12. Cor. 2. Ph. pr.). Et simul inde patet 1.) gravitatem corporis ab eiusdem gravitate specifica distinguendam esse; 2.) Gravitatem corporis specificam determinaturum simul eiusdem magnitudinem extensionis spectare debere, hanc vero, ut spectet, non necesse esse, gravitatem corporis absolutam determinaturus.

§. XV.

Figura definitur & corpora quibus competit determinantur.

Magnitudo seu quantitas aut est finita aut infinita (§. 37. seq. Ph. pr.). Ergo & magnitudinem corporis extensivam in finitam & infinitam dividere possumus. Si prius, spatium, quod corpus illud occupat, terminatum est, non vero si posterius (§. 13. Cor. 3. Som. & §. 23. Ph. pr.). Spatium terminatum sensu latiori vocatur *figura*. Omne itaque ens compositum seu corpus, cuius magnitudo extensiva est finita, certa figura praeditum est. Enti vero composito seu corpori,

corpori, cuius magnitudo extensiva est infinita, figura quaedam tribui nequit.

COR. I. Si itaque corpori figura tribuenda, magnitudo eius extensiva mensurabilis est, non vero si illi figura quaedam tribui nequit (§. 37. seq. Ph. pr.). Et quoniam magnitudo corporis extensiva aequalis est spatio, quod occupat (§. 13. Cor. 3.), facile patebit, quomodo ope figurae magnitudo corporis extensiva determinari possit. Et ita a priori Geometriae fundamentum investigatum est.

COR. II. Simul consequens est, ut infinita magnitudo extensiva alia sit, quam infinita magnitudo molis. Ex illo itaque, quod corpus non habeat figuram, infinita ipsius magnitudo molis seu massa immediate inferri nequeat. Hancce differentiam notare debent, de magnitudine mundi extensiva disputantes.

§. XVI.

Figurarum aequalitas & similitudo unde concipiendae.

Figura est spatium terminatum (§. 15.). Spatium est respectus entium ad se invicem, quo ut proxime coexistentia cogitari possunt (§. 135. Ont.). Ergo figura est terminatus respectus entium ad se invicem, quo ut proxime coexistentia spectari possunt. Duo itaque in figura spectari possunt, quantitas nimirum figurae, atque terminatus modus, quo in eadem entia proxime coexistere possunt (Cor. 1. §. 15.). Determinatio intrinseca non-quantitas est qualitas (§. 42. Cor. 3. Ph. pr.). Ergo & ultimum, obvia in figura obversandum, qualitas figurae nominari debet. Quare, cum identitas cogitabilium ratione quantitatis aequalitas, & identitas qualitatum similitudo dicatur (§. 48. & 51. Ph. pr.), ex dictis facile intelligi potest, quando plures figurae aequales, & quando similes dicendae.

§. XVII.

Ab identitate structurae ad similitudinem figurae quo modo possit concludi.

Si duo corpora A & B, quae ratione magnitudinis extensivae finita, eandem habeant structuram, similem etiam figuram habebunt, & vice versa. Si enim A & B eandem habent structuram, modus, quo entia, A constituentia, coexistunt,

idem est ac modus, quo B constituentia coexistunt (§. 4.). Si porro A & B ratione magnitudinis extensivae sunt finita, terminata spatia occupant (§. 15.). Si ergo corpora illa A & B eandem structuram habent, terminatus modus, quo in spatio, quod A occupat, entia proxime coexistere possunt, idem est ac terminatus modus, quo in spatio, quod B occupat, entia proxime coexistere possunt. Quare, cum hisce ex positionibus figurarum similitudo concipienda (§. 17.), ut corpora illa A & B similem figuram habeant, consequens est. Q. e. p.

Ponamus, corpora illa A & B simili figura praedita esse. Ergo terminatus modus, quo entia in spatio, quod A occupat, proxime coexistere possunt, idem est, ac terminatus modus, quo entia in spatio, quod B occupat, proxime coexistere possunt (§. 16.). Atque adeo entia, quae A constituunt, eodem modo, quo entia B constituentia, coexistunt (§. 70. Cor. 2. Ph. pr.). Corpora itaque A & B dictis sub determinationibus eandem habent structuram (§. 4.). Q. e. a.

COR. I. Corpora salva structurarum identitate ratione quantitatis massae diversa esse possunt (§. 7. Cor. 1. & §. 9. §. 13. Cor. 3.). Ergo & corpora, salva figurarum similitudine, ratione quantitatis massae diversa esse possunt. Atque adeo *corpus ratione magnitudinis extensivae finitum salva figurae, qua praeditum est, similitudine ratione massae maius & minus fieri potest.*

COR. II. Ergo nec a figurarum similitudine ad earum aequalitatem valet conclusio (§. 16.). vid. §. 62. Ph. pr.

§. XVIII.

Corpori inest vis inertiae.

Omne corpus habet vim inertiae. Omne enim corpus est impenetrabile (§. 1. Cor. 1.). Necesse itaque est, ut aliquo modo motui alterius cuiusdam entis, quod in illud incurrit, resistat (per dem. Membr. 1. §. 89. Mon.), atque adeo vim inertiae habeat (Cor. 1. §. cit. Mon.).

SCH. Et ita intelligimus, cur EPICVRVS referente

GAS-

GASSENDO Tom. I. Op. p. 231. dixerit, *corpus intelligi ex congerie figurae, magnitudinis, resistentiae & gravitatis.*

§. XIX.

Existente itaque corpore, etiam id existere debet, quod corpori dat extensionem atque vim resistendi. Et hoc est, quod Philosophi *materiam* nominant. Nullum itaque corpus sine materia esse potest (§. 3. 18.). *Ergo & materia.*

COR. I. Nuda itaque idea materiae non dat ideam corporis (per dem. membr. 2. §. 8. conf §. 9.).

COR. II. Et quia corpus tam extensum est, quam vim inertiae habet, quoniam est unum ens, quod plurium entium cohaesione constituitur (per dem. §. 2. & dem. 18.), plura illa entia materiam corporis nominare debemus. Prima entia, quorum nexu corpora constituuntur, sunt elementa (§. 1. Cor. 4.). Recte itaque Philosophi elementa *primam* corporum *materiam* nominaverunt, huic *materiam secundam* opponentes. Elementa non sunt corpora (§. 130. Mon. & §. 1. Som.). Ergo & materiam primam ἀσωματον (*incorpoream*) summa cum ratione Philosophi dixerunt. vid. ARISTOTELEM Lib. I. Metaph. Cap. VI. Lib. VII. Cap. III. &c. &c.

SCH. I. Et ita veterum controversiae de differentia materiae atque corporis, de differentia materiae atque formae sufficienter diiudicari possunt. Necesse tamen erit, ut in usum Auditorii primo *veterum conceptus de materia*, deinde *eorum de forma notiones*, & tandem *differentiam, qua corpus a materia distinguere voluerunt*, explicem atque magis determinem. *Materia generatim sumta* ex sententia veterum est omne id, quod diversarum rerum constitutivum fieri potest. Quicquid diversarum rerum constitutivum fieri potest, id in se & abstracte sumtum indifferens est ad hanc vel illam rem determinatam constituendam. Ergo & materia ex veterum sententia est, quod in se indifferens ad hanc vel illam rem constituendam. Quare, cum genus in se spectatum sit indifferens ad diversas species constituendas, & elementa in se spectata indif- *Sententia veterum de materia.*

ferentia sint, ad diversa corpora constituenda, *materiam in metaphysice & physice spectatam* diviserunt. Est itaque genus in relatione ad species, quas constituere potest, sensu metaphysico materia, & elementa sunt corporum, quae inde constitui possunt, materia, quatenus sensu physico materiae terminus sumitur. Et ita facile intelligi potest, quid ex sententia veterum sit *materia proxima & remota*. Et utraque materia in constitutione determinatae cuiusdem rei, ad quam ante indifferens fuit, quatenus intrinsece spectatur, vel eadem manet, quae ante fuit, vel non. Si prius *materia permanens*, & si *posterius transiens* adpellatur. Facile itaque ex demonstratis inferri potest, *quod prima corporum materia sit materia permanens*, & *quod secunda corporum materia transiens nominari possit*, licet accurate loquendo omnis materia sit permanens. Inde etiam ARISTOTELES Lib. VII. Met. Cap. IX. materiam proprie sic dictam nominat *primum subiectum cuiuscunque rei, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur, in hoc abibit ultimum.* Veteres quidem materiam etiam *in materiam ex qua, in qua & circa quam* diviserunt. Haec vero divisio resolutio generis in species minime nominari potest, sed indicat solummodo diversos materiae respectus. Si enim materia ita spectatur, ut res quaedam ex illa sit constituta, tunc dicitur *materia ex qua*, quam etiam alii *subiectum informationis*, alii *caussam materialem* nominant. Si ita spectatur, ut determinatio quaedam specifica illi inexistat, tunc dicitur *materia in qua* seu *subiectum.* vid. §. 26. Ph. pr. Si tandem ita spectatur, ut circa illam potentia seu vis quaedam versetur, tunc *materia circa quam*, ab aliis *obiectum*, ab aliis tandem *subiectum occupationis* dicitur. Una eademque itaque materia pro diverso respectu materia ex qua, in qua & circa quam esse potest.

De forma

SCH. II. Forma a Philosophis triplici potissimum sumitur significatu. Significat nimirum 1) essentiam seu rei quidditatem vid. §. 15. Ph. pr., quo sensu etiam formam vocant essentialem, & inde verus sensus canonis: *forma dat esse rei,*

&

& *forma rem a re distinguit*, deducendus est. Quoniam ἕστια tam essentiam quam substantiam significat, inde factum est, ut veteres 2) *formam substantialem* constituerint, & ita etiam forma significat, *quod rei dat substantialitatem* atque *activitatem*, quo sensu dicitur, *quod forma sit nobilior materia*; quod forma sit vel *assistens* seu *parastatica*, vel *informans*; *quod forma informet materiam*, *&c. &c.* Et ita forma materiae opponitur. Materia enim vi notionis non agit, sed actionibus resistit. Et haecce oppositio 3) formae significatum produxit, quo nimirum indicet *determinationes rei specificas*, seu id, quo in se ad diversas determinationes indifferens, hoc & non alio modo specifice determinatum. Ita *differentia specifica vocatur generis forma*, eo significatu dicitur: *Dans formam, dat etiam consequentia formae.* Determinationes illae specificae sunt vel rei internae vel externae, ergo & hoc significatu *formas* in *internas* & *externas* dividunt. Ergo & huc pertinent *formae accidentales*, de quibus veteres disputaverunt. Et ita simul receptae τὰ *formaliter* atque τὰ *materialiter* significationes ex explicatis facili negotio deduci possunt. Vide interim pluribus de forma atque materia VELTHEMIVM *in Inst. Metaph. variis locis*, HEBENSTREITII *Philosophiam prim.* Part. III. Sect. II. Cap. VII. & VIII. SVAREZIVM *in Disp. Metaph.* Par. I. Disp XIII. seqq. HVRTADVM DE MENDOZA *in Disp. phil. variis locis* & alios.

Et de differentia materiae & corporis explicatur.

SCH. III. Notionibus veterum de materia atque forma explicatis illorum controversiae, quas de corporis atque materiae differentia habuerunt, facile intelligi possunt. PLATONICI enim atque ARISTOTELICI inter ὕλην seu *materiam* atque σῶμα seu *corpus* distinguunt, ita ut materia sine forma corpus nominari nequeat, sed corpus sit materia formis aucta. Atque adeo illorum ex sententia omne corpus materia quidem constituitur, non vero omnis materia corpus nominari potest. Vltimum etiam ex principiis hactenus demonstratis deduci potest. Omne enim corpus elementis, consequenter & materia, constitui, §. 1. Cor. 4. coll. §. 19. Cor. 2. demonstravi, & ab elemen-

elementorum atque adeo a materiae existentia ad existentiam corporum immediate non posse concludi, docent Cor. Cor. §. 19. coll. §. §. cit. cit. Quod vero primum, *quod scilicet corpus sit materia formis aucta*, attinet, sensus principii vi Sch. 1. & 2. hic erit: materia in se spectata indifferens est, ad quodcunque corpus constituendum, fit itaque corpus (σωμα) per determinationes quasdam specificas, quae addendae: materia in se spectata est pura potentia passiva, si vero fiat corpus, necesse erit, ut conjungatur cum aliquo, quod illi activitatem dare potest. Primi veritatem vi explicatorum concedere debeo, in ultimo vero latet aequivocatio quaedam, quae maximarum controversiarum mater atque origo. Materia enim in se spectata vel abstractive vel concretive spectari potest. Si *prius*, omnino valet, eam esse puram potentiam passivam (§. 18. seq.), atque adeo corpus non posse constituere, nisi cum aliquo coniungatur, quod illi det activitatem (§. 1. Som. & 117. Cor. 1. Mon.). Notare modo velis, quod a differentia ad differentiam essentialem non valeat consequentia. Si vero *posterius*, materiam esse puram potentiam passivam universaliter dici nequit (§. 1. Cor. 4. & §. 19. Cor. 2.). Atque adeo eam veterum sententiam, quod omnis materia concretive sumta a forma essentialiter differat, defendere non possum, licet fieri possit, ut quaedam materia sine forma existat (per dem. §. 131. hui. §. Cor. Mon. coll. 2. §. 19. Som.). In veritatem tandem huius principii, *quod omne corpus habeat formam*, si scilicet forma pro eo sumitur, quod rei dat activitatem, deinde inquiramus. Patet simul ex dictis, quo sensu PLATONICI atque ARISTOTELICI, materiam omni quantitate atque qualitatibus nudatam esse, affirmaverint. Sed hisce de controversiis pro scopo sufficienter hic dixi. Hoc modo velim, ut adhuc notes, quod veterum dogmata recentiorum ex notionibus non semper explicare debeamus, nisi alios nobis repraesentare velimus philosophos, atque vere fuerunt.

§. XX.

Actiones per corpus possibi.

Nullum corpus qua corpus agere potest, nisi per motum, vel ita, ut alterius cuiusdam entis sit impedimentum. Si enim corpus

corpus qua corpus agit, actio haec possibilis esse debet vel per entia, quibus corpus illud constituitur, in se spectata, vel per dictorum entium nexum (§. 1. & §. 8. Som. & §. 28. & 70. Ph. pr.). Sed priori respectu nulla alia ratione agere potest, quam dixi. (Entia enim illa aut sunt passiva, aut activa non-spontanea (§. 1. Cor. 4.). Et nec illa nec haec secus, ac dixi, agere possunt (§. 34. & 48. seqq. Mon.)). Nec posteriori respectu fieri potest, ut alia ratione corpus agat. Nexus enim ille aut qua entitativus, aut qua substantialis spectatur (§. 74. Ont.). Si prius, spectari solummodo possunt elementa, quatenus determinato quodam modo coexistunt (§. 76. Ont.). Ergo hocce in respectu agere nequeunt, nisi in determinato illo coexistendi modo aliquid efficiant (§. 12. Ont.). Atque adeo agere nequeunt, nisi motu (§. 129. Ont. & §. 26. Cor. 1. & 2. Mon. & §. 12. Cor. Ont.). Si posterius, aut solummodo ille substantialis elementorum nexus, quo corpus constituitur, aut omnis eorum nexus substantialis possibilis spectatur. *Si prius*, entia illa solummodo spectari possunt, quatenus cohaerent (per dem. §. 6.), atque adeo quatenus eorum unum efficit, quo minus alterum agere possit, nisi illud qua proxime coexistens simul moveatur (§. 96. & dem. §. 97. Mon.), consequenter eorum unum alteri sit impedimento (per cit. dem.). *Si posterius*, nullae etiam actiones inde possibiles sunt, nisi quae ex motu, aut ex illo, quod eorum unum impediat, quo minus alterum agere valeat, explicari possint (§. 113. Mon.). Patet itaque veritas principii demonstrandi.

Ies generatim indicantur.

COR. Plura itaque consectaria ex illis, quae §. 80. seqq. Mon. de nexu entium simplicium mere passivorum, §. 99. seqq. Mon. de nexu entium simplicium activorum non-spontaneorum, & §. 111. seqq. Mon. de nexu entium simplicium passivorum atque activorum non-spontaneorum explicavi, facili negotio hic inferri possunt.

§. XXI.

Vt corpus motu agat, & motui alterius cuiusdam entis impedimento sit, possibile est. Vltimum docet dem. §. 18., & primum,

Earumque possibilitates probantur.

primum, eodem modo, quo principia §. 27. §. 35. & §. 48. Mon. posita probata sunt, evinci potest.

COR. Principium, quod rationem motus continere potest, vis motrix dicitur (§. 30. Mon.). Patet itaque, quo sensu, corpus praeter vim inertiae vid. §. 18. etiam vim motricem habere, affirmari possit. vid. §. cit Mon.

§. XXII.

Inde vis motrix corporum infertur atque explicatur.

Vis motrix, quae corporibus tribuitur, solummodo nexu virium motricium elementorum, quibus corpus illud compositum, constituitur. Quatenus enim corpori vis motrix inest, eo etiam respectu ut substantia spectari debet (§. 26. Cor. 1. Ont.). Sed corpus qua substantia spectari nequit, nisi quatenus est aggregatum ex substantiis (§. 10. Cor. 2.). Corpori itaque vis motrix inesse nequit, nisi quatenus aggregatum ex substantiis est. Corpus est aggregatum ex substantiis, quoniam nexu elementorum constituitur (§. 10. Cor. 2. & §. 1. Cor. 4. Som. vide §. 26. Cor. Ont.). Ergo vis motrix corporibus non inest, nisi quatenus nexu elementorum constituitur. Ergo vis motrix corpori tribuenda nexu virium elementorum constituitur (§. 2. Cor. 1 & §. 130. Cor. 1. Mon.). Sed elementis non competit vis, nisi inertiae atque motrix (§. 131. Cor. 34. & 48. seqq. Mon. conf. §. 30. & 89. Cor. 1. Mon. §. 10. Ont.), & nexu virium inertiae vis illa motrix constitui nequit (§. 30. & 89. Cor. 1. Mon.), ut ergo vis motrix, quae corporibus tribuitur, nexu virium motricium elementorum, quibus corpus illud compositum, constituatur, consequens est.

COR. Vis itaque motrix, quae corporibus tribuitur, dici potest vis motrix nexu virium motricium elementorum, quae cohaerent, vid. §. 1. constituta. Recte itaque dicitur, vim motricem in corporibus resultare ex elementis.

COR. II. Ergo & ex illis, quae de quantitate virium motricium elementorum in Monadologia explicavi, permulta hic inferri possent consectaria, si scopus scripti idem permitteret. Sed scopus, ut omnia illa hic indicem, non permittit. Quare solum-

solummodo ea, quae necessario intelligere debeo, corporum differentiam eorumque nexum deinde explicaturus, brevissimis adponam atque explicabo.

§. XXIII.

Motus intestinus quidē

Si constituentia entis sunt in motu, totum vero illud ens, cuius sunt constituentia, locum suum absolutum minime mutat, *motus ille* vocatur *intestinus*. Est itaque motus intestinus, qui enti tribuitur, motus partium, quae ens illud constituunt. Atque adeo, posito motu intestino, totum ens, cui tribuitur, ut quiescens spectari potest.

§. XXIV.

Illum in corporibus possibilem esse probatur.

In corpore salva sua essentia motus intestinus dari potest. Corpus enim est unum ens, quod variis entibus constituitur (§. 1.). Entium motus, salvis eorum essentiis, possibilis est (§. 27. Mon.). Ergo & possibile est, ut corporis constituentia moveantur. Si itaque possibile sit, ut salva quantitate, qua cohaerent, & salvo nexu entitativo, quo dati corporis structuram constituunt, moveantur, licet corpus illud, qua totum spectatum, locum suum absolutum non mutet; possibile etiam erit, ut dicto in corpore, salva essentia sua, motus intestinus detur (§. 23. & 9.). Sed prius est possibile. A motu enim entis ad eiusdem loci relativi mutationem non valet consequentia (Cor. 2. §. 26. Mon.). Ergo fieri potest, ut entia, quae corpus obvium constituunt, salva corporis structura moveantur (§. 130. Ont. & §. 4. Som.); atque adeo moveri possunt, licet eodem modo coexistentia maneant, quo ante coexistentia fuerunt (§. 129. Ont.), consequenter & fieri potest, ut moveantur, salva manente eorum cohaesione (§. 96. seq. Mon. & §. 93. Ont.). Quod tandem motus ille fieri possit, licet corpus illud, qua totum spectatum, locum suum absolutum non mutet, possibilitatis definitio, si modo conclusiones ante positae, & principia de motu §. 28. seqq. Mon. demonstrata conferantur, immediate docebit. Ergo & propositio demonstranda sufficienter evicta est.

COR. I. Motum itaque per corpus possibilem explicaturus motum totius corporis a motu intestino distinguere debet.

COR. II. Patet simul, motum intestinum, quem de corporibus hic explicavi, entibus simplicibus repugnare (§. 1. Mon.).

§. XXV.

Genus entium inter quae corpora referenda determinatur.

Si corpus intrinsece spectatum sua vi agit, necesse est, ut in serie continua status agendi antecedens sit consequentis ratio efficiens sufficiens, metaphysice sumta. Ponamus corpus obvium agere, ergo necesse erit, ut agat vel motu, vel ita, ut actioni alterius cuiusdam entis sit impedimento (§. 20.). *Ponamus primum.* Ergo motus ille est vel motus totius vel motus intestinus (§. 24. Cor. 1.). *Sit prius.* Ergo vel motum eodem modo, ut ante, continuare debet, vel non. Ponamus hoc. Ergo necesse erit, ut in agendo aliquo modo impediatur (§. 28. Mon. §. 12. Ont. §. 96. Cor. 1. & 104. Ph. pr.), atque adeo necesse erit, ut vel se ipsum in agendo impediat, vel ab alio quodam ente in agendo impediatur (§. 103. Ph. pr.). Sed ultimum est contra hypothesin, ut ergo prius sit, consequens est. Agit itaque in se ipsum (§. 96. Ont.), ergo actio haec spectat motum intestinum (§. 23. & 1.), consequenter huc non pertinet. Motum itaque eodem modo, ut ante, continuare debet. Status itaque agendi, qui ut consequens sumitur, in antecedente ipsius corporis agendi statu rationem habet sufficientem (§. 96. Ph. pr. 28. Mon.), efficientem (§. 105. Ph. pr.) metaphysice sumtam (§. 98. Ph. pr.). Sit *posterius*, quod scilicet motus corporis obvii ut intestinus spectari debeat. Ergo erit motus partium, quae corpus illud constituunt (§. 23.). Partes itaque illae vel motum eodem modo, ut ante, continuare debent, vel non. Ponamus hoc, ergo necesse erit, ut in agendo aliquo modo impediantur (per §. §. ante pro eodem principio citatos), atque adeo vel propria vi in agendo se impediant, vel ut ab alio quodam ente in agendo impediantur (§. 103. Ph. pr.). Ponamus ultimum, ergo vel impediuntur ab ente a corpore illo diverso, vel una pars suffi-

sufficienter impeditur ab altera. Prius est contra hypothesin, & si posterius, facile patebit, statum consequentem corporis in ipsius statu antecedente rationem sufficientem efficientem metaphysice sumtam habere (§. 91. 12. Ont. & 96. Cor. 1. §. 98. & 105. Ph. pr.). Ponamus primum, quod scilicet partes illae propria vi in agendo se impediant, ergo ponitur aliquid, quod impossibile (§. 1. Cor. 4. Som. coll. §. 53. Cor. & 52. Mon.). Necesse itaque est, ut ponamus, partes illas motum eodem modo, ut ante, continuare. Sed si hoc ponitur, eodem modo, ut ante, probari potest, statum agendi antecedentem corporis consequentis agendi status rationem efficientem sufficientem metaphysicam continere. Ponamus tandem *secundum*, quod scilicet corpus agens alterius cuiusdam entis actioni sit impedimento. Ergo corpus illud in aliud quoddam ens agit (§. 91. Ont.), atque adeo non intrinsece spectatur (§. 40. Ph. pr. & §. 7. seq. Ont.). Nullum itaque corpus intrinsece spectatum sua vi agere potest, nisi status agendi antecedens sit consequentis ratio efficiens sufficiens metaphysice sumta.

COR. I. Quicquid intrinsece spectatum secus agere nequit, atque ita, ut status agendi antecedens sit consequentis ratio efficiens sufficiens metaphysice sumta, illud inter entia spontanea minime referri potest (§. 58. Mon.). Ergo nec fieri potest, ut corpora inter entia spontanea, & entia spontanea inter corpora referamus.

COR. II. Quae itaque de ente spontaneo, qua tali, §. 53. seqq. Mon. demonstravi, de corporibus minime dici possunt. Permulta ergo consectaria etiam ex illis hic inferri possunt. Quoniam vero facili negotio fieri potest, ut consectaria illa inferantur, hic modo velim, ut notes, quod nullum corpus percepta ad se referre possit (§. 89. Mon.).

COR. III. Omne ens aut est passivum, aut activum non-spontaneum, aut spontaneum (§. 20 Ont. & §. 44. Mon.). Sed corpora inter spontanea referri nequeunt. Ergo sunt vel entia passiva, vel activa non-spontanea. Qua ex divisione deinde diversitatem quandam corporum deducam.

Monitum.

SCH. Accipe hocce principium, quo Materialiſtarum praecepta meo iudicio optime infirmare atque diluere poſſumus. Ea enim refutaturus aut facultatem repraeſentativam, aut ſpontaneitatem, & quae haec requirit, aggreditur. Primo medio permulti hactenus uſi ſunt, quo vero ſucceſſu Logici atque Phyſici iudicabunt; ultimi medii, quo ego utor, commodum eventus docebit, quo vero bene atque feliciter eveniat, in ſequenti commate principium, hic demonſtratum generalius, probabo. De Materialismo vero ſpeciatim infra dicam.

§. XXVI.

Aliud principium, ex quo idem deducendum, probatur.

Unum, quod nexu plurium entium conſtituitur, ens ſpontaneum eſſe nequit. Nexus enim ille plurium entium, quo unum conſtituitur, aut qua nexus entitativus, aut qua ſubſtantialis ſpectatur (§. 74. Ont.). Si *prius*, facile patebit, unum, quod inde conſtituitur, inter entia ſpontanea non poſſe referri. Entitative enim connexa ſolummodo qua coexiſtentia ſpectantur, non vero qua agentia (§. 75. ſeqq. Ont.), entis vero ſpontanei character diſcretivus non ex exiſtentia, ſed ex actionibus ſumi debet (§. 44. & 39. Mon.). Si *poſterius*, entia ſubſtantialiter connexa aut ſunt elementa, aut entia ſimplicia ſpontanea, aut elementa & entia ſimplicia ſpontanea coniunctim ſumta (§. 131. Cor. 44. 20. & dem. §. 9. Mon.). *Ponamus entia ſubſtantialiter connexa eſſe elementa*, ergo ſunt vel entia ſimplicia mere paſſiva, vel entia ſimplicia activa non-ſpontanea, vel entia ſimplicia mere paſſiva & activa non-ſpontanea coniunctim ſumta. Ponamus: entia ſimplicia mere paſſiva ſubſtantialiter eſſe connexa, ergo actiones, quae inde oriuntur, eiusmodi eſſe debent, ut ſemper conſequens unius, quod nexu illo conſtituitur, agendi ſtatus rationem efficientem ſufficientem metaphyſice ſumtam in ipſius ſtatu agendi antecedente habeat (§. 83. ſeqq. Mon.). Ens itaque ſpontaneum inde oriri nequit (§. 58. Mon. vid. §. 129. Cor. 1. Mon.). Ponamus, entia ſimplicia activa non-ſpontanea ſubſtantialiter eſſe connexa: ergo & in uno, quod nexu illo conſtituitur, ſtatus agendi

agendi antecedens consequentis rationem efficientem sufficientem metaphysice sumtam continere debet (§. 100. seqq. Mon.), & idem valet de entium passivorum atque activorum non-spontaneorum nexu substantiali (§. 113. seqq. Mon.). Ergo nec unum, quod nexu illo constituitur, inter spontanea entia referri potest (§. 58. Mon.). *Ponamus, entia, substantialiter connexa, esse entia simplicia spontanea*, ergo in uno, quod & quatenus nexu illorum constituitur, nullae actiones possibiles sunt, quam ut eorum unum agendi occasionem alteri eripiat, vel eorum unum alteri det agendi occasionem (§. 110. Mon.). Quatenus itaque ut unum spectatur, ens spontaneum nominari nequit (§. 69. seqq. Mon. vid. §. 129. Cor. 1. & §. 111. Mon.). *Si tandem ponamus, entia substantialiter connexa esse elementa atque entia simplicia spontanea coniunctim sumta*, aut elementa cum spontaneis connexa sunt, aut spontanea cum elementis. Si prius, in uno, quod & quatenus inde constituitur, iterum nullae actiones possibiles sunt, quam, ut elementa mediante motu spontaneis percipiendi occasionem praebeant, aut percipiendi occasionem eripiant (§. 120. Mon.), ergo nec unum, quod nexu illo constituitur, ens spontaneum nominari potest (§. 69. seqq. Mon.). Si posterius, in uno dicto, qua tali, nullae possibiles sunt actiones, nisi, ut spontanea elementorum statum motus, aut statum quietis determinent (§. 126. Mon.), ergo nec fieri potest, ut unum illud inter entia spontanea referatur (§. 69. seqq. Mon. vid. §. 129. Cor. 1. Mon.). Ope inductionis itaque veritas principii demonstrandi patebit.

COR. I. Quicquid itaque est ens, quod nexu plurium entium constituitur, est ens non-spontaneum. Ergo etiam corpora inter entia non-spontanea referri debent (§. 1. Cor. 3.). Et ita veritas principii Cor. 1. §. 25. positi non alia solum ratione demonstrata est, ac ante; sed & ex principio quodam generaliori illo, ex quo ante idem deduxi, illata est. vid. Sch. §. cit.

COR. II. Patet simul, ex eo, quod quid sponte agat, quod etiam

etiam sit ens spontaneum, immediate non posse inferri. Patet enim ex demonstratis, fieri posse, ut aliquid qua sponte agens propter unionem atque communicationem spectetur (§. 148. seqq. Ont. conf. §. 127. Cor. Mon.). Ens vero, quod spontaneum est, eiusmodi esse debere, quod per se sponte agere potest, docet §. 44. & 39. Mon.

COR. III. Ens, quod non est unum, quod nexu plurium entium constituitur, est ens simplex (§. 1. Mon.). Ens itaque, quod spontaneum est, etiam inter entia simplicia referri debet. Ergo & ex iis, quae de simplici ente qua tali in superioribus demonstravi, permulta inferre potest consectaria, entis spontanei naturam explicaturus. Sed de his infra: hoc modo velim, ut hic notes, *quod aliud sit ens simplex esse, aliud simplex esse.*

§. XXVII.

Leges motus absolutae inde deducuntur.

Corpus est ens non-spontaneum (§. 25. Cor. 1. & §. 26. Cor. 1.). Ergo & leges motus absolutae, quas ex idea entis non-spontanei in superioribus deduxi, eiusmodi sunt, ut motus corporum (§. 21.) inde commode explicari possint. Patet itaque

I. Nullum corpus (qua corpus) quiescens se ipsum movere posse, sed, si est in motu, necesse esse, ut status ille a caussa quadam externa efficiente dependeat.

II. Omne corpus (qua corpus) semel motum perseverare in statu suo movendi uniformiter in directum, hoc est, eadem celeritate & secundum eandem directionem, nisi a caussa quadam externa efficiente statum suum mutare cogatur (§. 104. Cor. 3. Mon.).

§. XXVIII.

Et principium ex quo quantitas vis motricis corporis mobilis deducenda, explicatur.

Nullum corpus possibile est, quod non constituitur, nisi entibus simplicibus mere passivis. Corpus enim entium cohaesione constituitur (§. 1.). Sed entia simplicia mere passiva, si solummodo adsunt, cohaerere nequeunt (§. 98. Mon.). Fieri itaque nequit, ut omnia entia, quae corpus obvium constituunt, sint entia simplicia mere passiva.

COR. I.

COR. I. Vis ergo motrix, quae corporibus tribuitur, aggregatum virium motricium entium ſimplicium mere paſſivorum minime nominari poteſt (§. 22.).

COR. II. Et ita conſequens eſt, ut nullum corpus ens mere paſſivum nominari poſſit (§. 1.), ſed ut corpus inter entia non-ſpontanea (§. 25. Cor. 1. & §. 26. Cor. 1.) aut activa aut activo-paſſiva referri debeat (§. 20. Ont. coll. §. 1. Cor. 4. Som.). Permulta itaque & hic inferri poſſunt conſectaria ex iis, quae de entibus activis, activo-paſſivis atque non-ſpontaneis in Ontologia atque Monadologia explicata ſunt.

§. XXIX.

Quantitas vis motricis corporum motorum inde determinatur.

Et ita a priori determinari poteſt quantitas vis motricis, qua corpus agit. Corpus enim aut eſt ens activo-paſſivum, aut ens activum non-ſpontaneum (§. 28. Cor. 2.). *Si prius*, vis motrix, qua corpus illud agit, maior eſt facto ex ipſius maſſa in celeritatem, qua agit (§. 73. Cor. Ont. & §. 13. Cor. 3. Som.), & *ſi poſterius*, vis motrix, qua corpus illud agit, aequalis eſt conatui ipſius efficaci ad determinatam actionem ante actum ſpectato (§. 69. Ont.), atque adeo aequalis eſt facto, ex ipſius corporis vi primitiva in celeritatem, qua agit (§. 71. Ont.).

COR. Ergo & plura conſectaria ex iis, quae §. 69. §. 73. Ont. explicavi, hic inferri poſſunt.

SCH. Corpora, quae obſervamus, plerumque ſunt entia activo-paſſiva, (quod ope experientiae facili negotio probari poteſt). Ergo & vis motrix corporum, quae obſervamus, ſi agunt, plerumque major eſt facto ex illorum maſſa in celeritatem, qua agunt. Ergo non a priori ſolum patet falſitas menſurae, quam CARTESIVS pro quantitate vis motricis corporum, quae agunt, univerſaliter poſuit, ſed & de iis iudicare poſſumus, quae LEIBNITIVS de quantitate virium motricium corporum motorum affirmavit. vid Sch. 1. §. 73. Ont.

SOMATOLOGIAE

SECTIO II.

DE

VARIIS MODIS QVIBVS CORPORA DIVERSA ESSE POSSVNT, ATQVE PRINCIPIIS, QVAE INDE IMMEDIATE FLVVNT.

§. XXX.

Ratio instituti atque diversitates corporum accidentales indicantur.

FVndamenta, ex quibus corporum diversitates intelligi possunt, explicaturus, ea, quae corporum *diversitates essentiales* docent, ab iis, quae eorum *diversitates accidentales* nobis indicant, distinguere debeo. Accidentales corporum diversitates ex iis sumuntur, quae salvis corporum essentiis adesse atque abesse possunt. Ex quo iuste efficitur, ut diversitas corporum determinata magnitudine atque motu constituta sit accidentalis (§. 7. Cor. 1. dem. §. 27. Mon. coll. §. 22. Som.). Accidentaliter itaque corpora in *magna* & *parva*, in *mota* & *quiescentia* dividi possunt. Sed eiusmodi differentia facili negotio intelligi potest. Necesse ergo solummodo erit, ut diversitates corporum essentiales magis explicem, quod breviſſimis, pro scopo tamen sufficienter, in sequentibus huius sectionis commatibus fiat.

§. XXXI.

Fundamenta diversitatum corporum essentialium determinantur.

Essentiales corporum diversitates ex iis sumi debent, quae ad illorum essentiam pertinent, ergo vel ex corporum conceptu primo adaequato, vel ex eorum conceptu primo inadaequato sumuntur. Sed hisce explicatis illas facili negotio intelligi posse, immediate patet, ergo & ultimas solummodo explicabo. Tria sunt essentialia, quorum compositio corporis essentiam constituit, entia scilicet, quae corpus constituunt, structura, atque cohaesio entium eiusque quantitas (§. 9. Cor. 1.). Ergo & triplici ex fundamento dictae corporum diversitates deduci possunt, nimirum

rum 1.) ex entium diversitate, 2.) ex diversitate structurae & 3.) ex quantitate, qua entia illa cohaerent. vide Cor. 2. §. 7.

Monitum.

SCH. Vellem, ut diversa illa fundamenta, e quibus corporum diversitates essentiales deducendae, peculiaria nomina haberent, quibus distingui possent: quoniam id vero neglectum est ab Antecessoribus, in denominatione composita manebo, donec nomina accommodata investigabo.

§. XXXII.

Inde explicatur 1) diversitas corporum essentialis, ex entium diversitate deducenda, quo respectu corpora sunt. a) primitiva & derivativa

Primo itaque in corporum diversitates essentiales ex entium, quibus constituuntur, diversitatibus concipiendas inquiram. Diversitates illae entium corpora constituentium sumuntur vel ex eorum qualitatibus vel solummodo ex eorum generibus. Posteriori respectu entia corpus obvium quale constituentia sunt vel simplicia, vel corpora (§. 1. Mon. & §. 1. Som.). Si prius, *corpora* vocantur *primitiva*, & si posterius, *derivativa*. *Corpora* itaque *primitiva* sunt, quorum partes proximae (vid. §. 6. Pr. Log.) sunt elementa (§. 1. Cor. 4.). Et corpora, quorum partes proximae etiam sunt corpora, inter *derivativa* referri debent. vid. §. 5. Pr. Log.

Consensus Philosoph. docetur, & varia theoremata indicantur.

SCH. Ill. WOLFIVS §. 229. Cosm. corpora primitiva corpuscula primitiva nominavit, quoniam corpora illa primitiva adeo exilia sunt, ut omnem visum effugiant, corpora vero adeo exilia *corpuscula* nominantur. Intelligi inde potest 1) Quid sit *Philosophia corpuscularis*, quae nimirum phaenomenorum rationem a corpusculis desumit. vide l. c. §. 230. seqq. 2) Facili negotio tam corporum primitivorum quam derivativorum possibilitatem probari posse. vide dem. §. 11. 3) Atomos esse corpora primitiva. (Sch. 2. §. 1. Mon.), atomorumque possibilitatem facili negotio argumentis confirmari posse. Sed ne ambages fiant molestae, paucis haecce percurrere leviterque tangere sufficiat.

§. XXXIII.

b) fluida & solida.

Si simul qualitatem entium corpus obvium constituentium spectamus, ex Cor. 1. §. 28. patet, entia illa esse vel

activa non-ſpontanea, vel entia paſſiva. Quatenus corpori entia activa non-ſpontanea inſunt, illi *fluiditas*, quatenus vero corpori paſſiva entia inſunt, illi *ſoliditas* tribuitur. Atque adeo corpus dicitur *fluidum*, quatenus entibus activis non-ſpontaneis, & *ſolidum*, quatenus entibus paſſivis conſtituitur. Et entia activa non-ſpontanea fluidi, & entia paſſiva ſolidi materiam conſtituunt (Cor. 2. §. 19.). *Corpus* itaque *perfecte fluidum* eſt, quod ſolummodo entibus activis non-ſpontaneis conſtituitur, cuius poſſibilitatem docent §. 103. 129. Mon. & §. 1. Som. Et vi oppoſitionis *corpus perfecte ſolidum* nominari poſſet, quod ſolummodo entibus paſſivis conſtitutum, ſi modo fieri poſſet, ut eiusmodi ens inter poſſibilia referatur. Sed hoc fieri nequit (§. 1. Som. & §. 98. Mon.), optime itaque *corpus perfecte ſolidum* dicitur, cui non plura inſunt entia activa non-ſpontanea, quam quae neceſſario requiruntur, ſi entia paſſiva, quae corpus illud conſtituunt, cohaereant. Vide §. 117. Mon.

COR. Patet ex dictis 1) Nullum corpus poſſibile eſſe, cui non fluidum aliquod inſit (§. 28. Cor. 1.). 2) Omnem entium cohaeſionem dependere a fluido (§. 111. Cor. Mon.). 3) Varios tam fluiditatis quam ſoliditatis cogitari poſſe gradus (§. 42. 35. 37. & 44. Ph pr.). 4) Cohaeſionem entium, quae corpus fluidum conſtituunt, minorem eſſe cohaeſione eorum, quibus corpus ſolidum conſtituitur (§. 117. Cor. 3. Mon.). 5) Corpus ſolidum magis motui alterius poſſe reſiſtere, quam corpus fluidum, licet aequalem habeant gravitatem (§. 89. Cor. 1. & 2. Mon.). Etc. &c. Plura enim facili negotio ex illis, quae de entibus paſſivis atque activis non-ſpontaneis, praeſertim vero de dictorum entium motu in ſuperioribus explicavi, inferri poſſunt.

Vſus loquendi probatur, atque contra Carteſianos.

SCH. I. Doctrinam de fluidi atque ſolidi natura conſtitutioneque iam diu in controverſiam a Philoſophis deductam eſſe, illorum ſcripta ſufficienter docent. In eo quidem, quod de iisdem experientia docet, omnes conſentiunt, quod nimirum fluidi partes minori vi, quam partes ſolidi ſeparari poſſint, atque adeo in hoc fluida a ſolidis differant. De quo non ſine

com-

commodo legi potest ESCHINARDI *Tract. de impetu Tract. post. Cap. I.* Qua ex ratione etiam Physici hoc ex charactere tam fluidi quam solidi definitionem nominalem recte formaverunt. Vide egregii Germaniae Physici HAMBERGERI *Elementa Physices* §. 73. & §. 110. In determinatione vero rationis, qua effectus ille explicari potest, quam maxime inter se discrepant. CARTESIANI rationem illam ex motu partium deducunt, ita enim ANTONIVS LE GRAND *in Inst. Phil. Cartes. Edit. secundae p. 285. Fluida aliorum corporum motioni facile cedunt, atque ideo manibus nostris versus illa moventibus non obsistunt, ut liquet in Aqua & Aere. Quorum diversitatis ratio a quiete & motu desumitur. Nam si inquiramus, quorsum quaedam corpora non nisi vi e locis detrudi possunt; alia vero absque ulla difficultate locum, quem occupant, aliis relinquant; inveniemus, partes illorum, quae admotis corporibus resistunt, juxta se mutuo quiescere: aliorum autem partes, quae absque ulla vi loca sua deserunt, esse in motu. Adeo, ut dura corpora sint, quorum partes inter se cohaerent; & illa fluida, quae in multas exiguas partes dividuntur, motibus a se mutuo diversis agitatas. - - Ex quibus colligi possunt durorum & fluidorum definitiones, quod dura sint, quorum partes quiete iunguntur; fluida vero, quorum exiguae particulae in motu sunt.* Eandem fere sententiam fovere videntur LEIBNITIVS §. 11. *in Meditationibus de caussa gravitatis, & defensione sententiae suae de veris naturae legibus contra Cartesianos*, quae leguntur *in Actis Eruditorum* de anno 1690. p. 228. seqq. & GASSENDVS, qui Tom. I. pag. 402 affirmavit, *fluiditatem oriri ex eo, quod Atomi spatiola intercepta habeant, & sic inter se dissociati sint, ut sint invicem mobiles circa superficieculas, quibus se contingunt.* Sed experientia, qua cogitationes suas CARTESIANI confirmare voluerunt, easdem minime probat, sed inferri inde solummodo potest, ut differentia solidi atque fluidi a posteriori solummodo ex quantitate, qua partes corpora illa constituentes cohaerent, cogitari possit. Quare, cum differentia illa cohaesionis a natura entium, quae cohaerent, dependeat (ut ex

hactenus explicatis sufficienter patet), solidum atque fluidum non usui solum loquendi convenienter explicata, sed & rationes eorum a priori, quantum fieri potuit, evolutae atque determinatae sunt.

aliosque dissentiatur.

SCH. II. Alii soliditatem ex fluidorum compressione deducunt, inter quos praecipue referri possunt WYERVS GVILIELMVS MUYS & THEODORVS SANTVOORT. Ille enim in *Diss. priori Elementis ipsius Physices adposita, & quae de caussa soliditatis corporum agit*, fluidum omnis soliditatis expers, quod *aetherem* appellat, concedit, &, ex particularum eiusmodi fluidi compressione solidum oriri, affirmat; hic vero in *Diss. philos. de caussa motus & principiis solidorum corporum Cap. XIV.* natura nulla entia esse solida, sed totam rerum naturam habere materiam aëream, ex cuius compressione solida oriuntur, docet. Sed eiusmodi principiorum falsitatem ex hactenus demonstratis facili negotio inferre possumus. Aetheris seu fluidi omnis soliditatis expertis possibilitatem negare quidem non possum, vi §. 33. Quod vero ex eiusmodi fluidi particularum compressione solida ortum trahant, iis, quae § cit. explicavit, repugnat. Quo vero eiusmodi asserti falsitas clarius demonstrari possit, sequens notare velis theorema.

§. XXXIV.

Illa in haec & vice versa transformari nequeunt.

Fluida in solida & solida in fluida transformari nequeunt. Ponamus, fieri posse, ut fluida in solida & solida in fluida transformentur, ergo necesse erit, ut constitutiva entium simplicium activorum constitutiva entium simplicium passivorum & vice versa fieri possint (§. 33.). Quare, cum eiusmodi mutatio inter impossibiles referri debeat (§. 23 Cor. Mon.), impossibile etiam est, ut fluida in solida & solida in fluida transformentur.

COR. Licet itaque fieri possit, ut constitutiva corporis A fiant constitutiva corporis B, ab illo essentialiter diversi (Cor. 2. & 3. §. 9. & §. 31.), universaliter tamen affirmari nequit, omne corpus in alterius cuiuscunque generis corpus transformari posse. Qua de caussa non sine ratione tam *fluida* quam *solida* in *vera & apparen-*

apparentia dividuntur. Quo fine dubio ſpectat diviſio *fluidi* in *artificiale* & *naturale*, quam permulti Phyſicorum defendunt.

Quod contra Newton & Bontekoe affirmatur.

SCH. Contrarium inter alios affirmaverunt NEVVTON & BONTEKOE. *Ille* enim *in Principiis Math. Ph. nat. Lib. III. p. 402.* ex principio, quod ſolida ex fluidis oriantur, omne corpus in alterius cuiusdam generis corpus transformari, & omnes gradus intermedios ſucceſſive accipere poſſe, deduxit; *hic* vero in *Tract. de motu*, qui extat in ipſius ſcripto ſub Titulo: *Bontekoe Metaphyſica, eiusdemque de motu liber ſingularis nec non Oeconomia animalis &c.* divulgato, docet, omnia ſolida ex fluidis orta eſſe, ergo fluida perpetuo in ſolida & ſolida in fluida transformari. Sed principii, ex quo ſententias illas deduxerunt, falſitate in commate demonſtrata, facili etiam negotio concluſionum falſitates perſpicere poſſumus. Poteſt ſimul ex explicatis reſponderi ad quaeſtionem, quam citatus BONTEKOE l. c. affirmavit, quod nimirum omnis motus a fluido dependeat. Sed de his alio quodam tempore forſan pluribus.

§. XXXV.

2) Explicantur diverſitates corporum eſſentiales ex corporum ſtructura concipiendae, cuius reſpectu corpora ſunt vel poroſa vel non poroſa.

Si ſecundum fundamentum, ex quo corporum diverſitates eſſentiales deducendae, corporis nimirum ſtructuram vid. §. 31. conſideramus, facile patet, corpora hoc ex fundamento in *poroſa* & *non-poroſa* dividi poſſe. Si enim partes corporis cohaerentes ita connexae ſunt, ut alia entia adhuc interponi poſſint, corpus illud dicitur *poroſum*; ſi vero partes illae ita connexae ſunt, ut alia entia non poſſint interponi, corpus illud *non-poroſi* nomen accepit. Qua ex ratione etiam loca illa, in quibus alia entia inter partes corporis poni poſſunt, *pori* dicuntur.

COR. I. Corporum itaque tam poroſorum quam non-poroſorum poſſibilitates ex illis facile deduci poſſunt, quae Cor. 1. §. 4. de ſtructura corporum dixi. vid. §. 16. ſeq.

COR. II. Loca, in quibus adhuc entia poni poſſunt, ut ab entibus non occupata ſpectari debent (§. 127. Ont.). Ergo pori corporis, quatenus ſolummodo corpus illud, cui inſunt, ſpectamus, ut loca inania ſpectari poſſunt (Sch. 2. §. 128. Ont.). Loca inania

nia ab entibus occupari possunt (l. c. & §. 127. Ont.), ergo & fieri potest, ut in poris, qui corpori A insunt, existant entia, quae ad constituentia ipsius A minime pertinent. Summa itaque cum ratione entia illa Philosophi materiam corporis A peregrinam nominaverunt.

COR. III. Patet simul ex dictis, 1) quantitatem massae corporis non-porosi, non vero corporis porosi, determinari posse per spatium, quod corpus illud occupat (Cor. 3. seq. §. 13.). 2) Atomos esse corpora non-porosa (§. 1. Sch. 2. Mon. & §. 32. Sch. Som.). Etc. &c

§. XXXVI.

Comprimere corpus quid.

Omne corpus occupat spatium (§. 2. Cor. 1.), cuius quantitas determinat quantitatem corporis extensivam (Cor. 3. §. 13.). Efficere, ut quantitas eiusdem corporis extensiva fiat minor, quam ante fuit, idem est, ac *corpus illud comprimere*. Comprimitur itaque corpus A, si efficitur, ut idem corpus A minus occupet spatium, quam quod ante occupavit.

COR. I. Aliud itaque est efficere, ut corpus fiat minus ratione massae, aliud corpus obvium comprimere (§. 13. Cor. 4.).

COR. II. Si itaque corpus obvium comprimatur, necesse erit 1) ut eadem corporis quantitas ratione massae, atque adeo eadem corporis gravitas (Cor. 4. §. 13.), consequenter idem numerus entium, quibus corpus illud constituitur (§. 13. Cor. 1.), servetur (Cor. 3 §. 13.). 2) Ut complexus entium, quibus corpus illud constituitur, minus occupet spatium, quam ante occupavit. 3) Ut entium, quae corpus illud constituunt, cohaesio servetur (§. 1.).

§. XXXVII.

Corpus comprimendum quale.

Nullum corpus comprimi potest, nisi quod est porosum. Si enim corpus A comprimatur, necesse erit, ut complexus entium A constituentium, salva eorum cohaesione, & salvo eorum numero, minus occupet spatium, quam quod ante occupavit (Cor. 2. §. 37.). Ergo vel duo entium, quae A consti-

constituunt, facta compressione eundem occupant locum, vel in spatio, quod A non-compressum occupavit, loca fuerunt, quae ab entibus A constituentibus nondum occupata. (Sunt enim, posito principio primo, contradictorie opposita). Sed prius est impossibile (§. 127. Ont.), ut ergo posterius sit, consequens est. Quare, cum eiusmodi loca pori dicantur (§. 35.), corpora comprimi nequeunt, nisi quae porosa (§. cit.). Q. e. p.

Quod tandem fieri possit, ut corpora porosa, quatenus absolute spectantur, comprimantur, ita evinco: Ponamus corpus porosum absolute spectatum, ergo in spatio, quod a corpore illo occupatur, adhuc loca sunt, quae, salvis locis, quae ab entibus corpus, illud constituentibus occupantur, ab aliis quibusdam entibus occupari possunt (§. 35.). Ergo & effici potest, ut entia, quae corpus illud constituunt, loca dicta, quatenus res absolute spectatur, occupent (§. 27. Mon.). Sed hoc facto loca, quae entia illa ante occupaverunt, fiunt inania (§. 128. Sch. 2. Ont.), atque adeo spatium, quod numerus ille entium facta compressione occupat, minus est spatio, quod ante occupavit (§. 49. Ph. pr.). Si itaque hoc fieri possit, salva dictorum entium cohaesione, corpus porosum, quatenus absolute spectatur; comprimi posse, erit probatum (§. 36. coll. Cor. 1. §. cit.). Quod illud, si iterum quaestio absolute spectatur, fieri possit, ex Cor. 1. & 2. §. 106. & Cor. 2. §. 117. Mon. facili negotio probari potest, ergo & patet, corpus porosum, quatenus absolute spectatur, comprimi posse. Q. e. a.

COR. I. Si itaque obvium corpus porosum comprimi nequeat, ratio huius impossibilitatis non in idea corporis porosi, sed in determinationibus quibusdam specificis, ut contineatur, necesse erit.

COR. II. Atomi sunt corpora non-porosa (§. 35. Cor. 3.). Ergo nec fieri potest, ut atomi comprimantur. Et simul ex demonstratione, qua primum principii membrum corroboravi, generalis haecce inferri potest conclusio, *hoc sine vacuo nulla possibilis sit compressio.* Quo ex principio necessitas vacui facile

cile deduci poterit, quae etiam ex idea motus rectilinei facili negotio inferenda.

§. XXXVIII.

Fundamentum generale

Si ens A ab B motum, qua tale, in hocce B agit, neceſſe eſt, ut A habeat conatum ſe movendi ad locum, quem ante occupavit. Ponamus A ab B motum in B hocce agere, ergo B cum A manet proxime coexiſtens (§. 93. Ont.), atque adeo neceſſe eſt, ut B moto A eum occupet locum, quem ante A occupavit (§. 129. Ont. & §. 26. Mon.). Conſequenter A agit in B, quatenus B eum occupat locum, quem ante A occupavit. Ponamus porro, A agere in B, quatenus ab eodem motum. Ergo A agit in B vel ita, ut ſolummodo ut reſiſtens ſpectari poſſit vel non. Ponamus prius. Ergo A ſolummodo ſpectari poteſt, quatenus eſt ens (per dem. memb. 1. §. 89. Mon. & §. 8. Ont.). Sed A hic non ſolum ſpectatur, quatenus eſt ens, ſed quatenus ab B motum (per hyp.). Ergo poſterius eſſe debet. Atque adeo A in B agit ita, ut ſimul ut conatum quendam habens ſpectari debeat (§. 25. Ont.). Ergo A habet conatum quo tendit, ad locum, quem ante occupavit (per ante demonſtrata), ſeu habet conatum ſe movendi ad locum, quem ante occupavit (§. 26. Mon.)

COR. I. Ens itaque, quatenus conatum habere nequit, nec in aliud ens, a quo motum, qua tale agere poteſt. Sed ens mere paſſivum, qua tale non habet conatum (§. 62. Cor. 2. Ont.). Ergo ens mere paſſivum, qua tale, in aliud ens, a quo motum, & quatenus ab eodem motum agere nequit, ſeu, ens mere paſſivum quieſcens in aliud ens, a quo motum, & quatenus ab eodem motum agere nequit (§. cit. & dem. §. 34. Mon.).

COR. II. Ens, quod dicto modo in aliud ens agit, ſolummodo qua motum, non vero quatenus eſt in motu, atque adeo qua quieſcens ſpectatur. Ergo actio entis in aliud ens, de qua in commate dixi, non poſſibilis eſt, niſi per ens quoddam activum vel per ens quoddam activo paſſivum (§. 20 Ont.). Quod vero per eiusmodi entia poſſibilis eſſe poſſit, docet §. 101. Mon.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

atque specia-le, ex quibus possibilitas vis elasticae deducenda, probatur.

Si corpus vi quadam extrinseca compressum, fieri etiam potest, ut corpus illud habeat conatum se restituendi in statum pristinum. Si enim corpus vi quadam extrinseca comprimatur, necesse erit, ut motui comprimentis resistat (§. 36. Som. §. 135. Cor. 2. & 127. Ont. §. 26. 88. & 89. Mon.), atque adeo in comprimens agat (§. 91. Ont.). Corpus itaque compressum agit in id, a quo motum. Corpus est ens aut activum aut activo-passivum (§. 28. Cor. 2.). Ergo & fieri potest, ut in comprimens qua motum agat (§. 38. Cor. 2.). Ergo & fieri potest, ut habeat conatum se movendi ad locum, quem ante occupavit (§. 38.), seu conatum se in statum pristinum restituendi.

COR. I. Corpus, quod porosum est, comprimi potest, (§. 37.). Ergo & fieri potest, ut corpus porosum ab alio quodam corpore compressum habeat conatum se in statum pristinum restituendi.

COR. II. Atque etiam explicata hocce corroborabunt principium: quod omne corpus porosum ab alio quodam compressum eiusmodi conatum habeat.

§. XL.

Vis elastica atque corpus elasticum quid.

Vis seu conatus, quo corpus vi externa compressum eo tendit, ut in statum pristinum se restituat, dicitur *vis elastica*. Unde corpus, cui eiusmodi vis inest, *elastici* accepit nomen.

COR. I. Corpus itaque porosum elasticum esse potest (Cor. 1. §. 39.). Et vi principii Cor. 2. §. 39. positi omne corpus porosum summa cum ratione elasticum dicitur.

COR. II. Corpus, quod comprimi nequit, nec vim quandam elasticam habere potest. Ergo & corpora non-porosa inter elastica referri nequeunt (§. 37.). Atque adeo atomis vis elastica tribui nequit (Cor. 3. §. 35.).

COR. III. Ponamus corpora entibus activis destituta possibilia esse. Fieri non poterit, ut eiusmodi corpora elastica

sint (§. 38. Cor. 2.). Quaedam itaque corporum elasticitatis ratio ultima est in entium activitate. Quare, cum corpori, quatenus illi activa entia insunt, fluiditas tribuatur (§. 33.), quaedam corporum elasticitatis ratio ultima in fluiditate ut sit, consequens est.

COR. IV. Simul data ex vis elasticae definitione fundamentum, ex quo gradus elasticitatis deduci possunt, immediate patet. Quantitas enim vis elasticae cognoscenda est ex quantitate conatus, quo corpus externa vi compressum tendit, ut in statum pristinum se restituat. Ergo & plura hic inferri possunt ex illis, quae §. 16. cum Cor. Cor. 61. Ont. de conatu explicavi. Hoc modo velim ut hic notes consectarium, *quod impedimentum adesse debeat, si corpus elasticum cessante actione comprimentis in pristinum statum se non perfecte restituat.* vide quae §. 104. Cor. Ont. de impedimentis dixi.

Usus loquendi probatur.

SCH. Datam de vi elastica notionem usui loquendi conformem esse, docent principia, quibus KEILL *in Introd. ad Physicam* eandem explicavit. Ita enim ille in Lect. XIII. Def. 9-11: *vis elastica est illa vis, qua corpus de figura sua detrusum sese in pristinam figuram restituit.* vide §. 15. Som. Ergo *corpus elasticum est, quod ictui aliquantisper cedit, se tamen in pristinam figuram sua sponte restituit. Corpus* itaque *perfecte elasticum est, quod se eadem vi in pristinam figuram restituit, qua ab eadem dimotum est.* FR. MILLIET DE CHALES quidem *in Tractatu de motu locali & elaterio* Sect. I. pro certo posuit, vim elasticam aliam esse in corporibus duris, aliam in fluidis, ita, ut vis elastica durorum corporum sit potentia se in figuras sibi proprias restituendi, quoties aliorum corporum concursu immutatae; vis vero elastica fluidorum sit solummodo facultas sese extendendi. Sed argumentatus est ex hypothesi, quod fluida figuram propriam minime habeant, sed cuivis enti facile se accommodent. Huius vero hypothesis defensores eandem firmis argumentis atque rationibus haud facile confirmabunt. Ad experientiam forsan provocabunt, sed caveant, ne vitium subreptionis in experiundo committatur. Ergo non est, ut hancce differentiam consideremus, sed difinitionem, de vi ela-

elastica datam completam atque usui loquendi conformem nominare licebit. Necesse tamen erit, ut hic simul ea spectemus, quae de quantitate vis elasticae Cor. 4. h. §. dicta sunt. De modo cognoscendi quantitatem vis elasticae infra dicam.

§ XLI.

Si tandem tertium fundamentum, ex quo corporum diversitates essentiales inferendae, quantitatem nimirum, qua entia, quae corpora illa constituunt, cohaerent vid. §. 31. spectamus, facile patet, diversitatem huius quantitatis variis ex fundamentis sumi posse. Entia enim, quae cohaerent in se invicem agunt (§. 97. Mon.), atque adeo proxime coexistunt (§. 93. Ont.). Sed modus, quo entia, quae obvium corpus constituunt, coexistunt, determinari potest ab eorum figuris (§. 15. Som. & 127. Ont.). Ergo & ex diversitate figurarum eorum entium, quae corpora constituunt, diversitas quantitatis, qua cohaerent, inferri potest. *Alia* itaque est diversitas quantitatis, quam in cohaesione entium corpus constituentium observare licet, ex constitutione virium eorum entium, quae corpora constituunt, sumenda; *alia* quae ab eorum entium figuris determinatur. Illam cohaesionem in corpore observandam brevitatis gratia *primitivam*, hancce *derivativam* nominabo. Corporum itaque diversitatem essentialem hoc ex fundamento explicaturus primitivam entium, quae illa constituunt, cohaesionem, ab illorum cohaesione derivativa distinguere debet.

3) *Explicatur diversitas corporum essentialis ex quantitate, qua entia, quae illa constituunt, cohaerent concipienda.*

COR. I. Quantitas itaque cohaesionis entium, qua corpora fluida a solidis distingui possunt, spectat cohaesionem entium primitivam (Cor. §. 33).

COR. II. Corporum, in quibus cohaesionem derivativam observare licet, constituentia proxima habent figuras, a quibus cohaesio illa determinatur. Derivativam itaque cohaesionem entium, quae obvium corpus constituunt, determinaturus, figuras eorum examinare debet. Atque adeo patet usus Geometriae in determinanda corporum diversitate, quae ex derivativa entium, quae illa

proxime constituunt, diversitate sumi debet (Cor. I. §. 15.). Sed de his alio quodam tempore pluribus.

COR. III. Intelligi inde simul potest, a priori probari posse, quod quantitas cohaesionis a numero punctorum contactus atque vi entium, qua in se invicem sine motu agere possunt, dependeat (§. 97. cum Cor. Mon.). vid. HAMBERGERVM l. c. §. 147. Sch. I.

Variae corporum species, quae inde explicari possunt, indicantur.

SCH. I. Ex cohaesione illa derivativa atque primitiva variae tam solidorum quam fluidorum corporum species deduci atque a priori explicari possunt. Naturam enim tam corporum durorum quam mollium: gradus duritiei quam mollitiei: naturam frigidorum atque calidorum corporum: frigoris atque caloris quantitatem, & ita porro, clare atque enucleate exhibent. Sed quoniam, ut ad specialiora illa descendam, scopus scripti non permittit, necesse est, ut eiusmodi meditationes notionumque evolutiones aliis committam temporibus.

Transitus ad sectionem sequentem.

SCH. II. Hic itaque reliquum tantummodo est, ut varios modos, quibus corpora connecti possunt, variaque illorum consectaria explicem. Et si obiectum illud ita, ut omnes numeros habeat, considerare velimus, necesse erit, ut in omnia corporum genera omnesque illorum species primo inquiramus, atque deinde tam corporum eiusdem quam diversae speciei nexus explanemus, explanataque firmis argumentis confirmemus. Sed ex ratione ante dicta omnia corporum genera omnesque illorum species hic evolvere non possum, nexus itaque illorum corporum, quorum genera possibilitatesque ante explicavi, eorumque consectaria in sequentibus solummodo evolvam, atque ita determinatum obiectum hic generatim modo considerabo.

SOMA-

SOMATOLOGIAE

SECTIO III.

DE

CORPORVM NEXV VARIISQVE EIVSDEM CONSECTARIIS

CAP. I.

DE

NEXV CORPORVM GENERATIM, ATQVE IIS QVAE IMMEDIATE INDE FLVVNT.

§. XLII.

COrpora sunt entia (§. 1.). De nexu itaque entium §. 74. ff. Ont. explicata ad nexus corporum accommodari possunt. Atque adeo corporum nexus explicaturus, eorum nexum entitativum a nexu eorum substantiali atque entitativo-substantiali distinguere debeo. Sed corpora entitative connexa solummodo qua entia spectari possunt. (§. 74. Ont.). Necesse itaque solummodo erit, ut nexum entium substantialem atque entitativo-substantialem ex idea corporis magis determinemus. Sed determinato nexu substantiali, explicatoque nexu entitativo, quae de nexu entitativo-substantiali dicenda, immediate inferri possunt. Ergo necesse solummodo erit, ut de nexu entium substantiali in Ontologia explicata per corporum constitutiones in sequentibus magis determinem. *Ratio instituti.*

§. XLIII.

Omnis nexus substantialis corporum, quae existunt, vel ex eo, quod eorum unum motui alterius sit impedimento, vel ex eorum motu explicari debet. Substantialiter enim corpora existentia connecti nequeunt, nisi quatenus eorum unum in alterum agat (§. 142. Ont.). Sed corpus, qua corpus, agere *Fundamentum, ex quo nexus corporum substantiales explicandi, generale probatum.*

gere nequit, nisi motu, vel ita, vt actioni alterius cuiusdam corporis sit impedimento (§. 20.), & quod impedimentum hocce sit impedimentum motus, patet ex §. 104. Ont. & §. cit. Ergo omnis nexus substantialis corporum existentium vel ex eo, quod eorum unum motui alterius sit impedimento, vel ex eorum motu explicari debet.

COR. I. Corpus motui alterius resistere potest, quatenus ab eodem motum (§. 38. Cor. .). Nexum itaque corporum existentium substantialem, qui ab eo, quod eorum unum sit motui alterius impedimento, dependet, explicaturus, modum, quo eorum unum motui alterius, quatenus ab eodem motum, a modo, quo eorum unum motui alterius, non vero quatenus ab eodem motum, resistit, distinguere debet.

COR. II. Et quoniam secunda nexus corporum substantialis species ex motu corporum deduci debet, permulta consectaria ex principiis, quibus Leges motus tam absolutas quam relativas in Monadologia explicavi, etiam hic inferri possunt.

§. XLIV.

Speciatim explicatur nexus corporum substantialis eorum cohaesione constituitur.

Salva idea corporis fieri potest, ut plura corpora cohaereant. Ponamus duo corpora A & B. Ergo sunt vel entia activa non-spontanea, aut entia activo-passiva, aut eorum unum est activum non-spontaneum, alterum vero activo-passivum. (§. 28. Cor. 2.). *Ponamus primum.* Ergo tam vis, quae corpori A, quam ea, quae corpori B competit, nexu virium entium simplicium activorum non-spontaneorum constituitur (§. 22.), ut itaque eiusmodi corpora salvis illorum ideis cohaerere possint, possibile est (§. 103. Mon.). *Ponamus secundum*, ergo tam vis, quae corpori A, quam quae corpori B inest, nexu virium entium simplicium activorum non-spontaneorum atque passivorum constituitur (§. 22.). Quare, cum multa entia simplicia passiva, mediante vi entis cuiusdam simplicis activi non-spontanei, cohaerere possint (§. 117. Mon.), fieri etiam potest, ut eiusmodi corpora salva corporis idea cohaereant. Idem etiam eodem modo eodemque ex principio de tertio membro, quod ante po-

te posui, valet. Ergo inductionis ope veritas principii demonstrandi patebit.

COR. I. Si itaque corpora, quae proxime coexistunt, non cohaerent, ratio huius non ex idea corporis, sed ex determinationibus quibusdam specificis, aut circumstantiis quibusdam deduci debet. Simul patet, ex principiis, quibus theoremata §. 98. 103. & 117. Mon. posita corroboravi, facili negotio inferri posse, utrum corpora, quae obveniunt, cohaerere possint, nec ne.

COR. II. Ponamus duo corpora cohaerere (quod vi principii in commate demonstrati, poni potest.). Ergo eorum unum in alterum agit (§. 97. Mon.). Atque adeo substantialiter connexa sunt (§. 74 Cor. §. 12. & 10. Ont.). Nexus itaque corporum substantialis eorum ex cohaesione concipiendus inter possibiles referri debet.

§. XLV.

Atque inde deducitur diversitas quaedam nexus corporum substantialis.

A nexu corporum substantiali ad eorum nexum substantialem cohaesione constitutum non valet consequentia. (§. 43. Som. & §. 97. Mon. coll. fin. Cor. 1. §. 44. Som.). Nexus itaque substantialis corporum summa cum ratione dividi potest in nexum, qui cohaesione corporum constituitur, atque qui illorum cohaesionem non involvit. Et hunc iterum duplicis generis esse posse, patet ex §. 43. Requirit enim vel actualem entium motum, vel solummodo, ut eorum unum motui alterius sit impedimento, vide Cor. 1. §. 43.

COR. I. Corpora substantialiter connexa constituunt unum (§. 175. Ph. pr.). Quod est unum ens, si nexus ille substantialis corporum cohaesione constituitur (per dem. §. 129. Mon.). Si vero nexus ille substantialis corporum cohaesione non constitutus, fieri nequit, ut unum, quod inde oritur, inter entia referatur, licet entibus constituatur (§. cit. Mon.). Quare, cum duplex ille nexus corporum substantialis possibilis sit, tam fieri potest, ut ex nexu corporum substantiali novum aliquod corpus oriatur (§. 1.), quam ut inde unum ortum trahat, quod inter corpora minime referendum (§. cit.).

COR. II. Patet inde nova quadam ratione corporum derivativorum possibilitas (§. 32.).

COR. III. Si nexu corporum substantiali novum aliquod corpus constituatur, necesse erit, ut corpora illa hocce in nexu non ut plura corpora, sed ut unum corpus considerentur. Sed, corporis, quatenus ut unum spectatur, natura ante explicata, promisi solummodo evolutionem nexus substantialis plurium corporum, quatenus ut plura corpora considerandа. Ergo etiam de nexu corporum substantiali eorum cohaesione constituto ut pluribus dicam, non necesse erit.

§. XLVI.

Corporum nexum substantialem eorum motu determinatum in abstracto explicaturus, illa ait globos considerare debet.

Si substantialis corporum nexus eorum motu explicari debeat, necesse erit, ut eorum unum in alterum incurrat, vel eorum unum alteri occurrat (§. 88. & 93. Mon.). Ergo corporum dicto modo substantialiter connexorum unius superficies alterius superficiem tangit (§.§. cit. cit. & §. 127. Ont.). Sed corporum superficies diversae esse possunt (§. 15. & 16.). Ergo & eiusmodi corporum nexus consectaria pro diversis illorum superficiebus diversa esse possunt (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.). Quare nexum corporum substantialem, eorum motu determinatum, in abstracto explicaturus corpora sine respectu ad illorum figuras considerare debet. Summa itaque cum ratione physici, dum huncce corporum nexum explicant, corpora solummodo ut globos considerare solent.

Motuum.

SCH. Inde sufficienter intelligitur, cur veram motus caussam ab eiusdem causa occasionali, obvium corporum motum examinaturus, distinguere debeat.

§. XLVII.

Variae determinationes, qua eiusmodi corporum nexus explicaturus, considerare debet, indicantur.

Iam ponamus, corpus A incurrere in aliud quoddam corpus B, facile patebit, consectaria hujus incursus determinaturum constitutiones determinationesque corporis B, in quod A incurrit, a modo, quo in illud incurrit, distinguere debere. Determinationes illae corporis B (quod hic qua corpus

corpus solummodo spectatur) vel ex eiusdem intrinsecis vel ex circumstantiis ipsius extrinsecis sumendae sunt. *Si prius*, sub hypothesibus §. 46. & ante positis patet, corpus B non spectari posse, nisi ratione quantitatis (§. 5. seqq.). Consequens itaque est, ut corpus B atque A, quod in illud incurrit, dictis sub determinationibus considerari debeant, vel quatenus inter se aequalia vel quatenus inter se inaequalia sunt (§. 48. Ph. pr.), & ut in utroque casu quantitas illorum massae ab eorum quantitate extensionis sit distinguenda (§. 13. Cor. 3.).

§. XLVIII.

Si *posterius*, seu si determinationes corporis B ex circumstantiis ipsius extrinsecis sumendae, corpus hocce B vel ita cum aliis entibus coexistit, ut motus, ad quem impetu corporis A determinatur, ab iis immeditate impediri possit, vel non. Ut etiam hanc corporis differentiam diversis nominibus exprimere possem, vellem, quoniam vero etiam eiusmodi nomina desunt, in denominatione composita manebo. *Continuatio prioris.*

SCH. Quae de frictione in mechanicis docentur, hacce ex differentia fluunt. Iis ergo ex principiis, quibus corporum nexum substantialem, dicta ex differentia concipiendum, deinde explicabo, etiam ea, quae mechanicus de frictione corporum docet, deduci atque magis determinari possunt. Scopus vero scripti iubet, ut eiusmodi deductiones hic mittam, alio tamen tempore, si Deo placet, eas docebo.

§. XLIX.

Si tandem modum, quo corpus A in corpus B incurrit, de quo §. 147. dixi, considerare velimus, necesse erit, ut quantitatem impetus a directione, qua A in B incurrit, distinguamus. Prius ut magis determinetur, non necesse erit. Posterius vero ante magis determinari non potest, quam termini quidam explicati sunt. Eos itaque in commate sequenti explicabo. *Adhuc dicta meditatio continuatur.*

§. L.

Centrum gravitatis quid, & quando corpus directe, & quando indirecte in aliud incurrit.

Punctum, per quod corpus in duas partes ratione gravitatis aequales dividitur, *centri gravitatis* accepit nomen. Cuius possibilitatem docet §. 25. Ph. pr. coll. §. 13. Som. & Cor. 1. §. cit. Si itaque corpus A in corpus B incurrit, linea directionis ipsius A vel per centrum gravitatis corporis B transit, vel non. Si prius, *corpus A in corpus B directe* seu *perpendiculariter*, si vero posterius, *illud in hocce indirecte* seu *oblique incurrere* dicitur. Si ergo corpus A in B incurrit, ut in hocce vel directe vel indirecte incurrat, necesse est.

COR. I. Patet itaque, ens simplex in aliud quoddam ens simplex non nisi directe incurrere posse (§. 1. & 89. Cor. 2. Mon.). Quae ergo de incursu entis simplicis in aliud quoddam ens simplex in Monadologia explicata sunt, incursum directum solummodo sp[illegible]ant.

COR. II. Si corpus A alteri B occurrit, ad contrarias directiones mota in se invicem incurrunt (§. 93. Mon.). Quae itaque de incursu corporis in aliud corpus hactenus dixi, ad eorum occursum facile accommodari possunt. Ergo nec necesse erit, ut varia, quae, nexum corporum substantialem eorum occursu determinatum explicaturus, distinguere debet, magis hic determinem.

Transitus ad reliqua.

SCH. Variis hactenus explicatis, quae distinguere debemus, si nexum corporum substantialem & quae inde immediate fluunt, complete explicare, explicataque sufficientibus rationibus confirmare volumus, necesse erit, ut ante generalia quaedam de eodem principia evolvamus, quam ad specialiora descendere licebit. Illa itaque in sequentibus huius capitis commatibus docebo.

§. LI.

Quantitas actus quo corpus in aliud directe.

Corpus, quod est in motu, tota, qua agit, vi in illud ens incurrit, quod in linea directionis suae situm; in illud vero ens, quod in eadem linea non situm, tota, qua agit, vi incurrere nequit.

nequit. Si enim corpus est in motu, terminus motus, ad quem agit, non nisi unicus esse potest (§. 26. Mon. §. 1. Som. §. 127. Ont. & 65. Ph. pr.). Tota ergo, qua agit, vi corpus illud ad terminum motus ad quem tendit. Tota itaque illa vi agit in linea directionis (§. 30. Mon.). Atque adeo in ens, quod in linea illa directionis situm est, tota, qua agit, vi ut corpus illud, quod in motu est, incurrat, necesse erit (§. 88. Mon.). Q. e. p.

Si itaque illud corpus, quod est in motu, in ens aliquod incurrat, quod in linea directionis ipsius minime situm, (quod vi definitionis de corpore poni potest), fieri non poterit, ut tota, qua corpus illud agit, vi in idem incurrat (per. membr. 1. & §. 65. Ph. pr.). Necesse itaque erit, ut vi, ea, qua agit, minori in dictum hocce corpus agat (§. 49. Ph. pr.). Q. e. a.

COR. I. In priori itaque casu, impetus, quo corpus illud, quod in motu est, in aliud agit, aequalis est vi ipsius, qua agit, posteriori vero casu impetus ille eadem vi minor esse debet (§. 88. Mon.).

COR. II. Impetus ergo, quo corpus illud, quod in motu est, in aliud directe incurrit, vi ipsius, qua agit, aequalis esse debet (§. 50.).

§. LII.

Et quo in aliud indirecte incurrit determinatur.

Ponamus corpus A indirecte in corpus B incurrere. Ergo vel totum A in B incurrit, vel solummodo pars ipsius A (cuius membri possibilitatem corporis definitio iterum immediate docebit). *Si posterius*, facile patet, quod *impetus, quo corpus A in B incurrit, sit minor vi, qua totum illud corpus A agit* (§. 88. Mon. coll. §. 49. Cor. Ph. pr.). Si *prius*, aut linea directionis A per totum corpus B transit, aut non. Si illud, linea directionis ipsius A etiam transit per centrum gravitatis corporis B (§ 50.). Ergo A in B directe incurrit (§. cit.). Quare, cum hoc contra hypothesin, ultimum membrum hic solummodo spectari debet. Linea itaque directionis transit solummodo per partem corporis B.

Ergo *impetus, quo A dictis sub determinationibus in partem corporis B incurrit, aequalis est vi, qua totum illud corpus A agit* (§. 51. Cor. 1.). Atque adeo *corpus A, positis illis determinationibus, maiori impetu in partem corporis B, quam in totum hocce corpus incurrit.*

COR. Patet itaque ex §. 51. & 52. 1.) Quo sensu dici possit, quod corpus obvium maiori impetu agat in illud corpus, in quod directe, quam in quod indirecte incurrit. Notetur hic fictio Mechanicorum, quod centrum gravitatis ita, ut totius corporis gravitatem contineat, spectari possit. 2.) Quomodo quantitas ictus, quo corpus tam directe quam indirecte in aliud incurrit, determinanda 3.) Motum corporis explicaturum saepissime partem corporis, ut totum aliquod corpus, spectare debere.

§. LIII.

Explicatur inde 1.) *Modus solvendi cohaesionem partium corporis quod in aliud incurrit.*

Si corpus A in aliud quoddam corpus B maiori vi, quam qua entia, quae illud A constituunt, cohaerent, incurrit, & B solummodo motui partis ipsius A resistit, necesse est, ut cohaesio, qua reliquae partes cum illa connectuntur, solvatur. Ponamus ens A maiori vi, quam qua entia, quae illud constituunt, cohaerent, in B incurrere. Ergo & vis, qua tam pars D quam E agit, est maior vi, qua cum parte C cohaerent. Consequenter cohaesio illa motui illarum partium sufficienter resistere nequit (§. 49. Ont.). Si itaque nulla alia caussa illarum motui resistit, consequens est, ut eundem eadem celeritate continuent (§. 27.). Sed B, quod in A incurrit, resistit solummodo motui partis C (per hyp.). Dictis itaque determinationibus partes D & E motum, non minori celeritate, quam ante, continuare debent. Sed posita illa resistentia necesse est, ut celeritas partis C minuatur (quod eodem modo probari potest, quo principia, §. 90. seq. Monadologiae posita, corroborata sunt). Ergo & cohaesio, qua partes illae cum C connexae sunt, solvi debet (§. 96. Cor. & §. 29. Cor. 3. Mon.).

Fig. 19.

COR.

COR. Deduci inde potest veritas huius principii: *Si partes corporis inaequali quantitate cohaerent, cohaesio illarum partium, quae minori quantitate cohaerent, solvi potest, si corpus illud maiori vi, quam qua partes dictae cohaerent, in aliud quoddam corpus incurrit.*

§. LIV.

Si corpus A in aliud quoddam corpus B maiori vi, quam qua entia, quae corpus B constituunt, cohaerent, incurrit, & vis illa agens non maior est vi, qua entia A constituentia cohaerent, fieri potest, ut cohaesio partium dicti B, in quod A incurrit, solvatur. Veritas huius principii vi §. 27. eodem inferri potest modo, quo modus solvendi cohaesionem Cor. §. 106. & Cor. 2. §. 117. Mon. explicatus.

2.) *Modus solvendi cohaesionem partium corporis in quod aliud incurrit a) & ab alia causa hocce corpus non impeditur.*

COR. I. Si itaque corpus A in partem corporis B maiori vi, quam qua entia, quae corpus B constituunt, cohaerent, incurrit, principia in dem. §. 53. posita docebunt, cohaesionem, qua reliquae partes cum ea, in quam ens A incurrit, connectuntur, solvi. Vide etiam Cor. §. 53.

COR. II. Ponamus hypothesin, quam in commate sumsi, & cohaesionem partium entis B, in quod A incurrit, non solvi, consequens est, ut impedimentum aliquod adesse debeat (§. 104. Ph. pr.). Vide §. 46.

COR. III. Et ita §. 53. & 54. modum solvendi cohaesionem determinatarum obvii corporis partium a priori docent.

§. LV.

Si corpus B motui alterius corporis A, quod in illud incurrit, non sufficienter resistere potest, & tamen ab alio quodam corpore C impeditur, quo minus ab incurrente moveri possit, possibile est, ut corpus B ab incurrente A comprimatur, aut cohaesio partium, quae illud B constituunt, dicto impetu solvatur. Si enim corpus B motui alterius corporis A, quod in illud incurrit, non sufficienter resistere potest, necesse est, ut B motui ipsius A cedat, nisi alia quaedam causa huic sit impedimento

6) *Si ab eadem impeditur.*

mento (§. 27. Som. & §. 104. Cor. Ph. pr.). Sed corpus C solummodo impedit, quo minus B qua totum a corpore incurrente moveri possit (per hyp.). Si ergo fieri potest, ut partes ipsius B moveantur, licet corpus B qua totum spectatum non moveatur, necesse etiam erit, ut eiusmodi partium motus ab incurrente illo A producatur. Sed salva corporis idea eiusmodi partium motus in genere per cohaesionis solutionem, quoad corpora vero porosa speciatim per partium compressionem fieri potest (§. 53. seq. & §. 37.). Ergo & possibile est, ut corpus B impetu corporis A, quod dictis sub determinationibus in illud incurrit, aut comprimatur, aut cohaesio partium illud corpus constituentium solvatur.

COR. I. Et ita a priori alium quendam modum, quo partium corpus constituentium cohaesio solvi potest, quam quos Cor. 3. §. 54. indicavi, perspicimus. Ex quo simul falsitas indivisibilitatis, quam Epicurus Atomis suis tribuit, deduci potest. vide Sch. 2. §. 1. Mon.

COR. II. Et quoniam partes corporis incurrentis, vel maiori vi, quam qua corpus illud incurrit, vel vi eadem minori, vel etiam eidem aequali, & in omnibus illis determinationibus in toto corpore aequaliter aut inaequaliter cohaerent: & partes corporis, in quod aliud incurrit, iterum vel maiori vi, quam qua aliud corpus in hocce incurrit, vel vi eadem minori, vel eidem aequali, atque in omni casu aut in toto corpore aequaliter aut inaequaliter cohaerent: & tandem corpus, in quod aliud incurrit, motui ipsius aut sufficienter aut non sufficienter resistere potest, in ultimo vero casu aut ab alio quodam corpore impeditur, quo minus ab incurrente moveri possit, aut non; facile patet, quomodo principia de solutione cohaesionis hactenus explicata ad phoenomena, quae obveniunt, accommodari possint. Sed mitto meditationes hasce generaliores & ad specialiora descendam.

CAP. II.

CAP. II.

DE NEXV CORPORVM SVBSTANTIALI SPECIATIM, ET PRAESERTIM DE REGVLIS MOTVS, QVAE INDE FLVVNT.

TIT. I.

DE NEXV SVBSTANTIALI CORPORVM SOLIDORVM TAM ELASTICORVM QVAM NON-ELASTICORVM, ET REGVLIS MOTVS, QVAE INDE FLVVNT.

§. LVI.

Hic considerantur 1.) *Corpora perfecte solida, sine respectu ad elasticitatem. Et explicatur h. §. fundamentum generale, ex quo illorum leges motus deducendae.*

Corpora perfecte solida si solummodo ponuntur, primitive inter se cohaerere nequeunt. Vbi nulla vis entium activorum, qua sine motu in alia entia agere possunt, ibi nec possibile est, ut dicta entia primitive inter se cohaereant (§. 41. Som. §. 97. & 111. Cor. Mon.). Sed si corpora perfecte solida A & B solummodo ponuntur, nulla adest vis entium activorum, qua corpus A in B & vice versa sine motu agere potest (§. 33. Som. & §. 49. Ont.). Atque adeo corpora illa perfecte solida si solummodo ponuntur, primitive inter se cohaerere nequeunt.

COR. I. Si itaque cohaereant, necesse erit, ut cohaesio illa sit derivativa, seu ab illorum figuris dependens (§. 41.). Sed nexum corporum substantialem abstractive & a priori explicaturus eorum figuras considerare non potest (§. 46.). Ergo corpora perfecte solida, si solummodo ponuntur, hic ita spectari possunt, ut inter se cohaerere nequeant.

COR. II. Summa ergo cum ratione, corpora perfecte solida si solummodo ponuntur, atque si inter se spectantur, ut entia passiva spectari possunt (§. 111. Cor. Mon. §. 25. Cor. 1. & 26. Cor. 1. Som. §. 20. Ont. 44. Mon. vide §. 98. Mon.). Ergo

& leges motus §. 90. seqq. Mon. explicatae ad eiusmodi corpora accommodari possunt, si modo per ideam corporis magis determinantur. Vide §. 50.

§. LVII.

Inde Leges illorum motus inferuntur sub hypothesi, quod aequalem gravitatem habeant, & quod unum in alterum directe incurrat, aut quod sibi directe occurrant.

Dum leges motus entium passivorum §. 90. seqq. Mon. explicavi, hancce pro certo posui hypothesin, quod ens in aliud incurrens tota vi, qua agit, in idem incurrat. Sed corpus tota vi, qua agit, in aliud corpus non incurrit, nisi in quod directe incurrat (§. 51. seq.). Illas itaque leges motus ad corpora perfecte solida positis sub determinationibus considerata accommodaturus, modum, quo corpus in aliud corpus directe incurrit, spectare debet. Et ita veritas regularum sequentium patet:

I. Si corpus perfecte solidum A in aliud quoddam perfecte solidum corpus quiescens B, cuius gravitas aequalis est gravitati ipsius A, directe incurrit, consequens est

1.) ut corpus A alterum B ad motum sollicitet

2.) ut B motum illum continuet, donec ab alio quodam ente in agendo impediatur. vide §. 48. & 55.

3.) ut A motum suum in eadem directione, sed minori quadam celeritate continuet.

4.) ut motus, ad quem B ab A sollicitatum, maiorem habeat celeritatem, quam motus, quem ens illud A continuat. (§. 90. & 91. Mon. Conf. §. 27. Som.).

II. Si duorum corporum perfecte solidorum, quae aequalem gravitatem habent, atque aequali celeritate moventur, unum alteri directe occurrit, necesse est, ut post impulsum mutata atque contraria directione aequali celeritate motum suum continuent (§. 94. Mon. Conf. §. 27. & 29. Som.). (a)

III. Si duo corpora perfecte solida A & B, quorum gravitates sunt aequales, inaequali celeritate moventur, ita, ut celeritas ipsius A maior sit celeritate alterius B, & eorum unum alteri directe occurrit, consequens est, ut post impulsum

1.) tam

1.) tam B quam A motum suum continuent
2.) directio corporis B non vero corporis A mutetur, &
3.) corpus B maiori celeritate moveatur, quam corpus A (§. 95. Mon. Conf. §. 27. & 29. Som.).

SCH. (a) Non ignoro, quosdam Philosophos contra CARTESIANOS (de quorum principiis vide ANTONIVM LE GRAND l. c. p. 277. seqq.) causſam resilitionis corporum ex eorum vi elastica deducendam esse, defendisse. Idem enim fecit saepe citatus KEILL *in Introductione ad veram Physicam Lect. XIV.*, & PERRALTIVS in Tom. IV. *Tentam. Physic.* Diss. VIII. &c. &c. Sed principia hic demonstrata offerunt causſam, per quam nondum adducor, ut ad horum sententias accedam. Resilitionis enim corporum possibilitatem ex illorum occursu, omissa elasticitate, deduxi, nullam itaque habemus rationem, cur ex elasticitate eam velimus derivare. Fortasse dixerint dissentientes, nullam apparere rationem, cur, posito eiusmodi corporum non-elasticorum occursu, quo aequali vi adversus se invicem secundum contrarias directiones nitantur, corpora illa motum quendam continuarent; at rationem illam principia, quibus positas propositiones corroboravi, sufficienter docebunt.

Explicatur sententia Philosophorum, qui resilitionem corporum ex eorum vi elastica derivant.

§. LVIII.

Si corpus A est in motu, & ipsius motus per aliud corpus B mutatur, mutatio motus semper proportionalis est quantitati vis, qua corpus B in illud A agit, & semper fit in linea recta secundum illam plagam, ad quam vis corporis B, qua in dictum A agit, tendit. Nullum enim corpus sua vi mutare potest motum, quo agit, sed si motus ille mutetur, ut a causſa quadam externa efficiente universa haec mutatio dependeat, necesse erit (§. 27.). Quare, cum effectus vi agenti, a qua dependet, aequalis esse debeat (§. 49. Ont.), veritas principiorum in commate positorum immediate inde patebit.

Principium aliquod generale probatur, ex quo Leges motus deducendae, quarum ope effectus incursus atque occursus indirecti explicari possunt.

COR. Corpus B in illud A, quod in motu est, duplici modo agere potest, motu nimirum, aut ita, ut motui ipsius A sit impedimento (§. 21.). Si prius, fieri potest, ut motus ipsius A

fiat maior, & si posterius, ut eiusdem motus fiat minor (§. 57.). Ergo & ope principii in commate positi determinari potest, quomodo motus corporis A mediante actione corporis B maior aut minor fieri possit.

Meditationes Keillii de eodem indicantur atque quomodo illarum veritas cognosci possit, docetur.

SCH. Acutissimus KEILL l. c. Lect. XI. cum NEWTONO regulam illam motus generalem hisce enuntiavit verbis: *mutatio motus semper est proportionalis vi motrici impressae, & fit semper secundum rectam lineam, qua vis illa imprimitur*, quoniam eorum ex sententia vis impressa est actio in corpus exercita, ad eius statum vel motus vel quietis mutandum. Et eodem ex principio deinde ita ratiocinatus est: *si corpus antea movebatur, motus ex vi impressa productus motui priori vel conspiranti additur, vel contrario subducitur, vel obliquo oblique adiicitur, & cum eo secundum utriusque determinationem componitur.* Dictam itaque regulam motus non in commate solum magis determinavi, sed & quae in corollario ex illa deduxi, offerunt principia, quorum ope meditationes Keillianae explicari atque corroborari possunt.

§. LIX.

Ex principio illo variae Leges motus deduci posse docetur.

Quomodo quantitas vis motricis, qua corpus movetur, & quantitas vis inertiae, qua motui alterius resistit, cognoscenda, in superioribus sufficienter explicavi. De incursu atque occursu corporum generatim sufficienter dixi §. 51. seq. Ergo & ope principii §. 58. demonstrati facili negotio inferri possunt leges, quibus motus corporum perfecte solidorum modificantur, si 1) eorum duo ratione gravitatis aequalia aequali aut inaequali vi indirecte sibi occurrant, aut eorum unum in alterum dictis sub determinationibus indirecte incurrat. 2) si duo corpora perfecte solida ratione gravitatis inaequalia inaequali aut aequali vi directe aut indirecte sibi occurrant, vel eorum unum in alterum dictis sub determinationibus aut directe aut indirecte incurrat. Sed generatim solummodo de hisce dixisse, pro scopo hic sufficiat.

SCH.

SCH. Si corpora perfecte solida in se invicem agunt, aut habent aequalem gravitatem aut inaequalem, & in utroque casu vel vi aequali vel inaequali, & iterum in utroque casu vel directe vel indirecte in se invicem agunt, ita, ut eorum unum vel in alterum incurrat, vel ut unum alteri occurrat. Patet itaque, omnem corporum perfecte solidorum nexum substantialem ex principiis §. 57. & 58. demonstratis, explicari posse. Reliquum itaque solummodo hic est, ut principia quaedam generalia, quibus obvium corporum nexum substantialem, si simul corpora imperfecte solida spectantur, explicare valemus, evolvam atque argumentis confirmem. *Vsus explicatorum indicatur.*

§. LX.

Duo corpora imperfecte solida, & duo corpora, quorum unum imperfecte, alterum vero perfecte solidum, licet sola ponantur, cohaerere possunt. Vbi enim est vis entis simplicis non-spontanei, qua sine motu in aliud ens non-spontaneum agere potest, ibi possibile est, ut entia illa cohaereant (§. 103. 117. 97. Mon.). Sed positis corporibus imperfecte solidis, & positis duobus corporibus, quorum unum imperfecte alterum vero perfecte solidum, eiusmodi etiam vires poni debent (§. 28. cum Cor. Cor. §. 33. §. 25. Cor. 1. Som. coll. §. §. cit cit. Mon.). Ergo & fieri potest, ut dicta corpora, licet sola ponantur, cohaereant. *2) Nexus consideratur substantialis corporum imperfecte solidorum atque corporum perfecte & imperfecte solidorum. Et explicatur hoc §, quomodo cohaerere possint.*

COR. I. Possibilis illa dictorum corporum cohaesio ex constitutione virium entium deducta est, atque adeo haec corpora primitive cohaerere possunt (§. 41.).

COR. II. Possibilis vero est dicta cohaesio, quoniam corpora, quae ponuntur, non sunt perfecte solida. vide §. 56. Quo minor itaque est eiusmodi corporum soliditas, eo facilius fieri potest, ut corpora illa cohaereant. Hocce principium velim ut notent, in rationes legum cohaesionis, quas acumini Ill. HAMBERGERI debemus, inquisituri, facilitatem tamen cohaerendi a quantitate cohaesionis distinguere debent.

§. LXI.

Quae cohaesio a principio extrinseco dependere potest, & inde infertur, quomodo Leges motus ante explicatae ad obvia corpora accommodari possint.

Si corpora imperfecte solida, aut corpora, quorum unum imperfecte, alterum vero perfecte solidum cohaereant, necesse erit, ut conatus activorum entium unius corporis determinati sint ad directionem, in qua alterum corpus situm est (per dem. §. 98. 103. & 117. coll. Cor. 1. §. 117. Mon.). Sed conatus entium simplicium activorum nonspontaneorum certam ad directionem non determinati sunt, nisi determinatio illa a principio quodam extrinseco dependeat (§. 104. Cor. 1. Mon.). Ergo & *a principio quodam extrinseco dependere debet, ut corpora illa cohaereant.*

COR. I. Si vis entis simplicis non-spontanei certam ad directionem determinatur, consequens est, ut ad motum determinata sit (§. 101. & §. 30. Cor. Mon.). Corpora itaque dicta cohaerere nequeunt, nisi principio quodam extrinseco vires entium activorum, quae illa constituunt, ad motum sint determinatae.

COR II. Corpora etiam derivative cohaerere possunt, cuius quantitas simul a numero punctorum contactus dependet (§. 41. Cor. 3.). Ergo & fieri potest, ut quantitas cohaesionis dictorum corporum a quantitate motus, ad quem vires activorum entium, quae illa constituunt, determinatae, dependeat (§. 41. Som. & §. 26. coll. §. 106. Cor. 2. Mon.). Atque adeo facili negotio fieri potest, ut dictorum corporum motus & quae inde fluunt, ope principiorum de motu hactenus demonstratorum explicentur. Mitto itaque haecce corpora atque ad solida, quatenus ut elastica spectantur, transitum faciam.

§. LXII.

2) Tandem considerantur corpora quatenus sunt elastica, & speciatim hoc §. docetur, corpus elasticum vi ela-

Corpus elasticum, si vi quadam externa comprimitur, quatenus est elasticum, in corpus, quod illud comprimit, reagit. Corpus enim elasticum, quod vi externa comprimitur, motui comprimentis etiam conatu se movendi ad locum, quem comprimens occupat, resistit (per dem. §. 39. & §. 40.) Atque adeo conatu illo, consequenter quatenus est elasticum in comprimens agit (§. 91. Ont.). Sed corpus, a quo compri-

comprimitur, in hocce agit (§. 36. Som. & 12. Ont.), & quatenus a corpore quodam comprimitur, est patiens (§. 86. Ont.). Ergo corpus hocce, quatenus est elasticum, in corpus, quod illud comprimit, reagit (§. 95. Ont.).

stica in comprimens reagere.

§. LXIII.

Corpus, quod posita compressione elasticum esse potest, a vi externa non compressum vim elasticam proprie habere nequit, sed facultas admittendi vim elasticam illi dictis sub determinationibus solummodo inest. Primum propositionis membrum immediate ex definitione de vi elastica §. 40. data patet, & secundum eiusdem propositionis membrum §. 28. Ph. pr. sufficienter docet.

Necesse tamen esse, ut corpus in potentia elasticum a corpore elastico proprie sic dicto distinguatur.

COR. Corpus itaque elasticum proprie est corpus, quod posita compressione vim elasticam habere potest. Eo itaque significatu, quo §. 40. corpus elasticum dixi, corpus illud solummodo elasticum est in potentia. Ergo necesse est, ut *corpus elasticum in potentia a corpore elastico proprie sic dicto* distinguamus. Patet itaque, vim elasticam, quam corpori obvio tribuimus, ipsius vim derivativam summa cum ratione nominari (§. 62. Ont.).

§. LXIV.

Si corpus in potentia elasticum vi quadam externa comprimitur, vis ipsius elastica a vi comprimente dependet. Si corpus in potentia elasticum vi quadam externa comprimatur, necesse erit, ut illi vis elastica competat (§. 37. & 39. seq.). Sed corpus in potentia elasticum vim elasticam minime habet, nisi a vi quadam externa comprimatur (§. 62.). Vis itaque illa comprimens rationem sufficientem continet, cur corpori potentia elastico vis elastica insit (§. 183. P. I. Log.). Dependet itaque vis illa elastica, a vi comprimente (§. 43. Ont.).

Et ita patet, quod vis elastica vi comprimenti aequalis sit.

COR. I. Corpus A, quatenus aliud corpus B comprimit, in idem agit, (§. 56. Som. & 12. Ont.). Et corpus B, quatenus habet vim elasticam, in corpus A reagit (§. 61.). Quare, cum vis haec elastica a vi comprimente dependeat, vis elastica corporis

in

in potentia elastici vi comprimenti aequalis esse debet (§. 96. Ont.).

COR. II. Quo maior itaque est vis comprimens corporis A, eo maior etiam vis elastica, quae corpori B hisce sub determinationibus competit, esse debet.

§. LXV.

Ergo vi comprimente corpus elasticum ad motum sollicitari non potest.

Si vis, qua corpus A aliud quoddam corpus B comprimit, aequalis est vi, qua agit, fieri non potest, ut hacce actione corpus B ad motum sollicitet. Si enim vis illa comprimens aequalis est vi, qua totum corpus A agit, etiam vis elastica corporis B vi, qua corpus A agit, aequalis est (§. 64. Cor. 1.). Sed vi illa elastica corpus B actioni corporis A resistit (per. dem. §. 62.). Ergo quantitas, qua corpus B corpori A resistit, aequalis est actioni ipsius. Fieri itaque non potest, ut A actione illa corpus B dictis sub determinationibus ad motum sollicitet (§. 49. Ont.).

COR. Durante itaque compressione illa necesse est, ut tam corpus A quam B maneant in quiete, nisi corpus B alia quadam ratione ad motum sollicitetur (§. 36. Som. & §. 12. coll. 93. Ont.). Et ita patet, quod ex vi elastica resilitio corporum eorumque reflexio minime explicari possit. vide Sch. §. 57.

§. LXVI.

Determinationes, sub quibus corpus elasticum cessante compressione in pristinum statum se restituat, indicantur.

Si corpus A aliud quoddam corpus B in potentia elasticum comprimit, cessante compressione corpus B in pristinum statum se restituit, nisi impedimentum aliquod internum ponere liceat. Si enim corpus A aliud quoddam corpus B in potentia elasticum comprimit, ut corpori B vis elastica competat, consequens est (per dem. §. 63.). Ergo corpus illud compressum habet conatum se in statum pristinum restituendi (§. 40.). Sed remoto omni impedimento conatus ducitur ad actum (§. 16. Cor. 1. Ont.). Ergo & remoto omni impedimento corpus illud compressum in statum pristinum se restituit. Sed remoto impedimento tam externo quam interno omne impedimentum remotum est (§. 104. Ph. pr.). Ergo & impedimen-

pedimento tam interno quam externo remoto corpus illud in ſtatum priſtinum ſe reſtituere debet. Ceſſante vero compreſſione impedimentum externum remotum eſt (§. 63.), & impedimentum internum non adeſt (per hyp.). Ceſſante itaque compreſſione corpus compreſſum dictis ſub determinationibus in priſtinum ſtatum ſe reſtituere debet. Vid. Cor. 4. §. 40.

COR. Si itaque corpus comprimens eam ad directionem moveatur, ad quam vis elaſtica corporis compreſſi tendit, neceſſe erit, ut dictis ſub determinationibus corpus compreſſum in priſtinum ſtatum ſe reſtituat (§. 26. & 30. Cor. Mon. coll. §. 93. Ont.)

§. LXVII.

Et inde effectus dictae reſtitutionis, & quae vis elaſtica in motu corporum, hactenus explicato, mutat, inferuntur.

Si corpus comprimens eam ad directionem movetur, ad quam vis elaſtica corporis compreſſi tendit, & corpus compreſſum interne non impeditur, quo minus vis ipſius elaſtica ad actum duci poſſit, neceſſe eſt, ut celeritas, qua corpus comprimens movetur, a vi elaſtica corporis compreſſi augeatur. Si enim corpus comprimens A eam ad directionem movetur, ad quam vis elaſtica corporis compreſſi B tendit, & corpus compreſſum interne non impeditur, quo minus vis elaſtica ipſius ad actum duci poſſit, corpus illud B in ſtatum priſtinum ſe reſtituit (§. 65.). Ergo B, quatenus ante compreſſum, vi ſua elaſtica corpus A, a quo ante compreſſum, eadem directione, qua illud A movetur, trudit. (per dem. §. 39. Som. & §. 88. Mon.). Atque adeo hocce ictu impetus, quo corpus A dictam ad directionem movetur, fit maior (§. 88. Mon. & 49. Ph. pr.). Ergo & neceſſe eſt, ut motus ipſius A maior fiat (§. 27. Som. & §. 49. Ont.). Conſequens itaque eſt, ut celeritas motus, quo corpus A agit, a vi elaſtica corporis B dictis ſub determinationibus augeatur. (§. 29.).

COR. A genere ad ſpeciem valet concluſio. Quae itaque de corporibus elaſticis hactenus explicavi, ad corpora elaſtica tam perfecte quam imperfecte ſolida facili negotio accommodari poſſunt. Ea ergo quae in occurſu atque incurſu corporum perfecte & imperfecte ſolidorum, ante ſine reſpectu ad elaſticitatem explicatis

catis, vis elastica mutat, iis ex principiis immediate intelligere possumus. Fieri ergo potest, ut omnis dictorum corporum nexus substantialis ex principiis hactenus demonstratis explicetur, eorumque possibilitas inferatur.

Problema resolvendum propositur.

SCH. Posset adhuc quaestio proponi, *utrum fieri possit, ut diversa corpora mediante vi elastica cohaereant?* Quoniam vero & hocce problema ope principiorum de vi elastica hactenus demonstratorum, si modo, quae de cohaesione in Monadologia dixi, conferantur, sine negotio resolvi poterit, de nexu corporum solidorum substantiali pro scopo sufficienter dictum esse, patet.

TIT. II.

DE

NEXV SVBSTANTIALI CORPORVM FLVIDORVM ET REGVLIS MOTVS, QVIBVS ILLE EXPLICARI POTEST.

§. LXVIII.

Perpenduntur. 1.) Corpora perfecte fluida, & probatur fundamentum generale, ex quo illorum nexus substantialis explicari potest.

Corpora perfecte fluida sunt entia activa non-spontanea. Corpus enim perfecte fluidum cohaesione entium simplicium activorum non-spontaneorum solummodo constituitur (§. 33. & §. 1.) eiusmodi itaque corporis vis non est, nisi conatuum nexus (§. 22. Som. & §. 100. Mon.). Sed conatuum nexus potentia esse nequit (§. 15. Ont. & §. 90. Ph. pr. vid. §. 106. Cor. 1. Mon.). Ergo & fieri nequit, ut corpus perfecte fluidum inter entia passiva referatur (§. 20. Ont.). Iisdem ex principiis patet, corpus perfecte fluidum ens activo-passivum minime posse nominari (§. cit. Ont.). Quicquid vero est ens, & tamen nec passivum nec activo-passivum nominari potest, illud certissime inter entia activa referri debet (§. cit. Ont.). Ergo & corpus perfecte fluidum est ens activum (§. 1.). Quod etiam sit ens non-spontaneum, docet Cor. 1. §. 25. & Cor. 1. §. 26.

COR.

COR. Ergo principia, quibus nexus ſubſtantiales entium ſimplicium activorum non-ſpontaneorum §. 101. ſeq. Mon., omiſſa ſimplicitatis idea, explicavi, ad explicationes nexuum ſubſtantialium corporum perfecte fluidorum accommodari poſſunt.

§. LXIX.

Sequentes itaque regulae immediate inde fluunt

Inde Leges ſpeciales quarum ope ſecundum illum facilius obtinere poſſumus, inferuntur.

I. Si duo corpora perfecte fluida, quorum conatus in ſe aequales atque ad contrarias directiones determinati, ita proxime coexiſtunt, ut eorum unum in eo ſit loco, ad quem alterum tendit, & vice verſa, neceſſe eſt, ut eorum unum impediat, quo minus alterum moveatur, & vice verſa (per dem. §. 102. Mon. & vid. §. 27. Som.). Inde patet

II. Corpora perfecte fluida cohaerere poſſe (§. 103. Mon. conf. §. 60. Cor. 2. Som.).

III. Si corpus perfecte fluidum A in aliud quoddam corpus perfecte fluidum B quocunque impetu incurrit, fieri poteſt, ut cohaeſio entium, quae corpus B conſtituunt, quatenus A in hocce incurrit, ſolvatur (Cor. 1. §. 196. Mon.). Si ergo

IV. Duo corpora perfecte fluida A & B quocunque impetu ſibi occurrunt, fieri poteſt, ut A cohaeſionem partium, quae B conſtituunt, & B cohaeſionem partium, quibus A conſtituitur, quatenus ſibi occurrunt, ſolvat (§. 93. Mon.).

COR. Explicari itaque inde poſſunt, quae de mixtione, adſcenſu & deſcenſu &c. fluidorum, experientia docet Sed de his alio quodam tempore pluribus. vide interim §. 106. Mon.

§. LXX.

Corpora imperfecte fluida etiam imperfecte ſolida nominari poſſunt. Corpori enim imperfecte fluido etiam entia paſſiva atque adeo ſoliditas quaedam ineſt (§. 33.). Sed corpora, quibus ſoliditas quaedam competit, etiam inter ſolida referri poſſunt (§. cit.). Ergo & corpora imperfecte

2) *Conſideran-tur corpora imperfecte fluida, & docetur h. §. principium generale, ex quo ea, quae*

per illorum nexum possibilia deduci possunt.

fluida certo respectu solida sunt. Sed perfecte solida esse nequeunt (§. cit. vide §. 34.). Ut itaque inter imperfecte solida referantur, necesse est.

COR. Quae ergo de nexu corporum imperfecte solidorum §. 60. s. explicavi, ad corpora imperfecte fluida, facili etiam negotio accommodari possunt.

§. LXXI.

Ex fundamento illo generali Leges quaedam speciales inferuntur.

Patent itaque regulae

I. Corpora imperfecte fluida, licet soliditas, quae illis inest, inaequalis, primitive cohaerere possunt, & quidem eo facilius, quo minor est soliditas, quae illis inest (§. 60. & Cor. 2. §. cit.).

II. Si corpora imperfecte fluida cohaereant, necesse erit, ut illorum vires principio quodam extrinseco ad motum sint determinatae (§. 61. Cor. 1.). Fieri etiam potest, ut quantitas illorum cohaesionis a quantitate motus, ad quem eorum vires determinatae, dependeat (§. cit. Cor. 2.).

Quomodo principia illa magis determinari possunt, indicatur.

SCH. Possem etiam de fluidorum tam perfecte quam imperfecte talium incursu atque occursu directo atque indirecto, item de iis, quae ex vi elastica corporum fluidorum fluunt, speciatim hic dicere. Quoniam vero, quae de corporum incursu atque occursu tam directo quam indirecto §. 51. seqq. & de vi elastica §. 62. seqq. generatim explicavi, ex idea fluidi tam perfecte quam imperfecte talis nullo fere negotio magis determinari possunt, ut de fluidorum nexu substantiali pluribus hic dicam, pro scopo non necesse erit.

TIT. III.

DE

VARIIS MODIS, QVIBVS CORPORA FLVIDA CVM SOLIDIS ET SOLIDA CVM FLVIDIS SVBSTANTIALITER CONNECTI POSSVNT.

§. LXXII.

De nexu fluidorum & solidorum cohaesione constituto.

Fieri posse, ut duo corpora, quorum unum fluidum alterum vero solidum, licet sola ponantur, cohaereant, docui in dem. §. 60. Et iisdem ex principiis patebit, fieri posse, ut plura solida mediante fluido cohaereant. Entia, quae cohaerent, substantialiter sunt connexa (§. 97. Mon. & §. 12, 10. & Cor. 74. Ont.). Ergo & possibile est, ut plura solida mediante fluido substantialiter connexa fiant. Et quoniam porro entia, quae cohaerent, unum ens compositum constituunt (§. 1.), a priori etiam intelligimus, quomodo fieri possit, ut plura corpora solida mediante fluido, unum ens compositum constituant. Utrum vero hocce ens compositum inter solida, an inter fluida corpora referri debeat, ex §. 33. facile determinari poterit.

COR. Iisdem ex principiis facile patebit, fluidum corpus cum solido eo facilius cohaerere posse, quo minor huius soliditas in relatione ad illius soliditatem. Et quoniam corpora perfecte solida inter se ut entia passiva, & corpora perfecte fluida ut entia activa non-spontanea, spectari possunt (Cor. 2. §. 56. & §. 68.), non-nulla etiam principia ex illis, quae §. 115. seq. Mon. demonstravi, hic inferri possunt, quae in rationes legum, de quibus Cor. 2. §. 60. dixi, inquisituri, notare debent, & quae propositiones, de dictorum entium cohaesione positas, magis determinant.

§. LXXIII.

De nexu illarum substantiali ex incursu solidi in fluidum

Si corpus solidum in corpus perfecte fluidum incurrit, necesse est, ut cohaesionem partium fluidi, quatenus in hocce incurrit, solvat. Corpus enim perfecte fluidum solummodo cohaesione activorum entium non-spontaneorum constituitur (§. 33.). Si itaque aliud quoddam corpus in hocce ad aliam directionem, quam ad eam, qua partes fluidi ut cohaerentes spectari possunt, incurrit, necesse est, ut dictarum partium cohaesio, quatenus illud in hocce incurrit, solvatur (Cor. 1. §. 106. Mon.). Si vero corpus solidum in fluidum illud incurrit, incursus hicce dictis sub determinationibus spectari potest. Ergo & consequens est, ut cohaesionem partium fluidi, quatenus in hocce incurrit, solvat.

COR. Ponamus fluidum illud, in quod corpus solidum incurrit, esse imperfecte tale, iisdem ex principiis, si modo §. 54. conferatur, facile inferri poterit, quibus sub determinationibus impetus solidi cohaesionem fluidi, in quod incurrit, solvere debeat.

§. LXXIV.

De fluidi in solidum constituto.

Si corpus perfecte fluidum in solidum incurrit, ita, ut solidum motui partis fluidi incurrentis solummodo resistat, necesse est, ut cohaesio, qua reliquae fluidi partes cum illa connectuntur, solvatur. Principia, quae demonstratio propositionis §. 73. positae, exhibet, si modo §. 53. conferatur, etiam hocce theorema confirmabunt.

Quomodo principia illa magis determinanda, indicatur.

SCH. Dixi de incursu solidi in fluidum & fluidi in solidum. Quae ex differentia specifica incursus directi atque indirecti deducenda §. 51. s. explicavi. Ergo & theoremata hic demonstrata illis ex principiis facili negotio magis determinari possunt.

§. LXXV.

§. LXXV.

Et inde deducitur quomodo fluidum solido resistere possit.

Fluidum, qua tale, motui corporis solidi sufficienter resistere nequit. Fluidum enim corpus motui corporis solidi resistere nequit, nisi corpus solidum in illud incurrat (§. 83. Mon. & 93. Ont.). Si vero solidum in fluidum, qua tale, incurrit, cohaesionem partium fluidi, quatenus in hocce incurrit, impetu suo solvit (§. 73.). Ergo & corpus solidum motum suum in ea continuat loca, in quibus fluidi partes, quarum cohaesio illius actione soluta, ante fuerunt (per dem. §. 93. Ont. & Cor. 1. §. 106. Mon.). Atque adeo fieri nequit, ut qua fluidum motui corporis solidi sufficienter resistat (§. 104. Cor. Ph. pr.).

Quod principium magis explicatur.

SCH. I. Idem principium etiam ex Cor. 2. §. 89. inferri potest, & hac ex probatione coll. §. 33. simul patebit veritas principii a permultis Physicis affirmati, *quod resistentia fluidi eo maior sit, quo maior in eodem soliditas.* Minime tamen inde deduci poterit, *fluidum nullo modo alterius cuiusdam corporis motui resistere, si omni soliditate destitutum.* Fluidum enim, qua tale, nexu entium activorum non-spontaneorum constituitur (§. 33.), entia vero etiam activa non-spontanea motui eius, quod in illa incurrit, resistere, docet §. 89. Mon.

Et usus demonstratorum docetur.

SCH. II. Si substantia A in agendo impeditur, sed ita, ut impedimentum sit minus actione ipsius A, status agendi ipsius A in alium quendam agendi statum mutatur (§. 51. Ont.). Si corpus solidum in fluidum, qua tale, incurrit, solidum in agendo impeditur (Sch. 1.), sed ita, ut impedimentum sit minus actione solidi (h. §.). Ergo & necesse est, ut status agendi corporis solidi in alium quendam agendi statum mutetur. Possem itaque ex demonstratis simul explicare, 1) quomodo fieri possit, ut fluidum efficiat, ut corpus incurrens motum suum in linea curva continuet, 2) quomodo ea fieri possint,

sint, quae de natationibus solidorum experientia docet. &c. &c. Possem hic etiam ea explicare, quae tam fluidi quam solidi gravitas specifica eorumque vis elastica in eorum nexu substantiali magis determinat. Sed qui ea, quae de nexu corporum substantiali hactenus explicavi, intelligit, eiusmodi etiam conclusiones immediate, nulloque negotio inferre poterit.

Scopus scripti iubet, ut ponatur

SOMATOLOGIAE

FINIS.



ELEMENTA

ELEMENTA MECHANOLOGIAE

QVIBVS

NATVRA ATQVE CONSTITVTIO

MACHINARVM QVA TALIVM EARVMQVE AFFECTIONES ATQVE POSSIBILITATES EX PRINCIPIIS HACTENVS EXPLICATIS DEDVCVNTVR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-151887322-13/fragment/page=0477

MECHANOLOGIAE

CAP. I.

DE

MACHINARVM IN SE SPECTATARVM ESSENTIA ATQVE DETERMINATIONIBVS INTRINSECIS.

§. I.

VAria entia, quatenus connexa sunt, unum constituunt (§. 175. Ph. pr.). Ergo & inde unum ortum trahere debet, si varia entia ita connexa sint, ut eorum unum operationes alterius determinare possit. Eiusmodi nexus possibilitas inferri potest ex iis, quae de nexu substantiali entium tam simplicium, quam compositorum hactenus demonstravi. Ergo & unum dicto ex nexu concipiendum possibile est. Eiusmodi unum *systema entium* dicitur. Ergo non intelligimus solum fundamentum, ex quo systematis entium conceptus, sed & eiusdem possibilitas deduci possit. *Systema entium unde concipiendum atque possibile.*

COR. I. Si itaque plura entia systema aliquod constituant, necesse erit, ut substantialiter connexa sint (§. 74. Cor. Ont.). Minime tamen ex nexu entium substantiali, entia illa systema aliquod constituere, inferri potest. (§. 80. Cor. 2. Ont.).

COR. II. Systema entium est unum, quod nexu plurium entium constituitur. Consequens ergo est 1.) ut sit unum contingens (§. 82. Cor. Ont. & 155. Ph. pr.). 2.) ut inter possibilia secundi ordinis atque adeo inter finita referri debeat (§. 153. Cor. 1. Ph. pr. & 165. Cor. Ont.). Ergo & omnia, quae de contingentia, de possibili secundi ordinis, atque de finitis in superioribus demonstravi, ad systema entium accommodari possunt. 3.) ut systema entium inter entia spontanea minime referri possit (§. 26. Som.).

COR. III. Patet simul data ex definitione, unum, quod ente spontaneo atque schemate perceptionum constituitur (§. 123. Cor. 2. Mon.), esse systema entium (§. cit. seqq. Mon.).

Vius loquendi datae definitionis probatur.

SCH. Systema sensu generaliori omnium consensu eiusmodi possibilium connexio dicitur, vi cuius eorum unum continet rationem eius, quod in altero esse intelligitur. Ita etiam series veritatum, in qua una ex altera deducitur, sensu logico systema dicitur. Systema itaque entium sensu latiori erit unum, quod ex eiusmodi entium connexione constituitur, vi cuius eorum unum continet rationem eius, quod in altero esse intelligitur. His praemissis, quaeso, ut evolvas characteres, quorum ope nexum entium, quem systema nominamus v. g. *systema corporis humani*, *systema mundi*, *systema civitatis*, ab aliis entium connexionibus distinguimus, certissime huncce characterem discretivum concedes, quod in entium systemate unum ens operationes alterius determinet, seu potius, (quoniam non semper ex determinationis actu, sed & ex eiusdem possibilitate systematis notionem formamus,) determinare possit. Systema itaque entium usui loquendi convenienter explicatum esse, sufficienter probavi.

§. II.

Systema illud entium cohaesione non constituitur.

Vnum, quod entium cohaesione constituitur, systema entium nominari nequit. Quo enim respectu entia non ita connexa sunt, ut eorum unum operationes alterius determinare possit, eo etiam respectu dici nequit, quod systema entium constituant (§. 1.). Ergo plura entia systema entium constituere nequeunt eo respectu, quo vis unius operationi alterius resistit (§. 104. Ph. pr.). Sed quatenus cohaerent, eorum unum operationi alterius resistit (per dem. §. 97. Mon.). Ergo unum, quod entium cohaesione constituitur, quatenus nimirum eadem constituitur, systema entium dici nequit.

COR. I. Entia, quatenus cohaerent, constituunt corpus seu ens compositum (§. 1. Som.). Corpora itaque seu entia composita, qua talia, inter systemata entium referri nequeunt. Atque adeo simul patet, systema entium, qua tale, corpus seu ens compositum minime nominari posse. Vide Cor. 4. §. 1. Som. Ergo nec unum, quod ente spontaneo atque schemate perceptionis constituitur, unum ens nominari potest (§ 1. Cor. 3.).

COR. II.

COR. II. Et ita sufficienter intelligitur, quod saepissime monui, aliud nimirum esse unum, compositione entium constitutum, aliud vero esse unum, quod ens compositum nominari potest.

§. III.

Ponamus entium systema, ergo entia, quorum nexu illud constituitur, sunt vel spontanea vel non. Si *prius*, eorum nexum, quo dictum systema constituitur, explicat §. 107. seqq. Mon. Si *posterius*, aut sunt ex altera parte spontanea, ex altera vero non-spontanea, aut omnia, quae dicto modo connectuntur, sunt entia non-spontanea. Si *prius*, nexum, quo systema constituunt, §. 118. seqq. Mon. determinat. Si *posterius*, aut sunt mere passiva entia, aut non. Si *prius*, nexum, qui hic spectari debet, explanat §. 83. seqq. Mon. & si *posterius*, aut sunt entia activa non-spontanea, aut ex altera parte sunt entia passiva, ex altera vero activa non-spontanea. Si *prius*, eorum nexus, quo systema constituitur, ope principiorum, §. 100. seqq. Mon. demonstratorum, illustrari potest. Et si *posterius*, §. 113. seqq. Mon. principia, quibus nexum, de quo ante dixi, explicare possumus, offerunt.

Variae tamen eius species cogitari possunt, & principia indicantur, quorum ope illae explicandae.

COR. Concipi itaque potest systema entium spontaneorum, systema entium non-spontaneorum, systema entium spontaneorum & non-spontaneorum, &c. &c. Facile vero patebit, scopum huius Metaphysices partis solummodo requirere, ut systemata entium non-spontaneorum explicentur, magisque ex principiis hactenus evolutis determinentur. Fiat id itaque in sequentibus huius partis commatibus.

§ IV.

Systema entium non-spontaneorum est, quod proprie *machinam* nominamus. Est itaque *machina* unum, eiusmodi entium non-spontaneorum nexu constitutum, quo eorum unum operationes alterius determinare possit (§. 1.). Operationes entium non-spontaneorum sunt motus (§. 1. Mon. & 1. Som. 34. & 48. sqq. Mon. & §. 20. Som.). Ergo machina est unum, eiusmodi entium non-spontaneorum nexu constitutum,

Inter species illas etiam machina referri debet, de qua hic speciatim.

tutum, quo eorum unum motum alterius determinare possit.

COR. Quae itaque de systemate entium ante explicavi, etiam ad machinam accommodari possunt. Hancce modo conclusionem, velim, ut adhuc notes, quod unum, nexu entis spontanei atque schematis perceptionis constitutum (de quo §. 123. Cor. 2. Mon. dixi), machina minime possit nominari.

Usus loquendi probatur.

SCH. I. Eiusmodi de machina interpretationem in more nondum positam esse, non-nulli forsan affirmabunt. Sed evolvamus varios conceptus, quos de Machina Philosophi formaverunt, & ratione nostrae explicationis inde deducta, de eius veritate Lectores Philosophi existimabunt. Sunt qui terminum machinae latiori, quam, mea sententia, par est, significatu sumunt, *machinam esse ens, cuius mutationes rationem sufficientem agnoscunt in essentia illius*, affirmantes, atque adeo, data pro notione machinas *in corporeas* atque *incorporeas* dividendo, animam inter machinas incorporeas referendam esse, existimant. Vide acutissimi HANSCHII *Demonstrationes Princip. Phil. Leibnitii* Def. 213. seqq. Hocce vero significatu terminum machinae sumere non possum. Definitiones quidem nominales arbitrariae sunt, & dogmata Doctoris ita, ut definitiones, quibus terminos explicavit, permittunt, interpretari debemus; eiusmodi tamen significatus termini extensio, qua sine dubio usus loquendi etiam receptus violatur, non logomachias solum, sed forsan etiam committendo fallaciam dicti simpliciter conclusiones veritati contrarias producere potest.

Continuatio dicti.

SCH. II. Mechanici *per Machinam intelligunt omne, quod ad motum producendum conducit, ut vel virium vel temporis compendio efficiatur*, vide *Elementa Mechanicae* Ill. WOLFII §. 745. Sed patet, eo in significatu id, quod machinam constituit, ab eo, quod instrumentum nominari debet, vide §. 107. seqq. Ont, non sufficienter distingui. Quod inde etiam intelligi potest, quoniam permulti Mechanici *vectem, cuneum &c.* non machinas, sed instrumenta nominant. Qua ex ratione etiam Ill. WOLFIVS, qua Metaphysicus, §. 65.

Cosm.

Cosm. per machinam intelligit *ens compositum, cuius mutationes modo compositionis convenienter beneficio motus consequuntur.* Per ens compositum hac in definitione Ill. Philosophum nil posse intelligere, nisi unum compositione seu nexu entium constitutum, minime vero ens compositum proprie atque stricte sic dictum, cuius constitutionem in Somatologia explicavi, ex toto ipsius systemate Cosmologico sufficienter patet. Est itaque ex sententia Philosophi machina systema aliquod entium (§. 1.). Iam inquiramus in constitutiones entium, quibus eiusmodi systema vi loquendi usus componi possit. Si sumas spontanea, certissime etiam Respublica erit machina, sed forsan moralis? cur etiam non cogitemus atramentarium & capillamentum morale? si sumas nexum spontaneorum atque non-spontaneorum, iterum Respublica erit machina. Etc. &c. Ergo entia, quae machinam constituunt, vi loquendi usus etiam recepti non-spontanea esse debent. Atque ita vides rationem, cur machinam determinato modo explicaverim. Non sine usu legi hic possunt meditationes CHAVVINI in Lex. Phil. sub Tit. *Machina.*

§. V.

Omnis machina habet certam quandam structuram.

Constituentia machinae sunt entia (§. 4.). Ergo quorum unum extra alterum existit (§. 8. Ont.). Ergo & quodlibet eorum determinato quodam modo ceteris coexistere debet (§. 127. Ont.). Determinati illi modi, quibus partes machinae coexistunt, dant *structuram machinae.* Ergo & machina sine structura quadam existere nequit.

COR. I. Ergo & plura ex illis, quae de loco relativo §. 129. seqq. Ont. & de nexu entitativo §. 74. seqq. Ont. explicavi, hic inferri possunt consectaria.

COR. II. Patet simul, omnia, quae de structura compositorum, omissa cohaesionis idea, in Somatologia explicavi, ad machinam accommodari posse. Hasce modo, velim, ut adhuc notes conclusiones: 1) diversitatem structurae machinae a diversitate in modo, quo entia machinam constituentia coexistunt, dependere. 2) Ex eo, quod diversae machinae diversam habeant

structu-

structuram, non posse inferri, quod etiam diversis entibus sint constituta (§. 77. seqq. Ont. & §. 159. Ph. pr.). 3) Machinam ex aliquo oriri, & sine annihilatione interire, atque adeo successive interire atque oriri posse (per dem. §. 10. Som. & Cor. 1. §. cit.). 4) Ex eo, quod machina oriatur aut intereat, non posse inferri, nisi quod accidens aliquod oriatur aut pereat (Cor. 2. §. cit.). Etc. &c.

§. VI.

Varia, quae in machina absolute distinguenda, indicantur.

Omnia, quae in machina in se seu absolute spectata, distingui possunt, vel entia, quibus machina illa constituitur, vel eorum multitudinem, vel structuram, vel nexum, quo eorum unum motum alterius determinare possit, spectant. Quae propositio eodem modo corroborari potest, quo principium §. 6. Som. positum confirmatum est, si modo ea mutentur, quae definitio de machina §. 4. data mutari iubet. Quoniam vero eiusmodi mutatio facili negotio fieri potest, non necesse est, ut demonstrationem huius principii magis hic evolvam.

COR. Quod determinatam entium multitudinem non spectare debeat essentiam machinae determinaturus, eodem modo patebit, quo principium §. 7. Som. positum confirmavi. Ergo & machinae, salva essentiarum identitate, ratione dictae multitudinis diversae esse possunt (vid. Cor. 1. §. 7. Som.). *Atque adeo machinae absolute spectatae diversae esse nequeunt, nisi ratione structurae, aut ratione entium, quibus constituuntur, aut ratione nexus, quo eorum unum motum alterius determinare possit* (vid. Cor. 2. §. cit. Som.).

§. VII.

Ex quibus machinae essentialia inseruntur.

Inter essentialia machinae referri nequeunt, nisi ipsius structura, entia quibus constituitur, atque determinatus illorum nexus, quo eorum unum motum alterius determinare possit. Possunt vero illa machinae essentialia nominari. Quibus enim machinae absolute spectatae diversae esse nequeunt, nec inter illarum essentialia referri possunt (§. 28. Pr. Log.).

Ergo

Ergo nec inter essentialia machinae referri possunt, nisi ipsius structura, entia, quae illam constituunt, atque determinatus nexus, quo eorum unum motum alterius determinare possit (§. 6. Cor.). Q. e. p.

Quod vero, quae posui, machinae essentialia nominari possint, ita evinco: Posita machina, poni etiam debent entia, quae illam constituunt, determinatus nexus, quo eorum unum motum alterius determinare potest, atque determinata structura (§. 4. seqq.). Sed nec eorum unum alterum determinat, nec, quae posui, in alio quodam, quod machinam ingreditur, rationem habent. (*Primum* ita evinco: Ex eo, quod plura entia ponantur, nec inferri potest, quod entia illa ita connexa sint, ut determinato quodam modo eorum unum motum alterius determinare possit (quod variis modis ex principiis in Monadologia atque Somatologia demonstratis deduci potest), nec quod hoc & non alio modo coexistant (§. 76. seqq. Ont.). Et ex eo, quod plura entia dicto modo connexa sint, inferri quidem potest, quod plura entia adsint, & quod certo quodam modo coexistant (§. 5.), minime vero, quod haec & non alia entia hoc & non alio modo coexistant (§. 76. seqq. Ont. coll. principiis, quibus nexum substantialem tam entium simplicium, quam corporum explicavi.). Modus ille coexistendi dat structuram machinae (§. 5.). Eorum ergo, quae posui, unum alterum non determinat. *Secundi membri* veritatem definitio de machina §. 4. data immediate docet). Quae itaque posui, ea sunt, quae primo loco in machina ponenda (§. 4. Ph. pr.), atque adeo essentialia machinae summa cum ratione nominantur (§. 17. Ph. pr.).

COR. Entia, quae machinam constituunt, sunt non-spontanea (§. 4.). Essentiam itaque machinae determinaturus entia non spontanea spectare debet.

§. VIII.

Omnium essentialium compositio est rei, cuius sunt essentialia, essentia (§. 17. Cor. 2. Ph. pr.). Essentia itaque machi- *Atque inde essentia machinae determinatur.*

machinae consistit *in determinata structura eiusmodi datorum entium non-spontaneorum nexu, quo eorum unum motum alterius determinare possit, constituta.* (§. 7.).

COR. I. Definitio itaque §. 4. de machina data ipsius definitio essentialis nominari debet. Et simul patet, quod tria spectare debeat obviae machinae essentiam determinaturus, *primo* scilicet entia, quae illam constituunt, *deinde* structuram, & *tandem* dictorum entium nexum, vi cuius unum ens alterius motum determinare potest.

COR. II. Et ita tam convenientia quam essentialis differentia corporum atque machinarum abunde perspici potest. Ergo &, quae de corpotibus, omissa cohaesionis idea, §. 12. seqq. Som. demonstravi, ad doctrinam de machinis accommodari possunt. Vid. §. 9. cum Cor. Cor. Som. & §. 2. Mech.

§. IX.

Eiusque possibilitas demonstratur.

Machinae sunt possibiles. Entia enim non-spontanea ita connecti posse, ut eorum unum motum alterius determinet, ex iis, quae de entium non-spontaneorum nexu substantiali tam in Monadologia, quam in Somatologia explicavi, multis partibus probari potest. Ergo & determinatae structurae eiusmodi datorum entium non-spontaneorum nexu, quo eorum unum motum alterius determinare possit, constitutae, possibiles sunt (§. 127. seqq. Ont. & §. 5. Mech.). Ideoque essentia machinae possibilis est (§. 8.). Sed posita essentia etiam id poni debet, cuius est essentia (§. 15. & 6. Ph. pr.). Ergo & summa cum ratione, machinas possibiles esse, affirmamus.

§. X.

Scopus quid.

Scopus seu *finis sensu generaliori sumtus* est, in quo ratio reperitur, cur aliud quiddam fiat.

COR. Scopus itaque inter principia referri debet (§. 163. Ph. pr.). Qua ex ratione etiam *caussa finalis* dicitur. Et quoniam in scopo solummodo ratio reperitur, cur aliud quiddam fiat, facile patebit, scopum non esse principium sensu metaphy-

sico,

sico, sed analytico (§. 167. Ph. pr.). Ergo & ea, quae de principio seu caussa, generatim sumta, atque speciatim de principio, sensu analytico sumto, in Ph. pr. explicata sunt, ad doctrinam de scopo atque caussa finali accommodari possunt. vide quae §. 57. seqq. Mon. demonstravi.

SCH. Et ita intelligimus, cur Scholastici affirmaverint, quod posita caussa finali etiam *materiale ipsius*, *ratio caussandi* atque *caussalitas* poni debeat. vid. §. 163. Cor. Cor. & 164. Ph. pr. coll. §. 99. Ont. & quod materiale ipsius tam ens quam accidens esse possit, ratio vero ipsius caussandi sit *potentia allicitiva*, & caussalitas τὸ *allicere*. Sed de his infra pluribus. Interim, velim, ut evolvas, quae VELTHEMIVS in Inst. Met. p. 1467. seqq. de caussa finali explicavit. *De quo ex Philosophia Scholasticorum quaedam explicantur.*

§. XI.

Si ens quoddam agat, necesse etiam erit, ut scopus actionis ipsius ponatur. Si enim ens aliquod agit, in statu substantialitatis completae spectari debet (§. 33. Ont.). Quatenus itaque ens agit, illi aliquid praeter quidditatem suam tribuitur, (§. cit. coll. §. 26. & §. 4. seqq. Ont.). Sed sine ratione sufficiente de ente praeter quidditatem suam nil affirmari potest (§. 111. Ph. pr.). Ergo & adesse debet, in quo ratio reperitur, cur ens illud agat. Atque adeo necesse erit, si ens quoddam agat, ut scopus actionis ipsius ponatur (§. 10.). *Omnis entis actio scopum habere debet.*

COR. Quicquid est caussa efficiens stricte sic dicta, id spectari debet, ut ens agens (§. 104. Cor. 2. Ont.). Posita itaque caussa efficiente etiam scopus actionis ipsius poni debet.

§. XII.

Nulla machina existere potest, nisi caussa quadam efficiente sit constructa. Nulla enim machina existere potest, nisi contingenter (§. 1. Cor. 2.). Si itaque existit, existentia illi tribuitur, praeter quidditatem suam (§. 145. Ph. pr. conf. §. 149. Ph. pr.). Ergo & ratio sufficiens fiendi, per quam machina illa est existens, existere debet (§. 114. Ph. pr.). Ex- *Ergo & in omni machina scopum quendam ponere debemus.*

istere itaque debet caussa, quae in actione sua rationem efficientem actualitatis dictae machinae continet (§. 98. & 12. Ont. coll. §. 105. Ph. pr.). Quare, cum eiusmodi caussa caussa efficiens dicatur (§. 104. Ont.), machinam non posse existere, nisi a caussa quadam efficiente sit constructa, patet.

COR. Si itaque machina existit, consequens est, ut scopus quidam poni debeat, ex quo intelligi possit, cur a caussa efficiente sit constructa (Cor. §. 11.). Et hunc scopum brevitatis gratia post haec scopum machinae nominabo.

Fundamentum, ex quo idem principium etiam alio modo probari potest, indicatur.

SCH. Quod posita machina etiam scopus ipsius poni debeat, etiam eodem fere modo inde probari potest, quoniam machinae constituentia ita connexa sunt, ut eorum unum motum alterius determinare possit.

§. XIII.

Et inde perfectio machinae explicatur.

Scopus machinae est commune aliquod fundamentum, ex quo coniunctio eorum, quae machinam constituunt, explicari debet (Cor. §. 12.). Quatenus itaque entium, quae determinatam machinam constituunt, coniunctio ex scopo machinae explicari potest, eo etiam respectu machina illa perfecta nominari debet (§. 191. Ph. pr.). Machinae ergo perfectio est consensus entium, quae machinam constituunt, cum ipsius scopo (§. 190. Ph. pr.).

COR. I. Consequens itaque est, 1) ut machinae, quarum scopi diversi, etiam essentialiter differant (§. 8.). 2) ut scopus machinae det regulam perfectionis ipsius (§. 191. Cor. 1. Ph. pr.). 3) ut perfectionem machinae explicaturus scopum machinae intelligere, atque in consensum entium, quae machinam illam constituunt, cum scopo inquirere debeat (§. 191. Cor. 2. Ph. pr.).

COR. II. Patet simul principium, cuius ope gradus perfectionis in obvia machina observandae determinari possunt. *Quo maior nimirum variorum, quae machinam constituunt, consensus cum scopo machinae, eo maior etiam est ipsius perfectio.* Quod principium ex Cor. 2. §. 196 Ph. pr. facili negotio magis determinari potest. Et quoniam eodem negotio plura, quae de machina-

chinarum perfectione dicenda, ex iis, quae §. 192. seqq. Ph. pr. de perfectione generatim explicavi, inferri possunt, pro scopo scripti non necesse erit, ut de eadem pluribus hic dicam.

CAP. II.

DE

VARIIS MODIS QVIBVS MACHINAE DIVERSAE ESSE POSSVNT, ATQVE PRINCIPIIS, QVAE INDE IMMEDIATE FLVVNT.

§. XIV.

FVndamenta, quorum ope machinarum diversitates explicari possunt, determinabo. Ergo & necesse erit, ut ea, ex quibus machinarum diversitates accidentales deducendae, ab iis, ex quibus earum diversitates essentiales fluunt, distinguam. Primo de illis, & deinde de hisce dicam. Diversitates machinarum accidentales ex iis sumi debent, quae salvis machinarum essentiis adesse atque abesse possunt. Essentia machinae consistit in determinata structura eiusmodi datorum entium non-spontaneorum nexu constituta, quo eorum unum motum alterius determinare possit (§. 8.). Salva itaque machinae essentia fieri potest, ut unum eorum entium, quae illam constituunt, motum alterius actu determinet, vel non (§. 72. Ph. pr.). Si prius, *machinam* nominabo *agentem*, & si posterius, ea cum Ill. WOLFIO §. 747. Elem. Mech. *machina sustentata* nominari potest, sed quo ambiguum terminorum significatum, quantum fieri potest, evitemus, vide §. 34. Ont., hisce sub determinationibus *machinam* post haec *suspensam* nominabo. Machinae itaque accidentaliter consideratae in agentes atque suspensas dividi possunt.

Differentia machinarum accidentalis consideratur, cuius respectu machinae sunt vel agentes vel suspensae.

§. XV.

Machinas suspensas possibiles esse, etiam ita evinco: Sit machina agens, ergo necesse erit, ut ens aliquod non-spontaneum motum alterius cuiusdam entis non-spontanei determinet

Harum possibilitas alia quadam ratione probatur.

minet (§. 14. & §. 8.). Ergo & neceſſe erit, ut ens non-ſpontaneum, quod motum alterius determinet, ſit agens, (§. 12. Ont.) atque adeo in ſtatu ſubſtantialitatis completae exiſtens (§. 33. Ont.). Si itaque poſſibile ſit, ut ens non-ſpontaneum exiſtat, licet non in ſtatu ſubſtantialitatis completae exiſtat, machinas non-agentes, atque adeo ſuſpenſas (§. 14.), poſſibiles eſſe, patebit. Sed prius eſt poſſibile. (Entia enim non-ſpontanea ſunt finita (§. 77. Mon.), atque adeo exiſtere poſſunt, licet non ſint in ſtatu ſubſtantialitatis completae (per dem. §. 162. ſeq. Ont. conf. Cor. 1. §. 163. cit.)). Ergo & machinae ſuſpenſae poſſibiles nominari debent.

COR. Si itaque machina A ſit agens atque machina B ſuſpenſa, inde inferri nequit, quod etiam machinae illae diverſas habeant eſſentias. Quod notare debent, definitiones machinarum formaturi.

SCH. Poſſem hic etiam eas machinarum diverſitates accidentales explicare, quae ex illarum perfectionibus accidentalibus hauriendae. Quoniam vero ex illis in ſequentibus compendii gratia nil deducam; quae hisce de diverſitatibus §. 178. ſeqq. Ont. coll. §. 13. Mech. immediate docent, hic ſufficiant.

§. XVI.

Fundamenta diverſitatum machinarum eſſentialium determinantur.

Eſſentiales machinarum differentiae ex iis, quae ad illarum eſſentiam pertinent, atque ideo vel ex conceptu primo machinarum adaequato, vel ex earum conceptu primo inadaequato deduci debent. Sed hiſce explicatis illae per ſe patebunt, ergo & ultimas ſolummodo explicabo. Tria ſunt eſſentialia, quorum compoſitio eſſentiam machinae exhibet, entia ſcilicet, quae illam conſtituunt, eius ſtructura, atque entium nexus, quo unum motum alterius determinare poteſt. Ergo & triplici ex fundamento dictae machinarum differentiae eſſentiales deduci debent, nimirum 1) ex entium non-ſpontaneorum diverſitate, 2) ex diverſitate ſtructurae, & tandem 3) ex modo, quo entia illa

illa connexa sunt, seu ex machinae scopo (§. 12. Cor.). Vide, quae in Sch. §. 31. dixi.

§. XVII.

Diversitates machinarum essentiales entium, quibus illae componuntur, diversitate determinatas explicaturus considerationes dictorum entium quoad eorum qualitates, ab iis, quibus solummodo eorum genera spectantur, distinguere debeo. Posteriori respectu entia illa non-spontanea vel inter simplicia vel inter composita seu corpora referri debent. vid. §. 25. Cor. 1. & 26. Cor. 1. Som. Si prius, *machinas primitivas*, & si posterius, *derivativas* nominare licebit vid. §. 32. Som.

Inde explicatur 1) diversitas machinarum essentialis, ex entium diversitate deducenda, cuius respectu machinae sunt a) primitivae & derivativae.

COR. I. Quae itaque de operationibus entium simplicium non-spontaneorum in Monadologia §. 30.-52. & §. 85.-106., & 113.-117. explicavi, ad machinas primitivas, & quae de operationibus corporum in Somatologia §. 18.-30. & §. 43. usque ad finem probavi, ad machinas derivativas non accommodari solum, sed & ex earum notionibus facile magis determinari possunt.

COR. II. Quibus factis satis simul patebit, tam machinas primitivas quam derivativas summa cum ratione possibiles nominari posse.

SCH. Machinarum itaque primitivarum possibilitates concedere debeo, minime tamen hac ex ratione possum accedere ad sententiam eorum, qui, omne corpus naturale in minimis etiam partibus machinam esse, affirmant. Rationem dissensus vide §. 2. coll. §. 4. Fieri etiam non potest, ut sententiam suam confirment verbis LEIBNITII, quae §. 67. *Principiorum Philosophiae ipsius* leguntur: *Quodlibet corpus organicum viventis est species machinae divinae aut automati naturalis, quod omnia automata artificialia infinitis modis antecellit, quoniam machina, arte hominis facta, non est machina in qualibet parte. E. gr. Dentes rotae partes habent seu fragmina, quae non amplius artificiale quid sunt, nec quidquam habent,*

Monitum.

habent, quod machinam connotet, respectu usus, cui rota destinatur. Machinae vero naturae, h. e. corpora viventia sunt adhuc machinae in minimis partibus, usque in infinitum. Atque in eo consistit discrimen inter Naturam & Artem h. e. inter Artem divinam & nostram. Si enim omnia haecce LEIBNITII principia concedam, nil tamen legitime inde inferri poterit, nisi corpora organica in minimis partibus esse machinas, minime vero, quod omnia corpora naturalia eiusmodi sint constitutionis.

§. XVIII.

b) Fluidae, solidae, & mixtae.

Si simul qualitatem entium, quibus machina obvia constituitur, spectamus, ex eo, quod entia illa sint non-spontanea (§. 4.), patet, machinas primitivas aut solummodo entibus simplicibus passivis, aut solummodo entibus simplicibus activis non-spontaneis, aut entibus simplicibus passivis atque activis non-spontaneis constitui (§. 20. & §. 52. Mon.); & machinas derivativas aut solummodo corporibus solidis, aut solummodo corporibus fluidis, aut corporibus solidis atque fluidis componi (§. 33. Som.). Quare, cum entia simplicia activa non-spontanea corporibus dent fluiditatem, & entia simplicia passiva soliditatem corporum constituant (§. cit. Som.), summa cum ratione *machinae* hoc ex fundamento in *solidas*, *fluidas* atque *mixtas* dividi possunt. Notare debes, de iis solummodo obviae machinae partibus hic dici, quae eam, qua talem, constituunt. vid. fin. §. 32. Som.

COR. Ex iis ergo, quae de fluidis atque solidis in Somatologia §. 33. seqq. explicavi, permulta etiam hic inferri possunt consectaria.

§. XIX.

2) Explicantur diversitates machinarum essentiales ex earum structura concipiendae, cuius

Secundo ex fundamento, quod diversitates machinarum essentiales determinat, ex structura nimirum machinae (§. 16.), ita machinarum species formo. Constituentia machinae vel ita coexistunt, ut machina dicta agens esse nequeat, nisi illud constituentium, quod reliquorum motum deter-

determinare debet, a cauſſa quadam extrinſeca continuo ſuſtentetur: vel ita coexiſtunt, ut ſine eiusmodi ſuſtentatione machina, quam conſtituunt, agens eſſe poſſit, vide §. 34. Ont. Prioris generis *machinas* brevitatis gratia *ſuſtentandas*, & poſterioris *non-ſuſtentandas* nominabo. *reſpectu ſunt vel ſuſtentandae vel non-ſuſtentandae.*

COR. I. Patet itaque, ſi machinae in abſtracto ſpectantur, machinas non-ſuſtentandas perfectiores eſſe machinis ſuſtentandis (§. 35. Cor. Ont.). Rationem, cur machinas in abſtracto hic ſpectare debeamus, vide pr. 1. Cor. 2. §. 196. Ph. pr.

COR. II. Hiſce ex principiis, quid ſit *machina mechanica*, *pyrobolica*, *hydraulica*, *pneumatica &c. &c.* ſimul a priori explicari, earumque poſſibilitas atque conſtitutio ex ante dictis abunde deduci poſſet, ſed ut in ſpecialiora illa deſcendam, ſcopus ſcripti, ut ſaepe monui, non permittit. Ne vero, quae dixi, inter dicta phalerata referas, huncce, quem explicata atque deinde explicanda praeſtabunt uſum, in lectionibus mathematicis ſatis docebo. *Vſus huius differentiae indicatur.*

§. XX.

Nulla machina agens eſſe poteſt, niſi ab ente quodam ſpontaneo ad agendum ſit determinata. Ponamus machinam quandam eſſe agentem. Ergo & ponere debemus, quod entia non-ſpontanea ſint in motu (§. 14.). Sed entia non-ſpontanea in motu eſſe nequeunt, niſi a cauſſa quadam efficiente externa ad motum ſint determinata (§. 85. & §. 104. Cor. 1. Mon. §. 27. Som.). Ergo & fieri nequit, ut machina quaedam ſit agens, niſi a cauſſa quadam efficiente ad agendum ſit determinata. Si itaque machina ſit agens, neceſſe erit, ut ab ente quodam ad agendum ſit determinata (§. 104. Cor. 2. conſ. §. 1. & 6. Ont.). Hocce ens, quod machinam ad motum determinavit, aut eſt non-ſpontaneum, aut inter entia ſpontanea referri debet. Sit prius, ergo & neceſſe erit, ut ens hocce non-ſpontaneum, *Principium aliquod praebatur, cuius ope differentiae illa machinarum magis explicari poſſit.*

dum machinam ad motum determinavit, fuerit in motu (§. 12. Ont. §. 34. & 48. seqq. Mon. §. 20. Som. & §. 104. Ph. pr.). Atque ideo iterum, ut ante patebit, hocce ens ab alio quodam ente ad motum fuisse determinatum. Si ergo ens non-spontaneum ponas, quotiescunque libuerit, nunquam invenies rationem sufficientem, qua machina ad agendum sit determinata (§. 96. Ph. pr. coll. §. 118. Ph. pr.). Quare, cum ratio sufficiens dictae determinationis adesse debeat (§. 15. Cor. Mech. & §. 111. Ph. pr.), nulla machina agens esse potest, nisi ab ente quodam spontaneo ad agendum sit determinata.

COR. I. Entia spontanea extra (sumitur terminus ea notione, qua illum §. 40. Ph. explicavi) machinam poni debent (§. 4. Mech. & §. 40. Ph. pr.) Nulla itaque machina agens esse potest, nisi a caussa quadam extrinseca ad agendum sit determinata.

COR. II. Ea ex ratione, quod ens aliquod non-spontaneum ab alio quodam ente ad agendum sit determinatum, dici nequit, quod illud ens ab hocce continuo sustentetur (§. 104. Cor. 3. Mon.). Atque inde patet, quod machinam a caussa quadam extrinseca efficiente ad agendum determinatam a machina sustentanda destinguere debeamus (§. 19.).

Vsus demonstrati principii demonstratur.

SCH. Principium in commate demonstratum offert rationem eorum, quae LEIBNITIVS in meditationibus de natura, (quas legimus in Actis Eruditorum de anno 1698. p. 427. seqq.) §. 3 de mechanismo affirmavit, ne mechanicae rerum naturalium explicationes ad abusum trahantur in praeiudicium pietatis, tanquam materia per se stare possit, & mechanismus nulla intelligentia aut substantia spirituali indigeat, *quod nimirum origo Mechanismi non ex solo materiali principio mathematicisque rationibus, sed altiore quadam &*, ut loquutus est, *Metaphysico fonte fluat.* Offert simul principium illud fundamentum argumenti pro existentia Dei, quod veteres Philosophi ex motu sumserunt.

§. XXI.

§. XXI.

Si tandem tertium fundamentum, ex quo machinarum diverſitates eſſentiales inferendae, modum nimirum, quo entia machinam conſtituentia, ut eorum unum motum alterius determinare poſſit, connexa ſunt, atque ideo machinarum ſcopum, vide §. 16., ſpectamus, facile patet, tot poſſibiles eſſe machinas eſſentialiter diverſas, quot ſcopi machinarum poſſibiles poni poſſunt. Sed ſexcenti machinarum ſcopi poni poſſunt. Ergo ſcripti ſcopus non permittet, ut hiſce de diverſitatibus pluribus hic dicam. Haſce meditationes ut hic adhuc notes velim. Nexus ille entium, de quo ante dixi, conſiderari poteſt, vel ſine vel cum relatione ad machinae ſcopum. Et poſteriori reſpectu, quo certiſſime machinas conſiderare debet, earum conſtitutiones examinaturus (§. 12. Cor.), machinas *in eſſentialiter perfectas* atque *imperfectas* dividere poſſumus. Quam Machinarum diverſitatem principia §. 13. cum Cor. Cor. Mech. & §. 177. ſeqq. Ont. explicata magis determinabunt.

3) Indicantur diverſitates machinarum eſſentiales ex nexu entium, quo eorum unum alterius motum determinare poteſt, concipiendae.

CAP. III.

DE

OPERATIONIBVS, QVAE PER MACHINAM QVA TALEM POSSIBILES, EARVMQVE LEGIBVS.

§. XXII.

Per machinam, qua talem, nullae operationes poſſibiles ſunt, niſi motus. Operationes enim, quas per machinam, qua talem, poſſibiles nominare poſſumus, eiusmodi eſſe debent, quae per actiones entis non-ſpontanei in aliud quoddam ens non-ſpontaneum poſſibiles (§. 8.). Sed

Operationes per machinam poſſibiles indicantur.

per eiusmodi actiones nullae operationes possibiles sunt, nisi motus (§. 20. Som. & dem. cit. §.). Ergo nec per machinam, qua talem, operationes possibiles nominari possunt, nisi motus.

COR. I. Operationes itaque machinae agentis sunt motus (§. 14. Mech. & §. 70. Cor. 2. Ph. pr.). Si ergo ab ente quodam spontaneo ad agendum determinetur, necesse erit, ut ens illud machinam ad motus determinet, vide §. 20. Quae itaque de legibus motus, quae modum, quo unum ens non-spontaneum in alterum non-spontaneum motu agere possit, docent, tam in Monadologia, quam in Somatologia explicavi, etiam ad operationes machinarum accommodari possunt.

COR. II. Atque ideo patet, quod scopus machinae, qua talis, eiusmodi esse debeat, qui per motum existens fieri possit (§. 10. seqq.). Ergo & plura consectaria ex iis, quae de perfectione machinae §. 13. cum Cor. Cor. demonstravi, hic inferri possunt.

§. XXIII.

Et quomodo eas continuare possit machina agens docetur.

Si machina sit agens, necesse erit, ut in serie continua status agendi antecedens sit consequentis ratio efficiens sufficiens metaphysice sumta, nisi a caussa quadam externa efficiente statum suum mutare cogatur. Quoniam machinae agentis operationes sunt motus (§. 22. Cor. 1.), & machina solummodo entibus non-spontaneis constituitur (§. 4.), consequens est, ut hancce propositionem iisdem argumentis, quibus principia, quae §. 26. & 27. Som. posui, corroborata sunt, confirmare possimus.

COR. I. Machina est vel sustentanda vel non-sustentanda (§. 19.). Haec, a caussa quadam externa ad agendum determinata, operationes suas sine externarum caussarum concursu continuare potest; illa vero operationes suas continuare nequit, nisi a caussa quadam externa continuo sustentetur (§. cit.

(§. cit. & §. 20.). Docet itaque propositio in commate demonstrata haecce principia: 1) *Machina non-sustentanda a caussa quadam externa ad agendum determinata operationes suas vi sua ita continuat, ut in serie continua status agendi antecedens sit consequentis ratio efficiens sufficiens metaphysice sumta, nisi a caussa quadam externa efficiente statum suum mutare cogatur.* 2) *Si machina sustentenda a caussa quadam externa ad agendum determinata est, fieri nequit, ut operationes continuet, nisi etiam a caussa quadam externa continuo sustentetur.*

COR. II. Si itaque in machina non sustentanda agente operationes quasdam observemus, quae ex statu ipsius agendi antecedente per rationem efficientem sufficientem metaphysice sumtam minime sequuntur, necesse erit, ut huius machinae agendi status a caussa quadam externa efficiente sit mutata (Cor. 1.). Quod vero eiusmodi mutatio, salva machinae essentia, possibilis sit, docet Cor. 1. §. 20, conf. §. 39. seqq. cum Cor. Cor. Ont.

§. XXIV.

Status machinae est collectio determinationum, quae in eadem existentes sumuntur (§. 39. Ont.). Machina existere nequit, nisi simul essentia ipsius existat (dem. §. 76. Ph. pr.). Sed vi essentiae existentis machina illa, cuius sit essentia, non est agens (§. 15.). Agendi itaque machinae statum determinaturus essentiam machinae ab operationibus ipsius distinguere debet. Operationes per machinam fieri nequeunt, nisi quae per essentiam ipsius possibiles (§. 28. Ph. pr.) *Si itaque machina non-sustentanda est agens, operationes ipsius antecedentes in serie continua consequentes per rationem efficientem sufficientem metaphysice sumtam ita determinant, ut essentia machinae permittit, donec a caussa quadam externa efficiente series illa operationum mutatur* (§. 23. Cor. 1.).

Magisque principium illud determinatur.

§. XXV.

Et inde fundamentum, quo machinae operationes explicari possunt, deducitur.

Rationata, quae fieri possunt, a priori determinaturus, rationes sufficientes, per quas fieri possunt, distincte perspicere debet. Et qui hasce rationes distincte perspicit, rationata, quae inde fieri possunt, determinare potest. (Quod ex Logica patet.). Consequens agendi status in machina non-sustentanda agente, dictis sub determinationibus spectata, est rationatum, cuius ratio sufficiens, metaphysice sumta, est status ipsius agendi antecedens (§. 96. Ph. pr. & §. 23. Mech.). *Consequentem itaque agendi statum dicta in machina a priori determinaturus, statum ipsius agendi antecedentem distincte perspicere debet, & qui huncce distincte perspicit, etiam illum ante, quam existit, determinare potest.* (§. 98. Ph. pr.).

COR. I. Consequentem itaque agendi statum machinae non-sustentandae agentis dictis sub determinationibus consideratae a priori determinaturus, spectare debet, 1) operationes ipsius machinae antecedentes, 2) Machinae essentiam vide §. 8., & tandem 3) inquirere debet in modum, quo operationes illae per determinatam machinae essentiam modificari possint (§. 24.).

COR. II. Patet simul ex explicatis, si modo Cor. 1. §. 23. conferatur, consequentem agendi statum machinae sustentandae agentis a priori determinaturum spectare debere 1) essentiam dictae machinae, vide §. 8. 2) operationes caussae efficientis externae, qua machina illa sustentatur, & 3) inquirere debere in modum, quo dictarum caussae efficientis externae operationum effectus per obviae machinae essentiam modificari possint.

Principium aliquod a philosophis receptum explicatur.

SCH. Et ita satis intelligitur, quo sensu dici possit, operationes, quae in machina contingunt, rationem sufficientem in essentia machinae continere. Si enim hocce principium simpliciter verum nominetur, principiis §. 15. 19. & 20. positis repugnabit. Quare, cum veritas illorum abunde evicta sit, necesse est, ut significatus dicti principii ita, ut principia Cor. 1. & 2. h. §. coll. §. 20. posita requirunt, restringatur.

§. XXVI.

§. XXVI.

Machinae, quatenus naturaliter & praeternaturaliter operari possunt, determinantur.

In omni machina operationes praeternaturales contingere possunt. Naturaliter vero nulla machina operari potest, nisi machina non-sustentanda. In quocunque enim obiecto operationes contingere possunt, quarum ratio efficiens non est in eodem, sed extra illud obiectum, in quo contingunt, in illo etiam obiecto operationes praeternaturales contingere possunt (§. 31. Mon.). Sed in omni machina eiusmodi operationes contingere possunt (§. 15. & Cor. 1. §. 20.). Ergo &, in omni machina operationes praeternaturales contingere posse, patet. Q. e. p.

In quocunque obiecto operationes contingere nequeunt, quarum ratio efficiens est in eodem obiecto, in quo contingunt, illud etiam naturaliter operari non potest; in quo vero obiecto eiusmodi operationes contingere possunt, id etiam naturaliter operari potest. (§. 31. Mon.). Atqui in machina sustentanda eiusmodi operationes contingere nequeunt, contingere vero possunt in machina non-sustentanda (§. 19.). Machina itaque non-sustentanda, non vero machina sustentanda naturaliter operari potest. Quare, cum omnis machina aut sustentanda aut non-sustentanda (§. 19.), consequens est, ut nulla machina naturaliter operari possit, nisi machina non-sustentanda. Q. e. a.

COR. I. Omnes itaque operationes machinae sustentandae, in se spectatae, sunt praeternaturales. In machina vero non-sustentanda eiusmodi solummodo operationes praeternaturales dici possunt, ad quas a caussa quadam extrinseca immediate determinatur (§. 31. Mon.). Operationes itaque Machinae non-sustentandae consequentes, quas operationes antecedentes ita, ut §. 24. dixi, determinant, naturales ipsius machinae operationes nominari debent. Eadem propositio etiam ex definitione de natura §. 31. Mon. data coll. §. 24. & 19. Mech. abunde deduci potest.

COR. II.

COR. II. Naturales itaque ſtatus agendi machinae eiusmodi ſunt, ut in ſerie continua antecedens ſit conſequentis ratio efficiens ſufficiens, metaphyſice ſumta. Si vero machina a cauſſa quadam externa efficiente ſtatum ſuum mutare cogatur, mutatio illa ſtatus inter ſtatus machinae praeternaturales referri debet. De naturali atque praeternaturali ſpeciatim infra atque pluribus dicam.

§. XXVII.

Veritas determinata explicatur.

Determinatum eſt, quod ex duobus contradictorie oppoſitis unum continet & alterum non (§. 39. Ph. pr.). Veritas eſt convenientia eorum, quae ſimul ponuntur (§. 188. Ph. pr.). Quid igitur ſit veritas determinata, abunde inde intelligitur. Quatenus nimirum dici poteſt, quod ex duobus contradictorie oppoſitis hoc & non illud cum iis conveniat, quae in re quadam ponuntur, tunc, quod cum poſitis convenit, in eadem re *veritatem determinatam* habet.

COR. Quidquid itaque obvio in obiecto veritatem ſuam determinatam habet, eius veritas in alio quodam obiecto indeterminata eſſe poteſt. Et obvio in obiecto veritatem ſuam determinatam certo quodam reſpectu habere poteſt, cuius veritas alio quodam reſpectu in eodem obiecto indeterminata. (§. 12. Cor. 2. Ph. pr.).

Et veterum ſententiis dicta confirmantur.

SCH. Notio itaque veritatis determinatae inter relativas referri debet. Summa ergo cum ratione veteres affirmaverunt, *aliud eſſe poſſibile qua tale*, ſeu praeciſe ſub ratione poſſibilitatis conſideratum, *aliud poſſibile quatenus ſit praeteritum, praeſens & futurum, idque vel abſolute vel ſub conditione tale.* Sed de his in Theologia naturali atque in Tractatu de civitate Dei pluribus. Legas interim HEBENSTREITII Theol. nat. Exerc. XV. de ſcientia & ſapientia Dei.

§. XXVIII.

Principium aliquod generale inde de-

Si obiectum aliquod ita agit, ut in ſerie continua ſtatus ipſius agendi antecedens ſit conſequentis ratio ſufficiens, ut conſequen-

ducitur, cuius ope veritas determinata futurorum demonstrari potest.

sequentes agendi status, antequam contingunt, veritatem determinatam in eodem habeant, consequens est. Si enim dicto in obiecto status agendi antecedens in serie continua est consequentis ratio sufficiens, etiam in serie continua ex statu antecedente inferri potest, quod hic & non alius status in eodem obiecto sequatur (§. 96. Cor. 1. Ph. pr.). Posito itaque illo statu antecedente dici potest, quod ex duobus contradictorie oppositis hic & non alius agendi status consequens cum iis, quae dicto in obiecto ponuntur, conveniat (§. 28. Ph. pr.) Ante itaque, quam status illi consequentes dicto in obiecto contingunt, dictis sub determinationibus veritatem determinatam in eodem habere debent (§. 27.).

COR. I. Si ergo machina quaedam sit agens, etiam veritatem determinatam status ipsius agendi consequentes naturales, antequam contingunt, in eadem ut habeant, necesse erit (§. 26. Cor 2.). Atque adeo futuritio eorum certa nominari potest (§. 155. Pr. Log.). Notare velis, quod a positione unius ad alterius negationem non valeat conclusio, nisi sint contradictorie opposita.

COR. II. Immediate etiam ex dictis patet, status agendi praeternaturales machinae in eadem, in se & absolute spectata, ante, quam contingunt, veritatem determinatam minime habere (§. 26. Cor. 1. & §. 27.).

§. XXIX.

Pondus atque potentia in Machina explicatur.

Hactenus de diversis machinarum operationibus modoque, quo consequentes ex antecedentibus sequuntur, pro scopo dixi. Reliquum est, ut de constitutione machinarum interna, quatenus dictae operationes per illam fieri debent, brevissimis dicam. Et hac ex ratione in omni machina id, quod motum alterius determinare debet, ab eo, cuius motum determinare debet, distinguere debeo. *Illud* mechanici *potentiam*, hoc vero *pondus* nominant.

COR. Tam itaque pondus quam potentia, sensu mechanico sumta,

sumta, qua talia, inter entia non-spontanea referri debent (§. 4.). Si ergo potentia dicta motum ponderis determinat, ens aliquod non-spontaneum alterius cuiusdam entis non-spontanei motum determinat. Atque ideo iis ex principiis, quibus modum, quo unum ens non-spontaneum motum alterius non-spontanei determinare possit, in Monadologia atque Somatologia explicavi, permulta etiam hic inferri possunt consectaria, quae machinas constructurus spectare debet. Sed horum consectariorum evolutiones, quae facili negotio institui possunt, meditationibus Lectorum hic permitto. Unicum modo, quo eo facilius reliqua inferri possint, addam.

§. XXX.

Et principium universale pro mechanica ponitur.

Machinam constructurus ipsius partes ita disponere debet, ut vis agens potentiae maior esse possit vi inertiae ponderis. Machinam enim constructurus partes ipsius ita disponere debet, ut vis agens potentiae motum ponderis determinare possit (§. 29. & §. 4.). Sed pondus motui potentiae resistit (Cor. §. 29. Mech. & §. 89. Mon.). Ergo partes machinae ita disponere debet, ut pondus impetui potentiae sufficienter resistere nequeat (§. 88. Mon. coll. §. 104. Cor. & 96. Cor. 1. Ph. pr. & §. 16. Cor. 1. Ont.). Pondus resistit vi inertiae (§. 89. Cor. 1. Mon.). Ergo partes machinae ita disponere debet, ut vis agens potentiae maior esse possit vi inertiae ponderis (§. 49. Ont.).

COR. Quantitatem vis agentis potentiæ mechanice sumtae determinaturus tam massam quam celeritatem ipsius spectare debet. vid. §. 29. Som. & §. §. quas ibi citavi, coll. Cor. §. 29. Mech. Machinam itaque constructurus, partes ipsius ita disponere debet, ut celeritas potentiae, servata eadem massa, pro quantitate vis inertiae ponderis maior minorque fieri possit. Legi olim PLACENTINI *Libros Mechanicorum*, &, nisi me animus fallit, permulta in iisdem observavi principia, quae maximo cum commodo hic evolvi possunt.

SCH.

SCH. Possem hoc ex principio universali mechanices, si modo ea conferantur, quae de machinis hactenus explicavi, deducere 1.) illud, quod veteres posuerunt, *quod nimirum in omni machina motus potentiae ad motum ponderis maior esse debeat, quam resistentia ipsius ponderis ad vires potentiae.* Possem inde deducere, 2) quod in omni machina agente partes motu saltim ex parte curvilineo agant (§ 27. Som. & 104. Cor. 3. Mon.). Atque ideo, quod machinae perfecte fluidae sint impossibiles. Sed ex eiusmodi conclusionibus in sequentibus nil deducam. Ergo de iisdem alio quodam tempore pluribus dicturus, hic pono

MECHANOLOGIAE ET ITA TOTIVS TOMI I. ELEMENTORVM METAPHYSICES

FINEM.

ERRATA ET ADDENDA.

Praecogn.

§. *VI. Schol.* lin. 12. & 13. pro *ultimis Syllogismis ordinariis* l. *ultimos Syllogismos ordinarios.*

§. *XV. Cor.* 2. lin. 3. pro *Spiritum* l. *Spirituum.*

Phil. prim.

§. *II. Schol.* 3. lin. 2. pro *prodientes* l. *prodeuntes.*

§. *XXV. Schol.* 2. lin. 13. *in infinitum non diuidi* del. *non.*

Schol. 3. lin. 3. pro *Schol.* 2. l. *Schol.* 1. & lin. 21. pro inter crura *M N.* l. *M C.*

§. *XXX.* lin. 5. pro (§. 25.) l. (§. 27.).

§. *XLI.* lin. 4. del. *intrinſecarum.*

§. *XLVI. Cor.* 2. lin. 1. pro *intrinſeco* l. *intrinſece.*

§. *LXXII.* lin. 2. pro *prius* l *poſterius*, & *pag. ſeq.* lin. 1. pro *poſterius* l. *prius.*

§. *LXXVIII. Cor.* 1. lin. 5. pro *exſiſtit* l. *exſiſtere poteſt.*

§. *LXXXVII. Cor.* 1. lin. 5. pro *& exiſtens*, l. *ut exiſtens &c.*

§. *XCII. Cor.* 1. lin. 7. pro §. 51. l. §. 56.

§. *CIX. Schol.* p. 94. lin. 6. pro *ſine ratione* l. *cum ratione.*

§. *CXXIX. Schol.* lin. 2. pro *duce* l. *ducit.*

§. *CXXXVIII.* lin. 3. pro *prius* l. *poſterius*, & pro *poſterius* l. *prius.*

ibid. p. 116. lin. 1. & 2. pro *ultima* l. *iſta*, & pro *prioris* l. *huius.*

§. *CXXXIX.* lin. 1. pro *pura* l. *eminens. it. Schol.* lin. 3. pro *ſubdiſtincta* l. *condiſtincta.*

§. *CLXXIX.* lin. 12. pro (§. 142.) l. (§. 162.).

§. *CLXXXIII. Schol.* lin. 4. pro *latiorem*, l. *angustiorem.*

§. *CXCVII.* lin 7. pro (§. 40.) l. (§. 41. Cor.)

Ontol.

§. *I. Schol. IV.* lin. 18. pro *adaequatas* l. *inadaequatas.*

§. *X.* lin. 7. pro *continet* l. *continere poteſt.* item *Cor.* 2. lin. 4. *ratio*, adde *eſſe poteſt.*

§. *XXIV.* lin 4. & 5. pro *continet*, l. *continere poteſt.*

§. *LXII. Cor.* 1. lin. 4. pro 1615. l. 1695.

§. *LXVII. Cor.* 2. lin. 4 pro 104. l. 54.

§. *CXII.* p. 226. lin. 2. *ſubordinare dicatur*, adde (*vid.* §. 115. *Phil. pr.*).

§. *CXVII.* lin. 12. pro *A*, l. *D.*

§. *CLX.* lin. 5. *attributa*, adde *propria.*

§. *CLXXIV. Cor.* 1. lin. 2. pro (§. 122. *C.* 1. l. 172. *Cor.*).

§. *CLXXVI.* lin. 6. §. 41. *Cor.* 3. adde *conf.* §. 166.

§. *CLXXVIII.* lin. 3. pro 105. l. 195.

Monadol.

§. *I.* lin. 5. *irreſolubile*, adde *in varia entia.*

§. *IX. Cor.* lin. 5. pro *ut*, l. *quod.*

§. *XXXI. Cor.* lin. 4. pro *& motu* l. *& ſupernaturali motu.*

§. *XXXV.* lin. 10. pro *ne occuparet*, l. *quin occupet.*

§. *XXXVI.* lin. 19. §. 91. *Ont.* adde *Cor.*

§. *XXXVIII.* lin 4. pro §. 38. *Cor.* l. §. 37.

§. *XLI.* lin. 10. pro *prioris* l. *poſterioris*, & *pag.* 309. lin. 5. pro *poſterioris* l. *prioris.*

p. 311. lin. 10. pro §. 66. l. §. 96.

§. *XLIV.* lin. 8. pro *ipſum*, l. *ipſa.* & *coroll.* lin. 10. *entis ſimplicis*, adde *non-ſpontanei.*

§. *XLVI.* lin. 12. pro *Ont.* l. *Phil. pr.*

p. 316. lin. 13. pro *ſpontaneum* l. *non-ſpontaneum.*

§. *XLIX.* lin. 5. pro *entis* l. *entibus.*

§. *XCVII. Cor.* 2. lin. 2. del. *ens*, lin. 3. del. *&* §. 1. *Ont.* item *entia.*

§. *XCVIII. Cor.* lin. 4. *ſimplicium*, adde *activorum.*


§. *CXIII.* lin. 3. §. 142. adde *Ont.*


§. *CXXIII. Cor.* 3. lin. 4. pro §. 159. l. 195.


§. *CXXIV.* lin. 6. §. 103. adde *Ph. pr.* lin. 16. pro *coll.* §. 111. l. *coll. demonſtr.* §. 111.


§. *CXXVII. Cor.* lin. 12. pro *illi* l. *illos.*


p. 383. lin. 1. pro *reale* l. *logicum.*



C
Fig. 4
M
N
A
Fig. 2.
H
K
G
F
E
D
C
B
F G H I K L D


Fig. 5.
B
1 2 3 4 5 6 7 8 9


Fig. 7.
A
B
d



D
A
D
C
E
B
A
B
Fig. 8.


C
D
Fig. 10.
A
C
B
E
C
B
A
Fig. 9.



ULB Halle

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-151887322-13/fragment/page=0506



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-151887322-13/fragment/page=0507

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-151887322-13/fragment/page=0510

Fl 968
S



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-151887322-13/fragment/page=0511

ELEMENTA
METAPHYSICES

TOMVS PRIOR

OVI

PHILOSOPHIAM
MONADOLOGIAM
MECHANOL

AD PHILOS

ANIMAB
DEO, MVN
TA
COG
VI

A
IOACHIMO
PHIL. ET I. V. D.

APVD CHR

MDCCXLIII.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-151887322-13/fragment/page=0513